DE

RE BENEFICIARIA

DISSERTATIONES TRES

UBI

CAROLI III.

AUSTRII HISP. REGIS

PII, FELICIS, VICTORIS, PP. AUGUSTI

Edictum

Quo fructuum capionem in Sacerdotiis Externorum, & Vagantium Clericorum jubet, tum summo, tum optimo jure, recte, atque ordine factum, demonstratur.

Auctore Cajetano Argento Regio Consiliar. in Sac. Cons. Neap.

Rex, qui sedet in solio Judicii, dissipat omne malum intuitu suo. Prov. 20.

A. D. M. DCC. VIII.

2. 6. 98

QVOD diù precati ſumus a DEO Optimo Maximo, ut Auſtriæ gentis, cujus æquabili ſemper Imperio Regnum Neapolitanum ſupra alteram ætatem feliciſſimè paruit; tandem aliquis exiſteret, qui avitam Religionem non modò obſervaret, coleretque majorum exemplo, ſed etiam in veterem dignitatem vindicaret: id in CAROLO TERTIO magnæ & pietatis, & conſilii Principe, fauſtè, fortunatèque eveniſſe, omnium ordinum Cives gaudere ſibi debent, lætarique vehementer. Quid enim auſpicatius fieri potuit, quam ipſa Regni primordia, nec illa quidem pacata, & tranquilla, ſed acerbi, diuturnique belli perturbatione vexata, ſacrorum incremento dicare? Quidve magis Regium, quid Principe dignius obiri facinus, quam in Divini cultus amplificationem primitias curarum ſuarum exolvere? πρῶτον ἡ περὶ θείων ἐπιμέλεια, admonet Ariſtoteles 7. *Politices* 8. Nec aliter Andronicus Imperator poſtquam Patri juſta perſolvit, continuò ad componendum Eccleſiæ ſtatum animum adjecit; ἔργον πεποίηται μέγιστόν τε καὶ πρῶτον τὴν ἐκκλησίας κατάστασιν, propoſitis edictis, quibus corruptos, depravatoſque ſubjectorum mores emendandos denunciaret; καὶ βασιλικὰ διαπίγματα διεπέμποντο τήν τε τῆς ἐκκλησίας διόρθωσιν εὐαγγελιζόμενα, ut narrat Nicephorus Gregoras, *lib.6. cap.1.*

Scilicet ante oculos obverſabatur Regi pientiſſimo, cui non deerant domeſtica atavorum exempla, quam fœda, ac planè miſerabilis Eccleſiæ facies in ple-

risque omnibus hujus Regni locis se se offerret: quanta rerum omnium confusio, Religio cum divino cultu neglecta, quo nihil esse potest exitialius, sacri ministerii infrequentia, Templa administris orbata; si qui adessent, suo muneri impares: nemine sacrorum disciplinæ operam dante, cum præmia sacræ functionis, coronasque ecclesiasticis Athletis debitas, peregrini Clerici, & malè feriati arroderent, atque usurparent; ut in tanta Sacerdotiorum ubertate, Templa nedum instrumento ad rem divinam faciendam necessario destituta, nedum male materiata, & ad ruinam prona; sed plus aliquid dicam, non sine horrore tamen, & lacrymis, collapsa jam, ac solo æquata: ut adeo ubi Sanctuarium fuit, nunc opilionum statio, ubi Fidelium olim cœlestis refectio, ibi nunc pecorum immunda pastio, ubi magnificæ DEO immortali pridem extructæ Aræ gloriam illi, honoremque comparabant, nunc inter miseras ruderum reliquias, succrescentes herbæ otiosorum hominum luxui, desidiæque erigant trophæa. secum igitur reputans sollertissimus Princeps, tum quod Regni utilitas, communisque Ecclesiæ salus exposceret, tum quod Reges Ecclesiasticorum Canonum Custodes, & exequutores esse jusserit DEUS, cui etiam rationem, quam quisque in tantum officium diligentiam contulerit, redditurus est; in tot malorum fontem, & caput studiosè inquirere cœpit: comperitque tandem, tot calamitates, quas non sine maximo animi mœrore repetere possumus, ex illa origine effluere, quod qui beneficiis cumulati sunt, in Ecclesiis, in quibus illa inscripta sunt, permanere licentius detrectant. Hoc autem vel ipse Pontifex Bonifacius VIII. testatissimum facit in cap. ult. de rescript. in 6. ait enim: *Ex quò insolentiæ oriuntur vagandi, & dissolutionis præparatur materia, minuitur cultus Divinus, quem desideramus augeri, & officium plerumque (propter quod beneficium Ecclesiasticum datur) omittitur.* Quo nomine olim notatus Paulus Samosatenus, quod πορισμὸν ἡγούμενος τὴν εὐσέβειαν, Dei cultum pro reditu, &

veluti

veluti obventione quadam pecuniaria accepisset, ex Eusebii historia *lib. 7. cap.* 30. Quamobrem tantam disciplinæ labem amoliendam ratus, Sanctorum Patrum sententias, Conciliorumque decreta, universam denique Canonum auctoritatem restituere satagens, advocato prius consilio, ubi gravissimi viri asident, divini, humanique juris consultissimi, morumque in Regno receptorum, consuetudinum, factorumque scientissimi; edicto cavit, ut fructus Beneficiorum, ac Præbendarum, quibus contra jus, fasque eos ditescere contingit, qui extra Regnum degunt, sequestro subjicerentur. Ne vero quis præclarum facinus in invidiam raperet, & ad suspicionem dimovendam, quasi quæstus gratia, & in rem suam id tentasset, quod ab Austriadum pietate longè est alienum: jussit reditus in Æde Sacra, quam pietatis Montem vocant, deponi, neque ulla causa minui, aut in profanos usus converti. Scilicet ad ostendendam edicti æquitatem, animique sui sanctimoniam, minus sibi licere voluit, quam licebat. Nam quod Serenissimi hujus Regni Reges in minoribus Ærarii angustiis, jus sibi esse existimarunt, hic aversatus est, dum ardentibus undique bellis, vectigalia penitus absumpta, Regnique opes succisæ, afflictæque essent, ut maxima rerum omnium inopia laboremus: non hæc, inquam, quæ nos premit egestas, id ab eo exprimere potuit, ut ad levandas ærumnas, quidquam proventuum Ecclesiasticorum, vel utendum acciperet. Quin (ò incredibile pietatis exemplum, quod nulla non mirabitur ætas) quorundam Beneficiariorum annonas, qui cum origine sibi subjecti essent, a fide desciverunt, hostiumque partes secuti sunt, cum jure posset in fiscum referre, vel aliis arbitratu suo largiri, quod exemplis, rerumque judicatarum auctoritate non carere, ex nostris annalibus constat; ut in pauperes distribuerentur, juxta vetus Ecclesiæ institutum, mandavit. Nihil unquam majore bonorum omnium plausu exceptum fuit, quam hoc prudentissimi Principis edictum, quod non uti fabulosum illud

ancile, ſed verè Cœlo delapſum ad eluendas Clericorum ſordes, atque vitia detergenda, quæ Eccleſiaſticum ordinem ſummopere permiſcent, fœdantque: quo demum ſalvo, ſalvi futuri ſumus, nemo æquus rerum æſtimator diffitetur. Quoniam vero nihil adeo ſanctum eſt, ut ab impiorum injuriis ſatis munitum, inviolatumque eſſe poſsit, nihil ita juſtum, quod non improborum conviciis ſit expoſitum; non defuere homines turbulento ingenio nati, ſupercilioſi, quibus vel Athenæ deſipiunt, qui ſanctiſſimi Principis oraculum carpere, & vellicare, ſimplicibuſque, & qui rerum tegumenta ſpectant dumtaxat, nec in adyta ſeſe penetrare queunt, fucum, ac impoſturam facere, vanamque religionis ſpeciem obtendere non deſiſtunt, per compita, & plateas ventoſæ plebis ſuffragia venantes. Quorum omnium, vel malitiam, vel arrogantiam ita coarguere animati ſumus, ut ſententiam edicti, Sanctorum Patrum documentis, Conciliorum ſtatutis, Romanorum Pontificum decretis maximè conſentaneam, facile demonſtrari poſſe, exiſtimemus.

DISSERTATIO PRIMA

Beneficiarios omnes, in ſua quemque Eccleſia, aſſidue inſiſtere debere.

QUA potiſſimum ratione Regium edictum ſubnixum fuerit rimanti, illa in primis occurrit, neceſſitas, quæ cuique Beneficiario impoſita eſt, ut in Eccleſia ſua reſideat, ibique miniſterio ſuo fungatur. Adverſus eos, qui in Eccleſiis non reſident, aſsiduiq; non ſunt, ſexcenti extant Canones in Conciliis Antiocheno, Laodicenſi, ac Sardicenſi *in decreto 7. quæſt. 1. in decretal. tit. de Clericis non reſident.* aliiſque juris Pontificii locis, de quibus inferius redibit ſermo. Et quidem quod attinet ad ea beneficia, quę annexam curam animarum habent, id nemo unquam in cōtroverſiam adduxit. An vero jure divino ad reſidendum tenerentur, qui hujuſmodi beneficiis potiuntur, ante ſeſsionem Sacroſanctæ Tridentinæ Synodi 23. anceps ſatis quæſtio fuit, & Auctorum nobilium diſſenſione magnopere celebrata. Siquidem Thomas Campegius reſidendi onus non juri divino tribuendum putavit, niſi quatenus jus Canonicum divinum appelletur, *tractatu de reſidentia*, qui inſpicitur *tom. 1. tract.* Sed hanc ſententiam everſum ivit, eamq; a ſacris libris tam veteris, quam novi Teſtamenti, a communi Patrum conſenſione, a Conciliorum ſanctionibus abeſſe, ac diſcrepare, oſtendit poſt Divum Thomam, Cajetanus 2. 2. *q.* 185. *art.* 5. a quo licet diſceſſerit Ambroſius Catharinus, cui ſe addidere Albinianus, Alphonſus Salmeron, & Andreas de Gerunda; attamen in Cajetani Caſtra conceſſere doctiſsimi viri, &

ſacra-

facrarum rerum callentiſſimi, Bartholomæus de Miran-
da,& Caranza *in libellis de reſidentia*, quos Tridenti anno 1547. evulgarunt. Fuit etiam Catharini error, ac Campegi exploſus, ac profligatus a Dominico Soto *in Apologia* contra Catharinum *de reſidentia poſt ſyntagma de natura, & gratia, & lib. 10. de juſtitia quæſt. 3. art. 1. 2. 3. & 4.* Suarez *tom. 4. in 3. part. diſp. 44. ſect. 4. n. 8.* Bañez *quæſt. 33. art. 5.* a quibus non diſceſſere Ioannes Driedo, Leonardus Venetus, Franciſcus Turrianus, Hieronymus Gigas *in tract. de reſid.* & Gentianus Herbertus *in can. p. 70. diſt.* aliique qui peti poſſunt a Covarruvia *lib. 3. variarum cap. 3. n. 9.* ubi eandem opinionem tuetur.

Et ſi autem onus reſidendi e jure divino deſcendere, quamplurimis Conciliorum Canonibus comprobari poſsit; attamen id apertiſsimè elicitur ex Concilio Meldenſi *can. 5.* relato ab Ivone Carnotenſi *quinta parte decreti cap. 190.* cujus memor fuit Covarruvias *lib. 3. variar. cap. 13. n. 9.* Ejus verba e re fuerit hic apponere: *Ut Epiſcopi qui plebes ſibi concreditas raro, aut nunquam per ſe ipſos viſitant juxta ordinem Evangelicum, & Apoſtolicum, atque Eccleſiaſticum; cum Dominus Ezechieli dicat cap. 3. ſpeculatorem dedi te Domui Iſrael, & audies ex ore meo verbum; ut annuncies eis ex me, &c. a comprovincialibus Epiſcopis acrius corripiantur.* Ex quibus verbis patet, Sanctiſsimos Patres pro comperto habuiſſe, obligationem reſidendi, ex jure Evangelico proficiſci.

Sed poſt Sacri Concilii Tridentini decreta, nullus ambigendi locus relictus eſt. Etenim agnoſcens ſanctiſsimus ille Cōventus, aſsiduitatis defectum errorum omnium, & hęreſeon, quibus tunc Orbis cōcutiebatur, magna ex parte fontem, & originem eſſe; nec poſſe non gregem perire, qui paſtore deſtitutus, luporum inſidiis quotidie expoſitus eſt; & Eccleſiæ veteris diſciplinam nimis quod ad hoc imminutam, ac labefactatam novis decretis inſtaurandam ſuſcepit: & quantum ad ea beneficia pertinet, reſidendi neceſsitatem a jure divino originem ſumere, ſive ejus *ſeſſ. 6. cap. 1.* ſive *ſeſſ. 23. ſimiliter cap. 1.* intueamur,

ma-

manifeste definivisse videtur. Sanè in *sess. 6. cap.* 1. hoc satis innuit, dum id onus iis, qui hujusmodi beneficia obtinent, pronunciat injunctum fuisse a Divino Spiritu, qui ipsis Ecclesiam Sponsam concredidit, quam CHRISTUS suo sanguine adeptus est. *Omnes Patriarchalibus, Primatialibus, Metropolitanis, & Cathedralibus Ecclesiis quibuscumque, quovis nomine, ac titulo præfectos monet, ac monitos esse vult, ut attendentes sibi, & universo gregi, in quo Spiritus Sanctus posuit eos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit Sanguine suo; vigilent, sicut Apostolus præcipit, in omnibus laborent, & ministerium suum impleant. Emplere autem illud se nequaquam posse sciant, si greges sibi commissos mercenariorum more deserant, atque ovium suarum, quarum sanguis de eorum est manibus a supremo judice requirendus, custodię minimè incumbant, cum certissimum sit non admitti pastoris excusationem, si lupus oves comedit, & pastor nescit.* Dein subiicit, eos qui non resident, mercenariorum, non pastorum nomen mereri, eorumque vitio, ac culpæ adscribenda mala, quibus assiduitas mederi posset; pœnasque infligit, renovans partem earum, quæ a Gregorio XI. in ejus Bulla inflictæ fuerant. Si verò attendamus sessionem 23. *cap. p.* sunt in hanc rem verba adeo diserta, atque expressissima, ut post tam luculentam definitionem de hoc dubitare nefas sit: *cum præcepto Divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, verbiq; Divini prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere, pauperum, aliarumq; miserabilium personarum curam paternam gerere, & in cætera munia pastoralia incumbere, quæ omnia nequaquam ab iis præstari, & adimpleri possunt, qui gregi suo non invigilant, neq; assistunt, sed mercenariorum more deserunt; Sacrosancta Synodus eos admonet, & hortatur, ut divinorum præceptorum memores, factiq; forma gregis in judicio, & veritate pascant, & regant.*

Quare post hæc Tridentini decreta, omnes quotquot de hac re tractarunt, paucos si exceperis, in hanc iverunt sententiam; nimirum onus residendi ex juris

divini

divini fonte derivare: quod hodie adeo receptum est, ut qui contra sentiat, nihil prorsus sentire videatur. In re clarissima omnia auctorum testimonia proferre, & medio, ut ajunt meridie, lucernam accendere; supersedendum quidem duximus, ne videamur otio, quo non abundamus abuti: aliquos tamen tam ex Iurisconsultis, quam ex Theologis seligere operæ pretium fuerit. Navarr. *in manual. cap.5. n.121.* Garc. *de benef. 3.p. c. 2. n.16.* Barbos. *de potest. Episc. alleg.53. n. 2. & de offic. Parochi par.2. cap.19.* Ant. Garaña *ad tit. de Cleric. non residen. c.1.* Suarez *tom.4. in 3.p.disp.44. sect.4. n.8.* Vasq. *de benefic. cap.4. dub.2.* Castropala. *tract.13.disp.5.* Azor. *2.tom.instit.lib.7. c.4.q.1.* Filliuc. *in append. de benef. Eccl. tract.41. cap.6.n.27.* Emman. Rodriq. *in summ. 2.tom. c.114.* Valerius Reginaldus *in prax. for. pœnit. tom.2. tit.3. tract. 3. lib.30. cap. 5. ex n.52.* Iacob. Gordon. *2.tom. Theol.moral.lib.8. q.4. c.8. n.42.* Less. *de iustit. & jur. lib.2. c.34. dub.28.* Basse. *in flor. Theolog. v. residentia n.4.* Tap. *tom.2. Catenæ mor. lib. 5. q.5. artic.11.* Thom. Hurtad. *de resident. resol. 7. n.12.* Villalob. *2.tom. summæ tract.9. difficult. 18. ex n.1.* Machado *en su perfecto Confessor 2. tom. tract. 9. difficult. 18. docum. 4.* Ægyd. Trullench. *in præcep. Decalog. lib.4. cap.1. dub. 8. ex n.2.* Paul. Layman. *3.tom. Theol.moral. tract.1.c.6.q.2.n.3.* Gerson. *alphabet.24. lit. Q. & 40. lit. E. & I. & 44. lit. I.* Fagnan. *c.ex parte de Cler. non resid. n. 25.* ubi complures aggerat, aitque hanc sententiam *sequi universam ferè Theologorum scholam,* Natalis Alexan. *theol. dogmat. & moral. lib.2. regul.33.* Thomasin. *de benef. par.2.lib.3. cap.33.n.3. & 4.* Antonius Ciarlas *de libert. Eccles. Gallic. lib.10.cap.7. cap.4.* Franciscus Genettus *theol.moral. tract. 1. de benefic. n.7.* Ioannes Malderus Episcopus Antuerpiensis *in 2.2. D.Thomæ.* Du Hamel *in theol. lib.2. de præcep. Decal. cap.3.* Comitolus *in tract. de resident.* Zegerus Bernardus Van-Espen *jur. Eccles. univers. par. 1. tit. 16. cap. 5.*

Nec prætermittendum est, id pro certo, ac constanti habuisse Eminentissimum Cardinalem Bellarminum singularis doctrinæ, ac eruditionis, & insignis probita-

tis

tis virum in epist. ad Nepotem *contr.*2. ubi post D. Thomam, ac Sotum probat, in beneficiis, quibus animarum curatio adjuncta est, obligationem residendi ex præcepto divino profluere, validissimis ac efficacissimis rationibus: & adeo hanc opinionem post ultimum canonem Concilii Tridentini omnibus artifisse, ut post ipsum prorsus *innegabilem*, ut ejus verbo utamur, dixerit Villalobos 2. *tomo summæ tract.* 9. *diff.* 18. *ex n. p.*

Sed quamvis Sacrosancta Oecumenica Synodus tantopere insudaverit, ut vitiis, quæ in ordinem Ecclesiasticum jampridem irrepserant, quæq; Ecclesiam Dei tam male habebant, remedium aliquod adhiberet, utque assiduitatem, quam in beneficiis canones requirunt, tam in iis, quibus animarum cura imminet, quam in cæteris omnibus, ut postea demonstrabimus, in usum revocaret, remotis obstaculis, quæ ei impedimento esse poterant; irritus ejus labor fuit. Quotus enim quisq; ea servare, quæ saluberrimo Reipublicæ Christianæ consilio, a venerabilibus Patribus constabilita fuerunt, in animum inducit? Quis non videt docendi munus adeo sperni, ut populi verbo Domini non aliti, esurientes languescant, & apud nos accidat, quod vates eventurum prædixerat: Amos 8. *emittam famem in terram, non famem panis, neq; sitim aquæ, sed audiendi verbum Domini, & commovebuntur a mari usq; ad mare, & ab Aquilone ad Orientem circuibunt quærentes verbum Domini, & non invenient.* Sane adversus eos, qui reditus Ecclesiasticos in suum compendium vertentes, non tamen implent quod ad eorum officium pertinet, ita excandescens invehitur Ezechiel c. 24. *Væ pastoribus Israel qui pascebãt semetipsos. Nonne greges a pastoribus pascuntur? lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod crassum erat occidebatis: gregem autem meum non pascebatis. Quod infirmum fuit non consolidastis: quod ægrotum non sanastis, & quod confractum est non alligastis: & quod abjectum est non reduxistis, & quod perierat non quæsistis: & cum austeritate imperabatis eis, & cum potentia. Et dispersæ sunt oves meæ eo quod non esset pastor: & factæ sunt in devorationem omnium bestiarum agri: erraverunt*

greges mei in cunctis montibus, & in universo colle excelso, & non erat qui requireret, non erat, inquam, qui requireret. Propterea pastores audite verbum Domini. Vivo ego, dicit Dominus Deus, quia pro eo, quod facti sunt greges mei in rapinam, & oves meæ in devorationem omnium bestiarum agri, eò quod non esset pastor, ecce ego ipse super pastores requiram gregem meum de manu eorum, & cessare eos faciam, ut ultra non pascant gregem, ne pascant amplius pastores semetipsos, & liberabo gregem meum de ore eorum, & non erit ultra eis in escam. Sed inanibus querelis valere jussis, ad beneficia, quæ vocant simplicia, progrediamur.

Hæc quidem beneficia in duas classes dispertiuntur, quarum una est eorum, quę ad Hierarchiam nullo modo spectant, altera eorum, quæ sub hierarchicorum genere continentur; quorum munera, functiones, & officia necessaria sunt ad curam, & ad administrationem gregis Christi; licet eis animarum curatio non sit annexa, in quorum censu sunt iis attributa, qui operam suam, ac ministerium præbent, Episcopis, Parochis, aliisque curandorum animorum sarcina oneratis. Certè, qui hujus generis beneficia possident, ad assiduitatem, sive residentiam, & per se officium suum administrandũ, jure Divino tenentur, quemadmodum suis muneribus obeundis sunt obstricti Episcopi, aliique pastorum numero accensiti; ut optimè definit Claudius la Place de singularit. benefic. cap. 3. §. 3. argum. 2. *Sequitur pari necessitate, ac vi divinæ institutionis Christi, cætera quoque beneficia ad Hierarchiam proprio munere, ac ministerio pertinentia (uti videlicet Episcopis, & Presbyteris curam ipsam animarum pastorali munere gerentibus ministrent in illa cura, & pastorali functione, ideoque portionem habeant bonorum Ecclesiæ, obventiones, ac prædia sacra suo ministerio attributa, & addicta) præcepto Divino, ac jure Divinæ institutionis, sui ministerii, atque ordinis ad assiduam æque residentiam, & functionem personalem obligari. Nonne officium illorum institutum est in opus ministerii, huncque in finem a Christo Ecclesiæ dati? aut ostendant, atque exhibeant contra jus istud, legemque Divinæ institutionis suæ, privilegia sibi a Christo præter ordinem,*

ordinem, ac jus commune cæterorum, concessa. Duo sunt Cleri in Ecclesia, teste Petro Apostolo 1.Petri 5. vers. 3. in his verbis μηδ' ὡς κατακυριεύοντες τῶν κλήρων, *neque ut Dominantes in Cleris*: quorum alter ὁ κλῆρος τοῦ φωτὸς, *Clerus luminis*, sub quo & laici continentur, etiam vocati a Christo, εἰς τὴν μερίδα τοῦ κλήρου, *in partem Cleri, sive sortis Sanctorum in lumine*: alter ὁ κλῆρος τῆς διακονίας, *Clerus ministerii*: horum *loca* sunt *ministerii, opus* est *ministerii* officium eorum, Act.1.25. ad Ephes.4.12. qui cum promoventur, dicuntur, *accipere locum ministerii hujus, & sortiri sortem ministerii hujus*. Act. 1. 17.25. ἔλαχον τὸν κλῆρον τῆς διακονίας, *sortiti sunt Clerum ministerii*, Act.1. 17. Hi omnes, nisi officium ritè, fideliter, ac religiosè in Ecclesia peragant; ad ipsius reditus jus nullum habere poterunt, ut latè probat idem Claudius la Place loco cit. ex jure Divino, & Christi institutione.

Quibus cognatissimum est, quod tradunt Theologi de Sacerdotiis, quæ vocant *servitoria*, nempe quæ habent aliquod onus annexum pro altaris ministerio, quæ sejungunt ab iis, præstimoniorum nomine ab ipsis nuncupatis, *quæ sunt*, ut ait Vasquius de benef.cap.4. §.2. art.2. *quædam portiones assignatæ Clericis, titulo tantum Clericali, atque spirituali, non tamen pro altaris ministerio, sed ad studium*. His præditos Beneficiarios, quidquid sit, an iure Divino per se ministrare, ac assidui esse in munere suo debeant, de qua re infra differemus; plane jure naturali ad id compelli, explorati juris est, ut docent Angelus verbo Clericus 7.§.1. Sylvester verbo residentia qu.2. Gabriel in 4. dist. 15. qu. 8. art.3. dub.2. Navarrus in summa latina cap.25. nu.120. quibus subscribit Vasquius d. cap. 4. §.2. dub.1. qui hanc rationem reddit: *Ratio est manifesta, quia istis ex officio incumbit officia divina celebrare, & cultum Divinum augere: ergo abesse non possunt a beneficio: cumque hæc obligatio sit personalis, sicut recitandi; videtur, quod per alium officium præstare non liceat: non enim stipendium, & fructus sunt assignati, ut per alium quis exequatur officium suum: quo enim jure, quave ratione, quis assumit obligationem, & officium, quod per alium præstare debet? & sicut ex stipendio colligimus Pa-*

florum præsentiam, sic etiam aliorum Beneficiariorum rectè colligitur, & ita sine rationabili causa, quæ ratione majoris utilitatis, vel necessitatis hanc excuset residentiam, nemo potest a beneficio abesse. Quod adeò verum est, ut iidem Auctores docuerint, nulla consuetudine induci posse, ut a residendo sint immunes hi Beneficiarii; eisdemque legibus residentiæ omninò ipsos subjacere, quibus Pastores subjacent.

Porrò maxima ex parte Regni beneficia hujus naturæ, ac conditionis sunt, ut propterea nihil sit, quod ea obtinentes residendi obligatione possit absolvere. Tota igitur quæstio redacta est ad reliqua beneficia simplicia, quæ inter hierarchica, aut *servitoria* annumerari non possunt; quæque a residendi necessitate eximere conantur Beneficiarii desides segnesque, qui ad scopulum hunc passim offendunt, atque impingunt, sacris Canonibus illudentes.

Quod attinet ad cætera hujusmodi Sacerdotia, si rem altius velimus exordiri; ac repetere a Christo, & ejus Legatorum, nempe Apostolorum temporibus; & quæ origo, quis finis, & usus facultarum Ecclesiasticarum inspicere; *quamquam*, ait Augustinus, *habebat Dominus loculos a fidelibus oblata conservans*, attamen idem subdit, *suorum necessitatibus, & aliis indigentiis tribuebat*: quippe ut patet ex Ioannis 13. exceptis iis, quibus ob victum, vestitumque Salvator noster, ac ejus Sectatores indigebant, cætera pauperibus dispensabantur.

Eundem morem, Christo in Cœlum sublato, sectati sunt Apostoli, qui quod ex primitiis, & oblationibus fidelium colligebatur, & ex pretio domorum, ac prædiorum, quæ Christiani distrahentes, quicquid ex eorum venditione redactum fuerat, illis offerebant in commune conferendum; ut constat ex Luca, & epistola, quam vulgò tribuunt Clementi, *can. dilectis* 12. *qu.* 1. quod cur egerint, explicat Melchiades, *can. futura* 12. *qu.* 1. in duos tantùm usus impendere, ac erogare soliti fuere: vel ut sibi, aliisque, qui Evangelii prædicationi vacabant, alimenta sufficerent: vel ut pau-

peres,

peres, egentesque sustentarentur.

Sed postquàm a bonorum communione fuit recessum, & utilius visum fuit, prædia, possessionesq; Ecclesiis matricibus tradi, quorum fructus quemadmodũ & aliæ oblationes, ac obventiones, erant in Episcopi potestate, ut Apostolorum Canones statuunt, *can. præcipiunt* 12. *q.* 1. *can. pervenit* 16. *qu.* 7. ita tamen ut eas res ut plurimùm, nõ per se ipsum dispensaret, & administraret, sed per Diaconos, Hypodiaconos, Oeconomos, ac Defensores, *can. Episcopus* 12. *qu.* 1. *can. vobis* 12. *qu.* 2. nihilominus distribuendi modus immutatus non fuit; partim enim attribuebantur Clericis, & Ministris Ecclesiarum, *d. can. pervenit*, quorum erat ut plurimum, communis vita, & conversatio, *can. quia tua, can. scimus, can. nolo, can. non dicatis* 12. *q.* 1. partim ob alendos pauperes, quorum ingens erat numerus, consumebantur. Solebant autem Clerici, qui foris extra urbem, in pagis, ac vicis sacro ministerio adscripti, moram trahebant, & quibus cum Episcopo, aliisque Ecclesiæ militibus communis mensa non erat, nec convictus, ad quod non adigebantur inviti; singulis mensibus meritam stipem ab Episcopo, ejusque ministris accipere: qui propterea a S. Cypriano *Sportulantes fratres* vocantur, & illorum portiones pro meritis majores, aut minores, *sportulæ*, & *divisiones mensurnæ*, hoc est *menstruæ* epist. 66. ad Clerum, ac plebem Furnitanorum, epist. 34. ad Clerum, & plebem de Cœlestino Lectore: quamvis inter sportulas, & mensurnas portiones, distinguat Lupus in schol. ad can. 10. Concil. Tholos. sub Victore II. qui de hac re universa omnino est consulendus.

Cum autem non ex bona fide, aliqui in horum redituum administratione versarentur, ut huic gliscenti nequitiæ obviam iretur, inductum fuit, ut in quatuor partes oblationes, ac aliæ quæcunque obventiones dividerentur; quarum unam pauperes acciperent, alteram Clerici, qui munia sua in Ecclesiis obibant: tertia in restaurationem Templorum converteretur: quarta demum reservaretur Episcopo ob peregrinos hospitio ex-

cipien-

cipiendos, *can. vobis, can. vulturana, can. concesso, can. quatuor, & seq.* 12. *qu. can. præsul* 16. *q.* 3. licet hæc distributio ubique non esset æqualis.

Denique cum hic partiendi modus obsolevisset, singulis ministeriis certi reditus assignati, quibus Ministri tanquam re propria fruerentur, eosque sibi arbitrio suo administrarent, sine ullius aut Diaconi opera, aut Episcopi auctoritate; quibus beneficiorum nomen inditum fuit exemplo ducto a feudis, quæ beneficia appellabantur: eò quod, ut Symmachus inquit epist. 5. ad Cæsarium Arelatensem Episcopum, Clericis *honorem meritis* tantummodo possessiones istæ concederentur.

Nondum tamen a priscis, & antecedentibus seculis, adeo degeneraverant mores, ut beneficia tanquam dignitates propriæ, aut honores haberentur; sed potius ministeria censebantur, & ut vocat Divus Paulus, operæ, quas præstantes, a Christo operarii dicti fuere: unde efficiebatur, ut nemini in mentem posset venire, ut aliquo emolumento frueretur, qui per semetipsum ministerium suæ Ecclesiæ non exequeretur, itaut nec vicaria aliorum opera in hoc uti fas esset, *cap. nonnulli de Cleric. non resid. cum indignum sit*, ut Innocentius ait, *conductitiis Presbyteris Ecclesiam committi* 21. *qu.* 2. *can. ult.* & hoc sive de beneficiis, quæ prius *verbi* nuncupabantur, nunc vulgari vocabulo *curata*, sive de simplicibus agetur. Enimverò ait Claudius la Place cap. 1. præcognit. 32. *Ita hoc argumentum de beneficijs Ecclesiasticis apud veteres tractatum offendimus, ut ministerii mentio fiat non proventus, aut dispendij; at postquam honos unus affectari cœpit, & quæstus est habita ratio magis, quam muneris, aut officii, una cum moribus hominum mutata est loquendi ratio; solebant ex. g. ita disputare antiquiores, ut quærerent quis Ecclesiæ Ministrum ordinare, & quis ordinari deberet; recentiorum verò quæstiones hæ sunt vulgò usitatæ, quanti sint reditus, quæ prædia, quibus viis haberi, obtinerique possint.*

Ex his liquidissimè constat, sive quod Christus & Apostoli exemplo ostenderunt inspiciamus, sive quod conse-

quen-

quentibus temporibus, & per tot secula ab Ecclesia observatum fuit; non potuisse beneficium ab officio separari, nec beneficio frui, qui in Ecclesia non resideret, quamvis esset eorum naturæ, quæ hodie inter simplicia beneficia reponuntur.

Sed & leges penè omnes antiquæ Ecclesiasticæ disciplinæ eò spectabant: ac in primis non poterat quisquam Clericus ordinari simpliciter, & absolutè ἀπολελυμένως, ut Paulus loquitur, quin adscriberetur, & ut loquitur *can.3. d. tit. & can. Sanctorum 7. dist.* quin intitularetur Ecclesiæ certæ; neque ex ejus reditu ali poterat, nisi si quis in ea aliquo munere fungeretur: adeout nullum esset beneficium sine officio, quò verba Bonifacii Summi Pontificis referenda sunt *in d. c. ult. de rescriptis in 6. & officium plerumque, propter quod beneficium ecclesiasticum datur, omittitur.*

Quod expressim cautum fuit in Concilio Chalcedonensi Oecumenico can.6.*nullum absolutè ordinari debere* μηδένα ἀπολελυμένως χειροτονεῖσθαι, *neque Presbyterum, neque Diaconum, neque omnino quemquam in ordine Ecclesiastico, nisi specialiter in Ecclesia Civitatis, aut pagi, aut in martyrio, aut monasterio is, qui ordinandus est, pronuncietur*, ἐπικηρύττοιτο, *qui verò absolutè ordinantur, decrevit Sancta Synodus irritam habere* ἄκυρον ἔχειν, *hujuscemodi manus impositionem, & nusquam posse ministrare* ἐνεργεῖν, *ad ordinantis injuriam*. Quem Canonem Carolus Magnus, lapsam apud Gallos Christianitatem reparans, ut ait Christianus Lupus in scholiis ad sextum Canonem Chalcedonensem, restituit in Capitulari Aquisgranensi: *ut nullus absolutè ordinetur, & sine pronunciatione, & stabilitate loci, ad quem ordinatur.*

Hujus Sacrosanctæ Synodi vestigiis institisse omni tempestate Concilia, nemo vel mediocriter in rebus ecclesiasticis versatus est qui nesciat, ut patet ex Synodo Francofordiensi ibi: *ut non absolutè ordinentur*. Hinc incerto titulo vagantes Clericos compesci ab Episcopis, & ad certam Ecclesiam, aut Monasterium cogi, cautum est in 4. Toletano. Verba hæc sunt Concilii Placentini habiti

an.

an. 1095. sub Urbano II. a Gratiano, & B. Antonino transcripta: *Sanctorum Canonum statutis consona sanctione decernimus, ut sine titulo facta ordinatio irrita habeatur, & in qua Ecclesia quis intitulatus est, in ea perpetuò perseveret*. Quod non attinebat, nisi ad ordinum exequutionem, ut notat Thomasin. *de benef. p. 2. lib. 1. c. 9.* Eodem anno Concilium Claromontanum statuit, ut omnes ordines sub titulo unius Ecclesiæ uni conferrentur, can. 15. & 18. *ut omnis Clericus ad eum titulum, ad quem primum est ordinatus, semper ordinetur*. Quibus præcesserat Concilium Melphense anno 1089. sub eodem Pontifice, quod summoperè incubuit in abolendum novum genus Clericorum acephalorum, qui Optimatum, Principumque in Aula immorabantur, eorum obsequiis addicti, ut ex Canone 9. ibi: *quia novum hoc tempore Clericorum acephalorum genus emersit, qui demorantur in Curiis, & viris, & fœminis ad sui ordinis dedecus subditi, &c. prohibemus ne quis retineat hujusmodi*: ut proinde mirandum non sit, si idem Urbanus II. epistola 17. in append. generatim responderit, ordinationem sine titulo sacris Canonibus esse adversam, quamvis Episcopo Tullensi, ut suæ Ecclesiæ necessitatibus succurreretur, indulserit, ut aliquos posset retinere, qui sine titulo instituti fuerant: *de his qui sine titulis ordinati sunt, licet hujusmodi ordinatio Sanctorum Canonum sanctioni contraria iudicetur, &c.* Et Hincmarus Laudunensis Episcopus cum Hincmaro Metropolita Rhemensi, a quo coarguebatur, quod Canonem Chalcedonensem infregisset, propter ordines absque titulo collatos; ita se purgaverit: *Scio nec nos aliter unquam ordinasse, quod si fecissem irrita haberetur manus impositio, nec ministrare ordinatus ad meam posset iniuriam*.

Sufficiat his adjunxisse Concilium Londinense anni 1125. cujus Canon 8. in hanc sententiam conscriptus fuit: *nullus in Presbyterum, nullus in Diaconum, nisi ad certum titulum ordinetur, qui verò absolutè fuerit ordinatus, sumpta careat dignitate*.

Neque in hoc quicquam innovatum fuit Concilio Lateranensi III. anno 1179. sub Alexandro III. can. 5. quam-

quamvis enim eo poenæ decretæ fuerint in Episcopos, qui aliquem in Diaconum, vel Presbyterum ordinarent sine certo titulo; ut nempè ei necessaria suppeditent, nisi *de sua, vel paterna hæreditate subsidium vitæ possit habere*: nihilominus integrum vigorem retinuerunt leges sacræ prohibentes, ne qua fieret sine titulo institutio : quæ licet ad Clericorum substentationem respexerint, ne in dedecus sui ordinis verteret eorum mendicitas, cum præcipuè finem propositum habuere, ut Clerici assiduè sacris functionibus in Ecclesiis sibi assignatis interessent, ut optimè perpendit Thomass. de Benef. part.2.lib.1.cap.9.n.2. *Et sanè priscum illud primum hic observandum est, nequaquam hoc Canone revocari, aut debilitari, tot olim Synodos, tot Canones, tot Decreta, quibus inculcatum fuerat, ne qua fieret sine titulo ordinatio. Vigent ergo etiam num illæ leges sacræ : sed hoc in Concilio pœnæ decernuntur in Episcopos, qui Presbyteros, vel Diaconos ordinaverint sine titulo, sine Patrimonio, jussis Episcopis, ut eorum ipsi provideant sustentationi. Et sanè priscum illud, ac sollemne statutum de non ordinandis sine titulo, vel sine Ecclesia Clericis, duabus nitebatur gravissimis causis. Altera erat, quæ ad temporalem spectabat Clericorum sustentationem; altera autem longe potissima causa erat, ipsa Clericorum residentia jugis, & indefessa assiduitas ad Ecclesiasticas functiones. Clericus sine titulo ordinatus, inopia premebatur, eique consulit Concilium assignato, vel Episcopi censu, vel Clerici ipsius patrimonio. Sed aliud erat præterea quod in eo desideraretur, nimirum munus, & officium aliquod juge, quo suam, & aliorum salutem infatigato studio procuraret : idque mox dicemus a posterioribus Conciliis maximè provisum, accuratumque fuisse.*

Hanc disciplinæ corruptelam has ordinationes, quæ fierent absolutè, in Belgium invexisse Alexandrum Leodiensem Episcopum, sed meritas luisse pœnas, testis est Christianus Lupus loco citato. *Primus apud nos absolutè ordinare ausus, quod prius nunquam in more habuerat, vel in illa, vel in alia Civitatis Ecclesia, fuit, teste Magno Belgii Chronico, Alexander Leodiensis Episcopus, ab Innocentio II. dejectus in Synodo Pisana. Grassari tunc pedetentim cæpit ista prævaricatio,*

nec per Alexandrum III. Pontificem in Synodo Lateranensi plene eradicari valuit, da que istic plura.

Idcircò autem ordinari non poterant Clerici sine certo ministerio, ac titulo Ecclesiastico, cui essent illigati, ac velut mancipati; ut suis ministeriis assidue in Ecclesiis perfungerentur.

Eadem de causa tot aliis Conciliorum Occumenicorum, & juris Canonici locis cautum extat, ut Clerici in aliqua Ecclesia inscripti, qui in ea beneficia tenent; non possint evagari, non possint ab ea discedere,& in aliam Ecclesiam se conferre,ibiq;ministerio Ecclesiastico se implicare, Ecclesia sua derelicta:non esse ab Episcopis alterius diœcesis recipiendos: si canonicis sanctionibus non obtemperaverint, utrumque tam Episcopum,quam Clericum pœnis in iis expressis subjici, nisi si peregre proficiscantur, aut ad alias Ecclesias se transferant præcedentibus literis commendatitiis sui Episcopi, vel Metropolitani, vel Patriarchæ. Hæ autem epistolæ commendatitiæ ex secunda ad Corinthios *cap.* 3. nuncupantur συστατικαί, ut Justiniani Novella 6. *& can. Apostolorum* 12.*&* 33. & Sardicensis Synodi *can. nono, & cap.*3. *de cler. pereg.can. dua sunt* 19. *q.*2. quas etiam appellant εἰρηνικάς, idest ut Cujac. explicat, *sequestres pacis, qua pacem afferunt,& conciliant.* Antiochenæ Synodi *can.*7. *&* 8. vocat & dimissorias, sive ἀπολυτικάς,*can.ult.*7 2. *dist.* & Constantinopolitanæ Synodi habitæ in Trullo, quod erat palatium Imperatoris *can.*17.Equidem Conciliorum canones, quibus hæc omnia sunt constituta; si quis eos velit enumerare, justum volumen desiderent. Nihil frequentius occurrit in canonibus Apost.quorum præcipue legendi sunt *can.*15.*&* 16. Et in Conciliis Arelatensi I. sub Sylvestro I. Pontifice, *de Presbyteris, aut Diaconibus, qui solent dimittere loca sua, in quibus ordinati sunt, & ad alia loca se transferunt, placuit, ut his locis ministrent,quibus præfixi sunt, qui si relictis locis suis ad alium locum se transferre voluerint,deponantur:*& Nicæno Oecumenico 7.can.10.*quoniam quidam Clericorum parvipendentes canonicam constitutionem,*

relin-

relinquunt Parochiam propriam τὴν ἑαυτῶν παροικίαν, *& ad alias convolant, & maximè in hac a Deo servanda Regia urbe sese apud Principes locant in eorum Oratoriis missas facientes,* τὰς λειτουργίας ποιοῦντες: *hos absque proprio Episcopo, & Constantinopolitano Antistite non licet suscipere in qualibet domo, vel Ecclesia: quod si hoc fecerit, & ita perseveraverit, deponatur.* Quod idem offenditur sæpissimè in Antiocheno, in habito in Trullo, Carthaginensi, Sardicensi, & aliis celebratis tam in Hispaniarum, quam in Galliarum provinciis, quæ peti possunt ex Antonio Augustino in epitome juris Pontificii lib. 7. tit. 10. 11. 12. & lib. 8. tit. 30. 31. & 32. Nihil magis repetitum in Pontificum epistolis, è quibus Leo epist. 85. ad Nicet. Aquileensem Episcopum in fine: *illam partem Ecclesiasticæ disciplinæ, qua olim a Sanctis Patribus, & a nobis decretum est, ut nec in Presbyteratus gradu, nec in Diaconatus ordine, nec in subsequenti officio Clericorum ab Ecclesia ad Ecclesiam cuique transire sit liberum, ut in integrum revoces, admonemus, & unusquisque non ambitione illectus, non cupiditate seductus, non persuasione hominum depravatus, ibi ubi ordinatus est, perseveret.* Gelasius epist. 1. c. 23. *quisquis propriæ desertor Ecclesiæ, nullis extantibus causis, ad aliam putaverit transeundum, temereque susceptus fuerit, atque promotus, reverendorum Canonum, vel ipse, vel receptor eius, aut provector constituta non effugiat, quæ de huiusmodi præsumptoribus præfixere servanda.* Nihil magis in Gratiani decreto, & in volumine decretalium, ut videre est ex causa 2. q. 1. can. 24. can. 23. can. 25. & 26. can. 4. Clericus dist. 71. & can. ult. 71. dist. ubi ex Synodo Antiochena hoc transfert Gratianus, *nullum absque formata, quam Græci epistolá vocant, peregrinorum Clericorum suscipi oportere ab Ecclesia:* qui locus ita restituendus est, ut pro epistola, εἰρηνικὴν subiiciamus, sicuti habetur in ipsa Synodo, quod Cujacio fuit animadversum *cap. 5. de Cleric. non resid.* literæ autem commendatitiæ, ibi formatæ dicuntur, ut a Sidonio Apollinari *lib. 6. epist. & in cap. Fraternitatis de Clericis non resident.* in quo agitur de Clericis, qui in Ecclesiis beneficia sunt adepti; & jubetur, ut si ad aliam diœcesim absque li-

centia, & assensu sui Episcopi transierint, possint beneficiis spoliari, *c. literas de temporibus ordin. c. 1. de Clericis peregrin.* Et a Concilio Milevitano can. 20. & Parisiensi sub Ludovico, & Lothario can. 20. can. 36. ibi, *& epistolis, quas mos canonicus formatas appellat*, & Meldensi can. 50. *Presbyteri, vel quilibet Clerici in alterius Parochiam sine formata non recipiantur, neque retineantur, nec etiam administrare sinantur*: quo nomine etiam Græci utuntur Carthaginensis Synodi cap. 23. in quo commendatitiam epistolam, vocant πεπτωμένην, idest *formatam*, hoc adiecto τὴν παράκλησιν, idest *intercessionem*. *Quo exemplo*, ait Cuiac. d. cap. 5. *fretus recte dices, sine intercessione sui Episcopi, Clericum, sua Ecclesia deserta, non posse adspirare ad aliam, non posse recipi in alia.*

Sed omissis aliis Conciliorum, & juris Pontificii constitutionibus, ut brevitati consulamus, de quibus Ivo, Burchar. August. iuuat recensere aliquot Synodi Chalcedonensis capita, in qua Patres nihil antiquius habuerunt, quam ut hic mos Ecclesiæ vetustissimus, omnino servaretur, nihilque ab iis fuit toties inculcatum. Quod eò libentiùs facimus, quod ex his, quæ in præfato Concilio sancita fuere, lucem accipit canon Concilii Tridentini, de quo inferius erit agendum. Illius can. 20. ita statuit, *Clericos in Ecclesia ministrantes (sicuti jam constitutum est) in alterius Civitatis Ecclesia ordinari, seu collocari non oportet,* ἀλλὰ στέργειν ἐκείνην ἐν ᾗ ἐξ ἀρχῆς λειτουργεῖν ἠξιώθησαν, *sed ea contentos esse, in qua ab initio digni habiti sunt, qui ministrarent, exceptis ijs, qui sua amissa patria ex necessitate ad aliam Ecclesiam transeunt; si quis autem Episcopus post hanc definitionem susceperit Clericum ad alium Episcopum pertinentem, placuit & susceptum, & suscipientem communione privari, donec is, qui migraverat Clericus, ad propriam fuerit regressus Ecclesiá.* Quę sanctio relata in rhapsodiam Gratiani dist. 71. c. 4. & repetita in Aquisgr. 87. Triburiensi 28. ejusque obliti non fuere Ivo par. 9. cap. 362. Ansel. lib. 6. cap. 125. Cæs. lib. 4. cap. 100. ei, & concinit can. 10. Antiocheni, cuius verba referuntur causa 7. qu. 1. can. 24.

Si

Si quis Presbyter, vel Diaconus a deserta sua Ecclesia ad aliam esse transeundum crediderit, & ibi paulatim tentet, quo migravit perpetuo manere, ulterius ministrare non debet, præsertim si ab Episcopo suo ad revertendum fuerit exhortatus; quod si post exhortationem sui Episcopi non obedierit, quod inobediens perseveraverit, omnimodo ab officio suo deponi debere, nec aliquando spem restitutionis habere: si verò propter hanc culpam depositum alius Episcopus susceperit, & ipse a communi Synodo pœnam merebitur increpationis, tanquam ecclesiastica jura dissolvens. Item in can. 5. ejusdem Synodi Chalcedonensis exprimitur, quod etiam transcribitur Aquisgranensis sub Ludovico can. 24. & Capitularium lib. 1. cap. 24. & 7. qu. 1. can. 26. propter eos; *de his, qui transmigrant de Civitate in Civitatem Episcopis, aut Clericis, placuit, ut canones, qui de hac re a Sanctis Patribus statuti sunt, habeant firmitatem*. Idem in can. 13. qui vulgò ita legitur Ξένους καὶ κληρικοὺς καὶ ἀναγνώστας ἐν ἑτέρᾳ πόλει δίχα συστατικῶν γραμμάτων τοῦ ἰδίου ἐπισκόπου, μηδὲ ὅλως μηδαμοῦ λειτουργεῖν, idest *peregrinos Clericos, & Lectores extra Civitatem suam, sine commendatitiis literis proprii Episcopi, ministerio Ecclesiastico fungi non posse*; qui locus planè corruptus in voce ἀναγνώστας: etenim nulla ratio erat, cur Lectores tantummodo memorari deberent, quasi veri Clerici non essent, vel ad eos solos prohibitio pertineret, ideoque illius loco reponendum est ἀγνώστους, ut ex Zonara emendat acutissimus Cuiacius, *peregrinos Clericos, & ignotos sine commendatitiis literis*. Et eadem correctio adhibenda est in can. extraneos 71. dist. in quo legitur: *Extraneo Clerico, & Lectori*, cum reponendum sit *extraneo Clerico, & ignoto*, ex incuria Latini Interpretis, cui tamen ignoscendum, cum ei mendosus Concilii locus, a quo ea verba traducta sunt, imposuerit.

Ex hac Conciliorum, & Canonum strictissima prohibitione, ne Clerici suas Ecclesias, quibus semel fuere ascripti, derelinquant, ne aliò pergant, aut discurrant, neve sine commeatu sui Episcopi, aut literis canonicis in alia Ecclesia, aut Diœcesi suscipiantur, ex pœnis contra Clericos desertores inflictis, evidentissimè apparet, etiam in

sim.

simplicibus beneficiis exigi, ut qui ea obtinent, Ecclesiis, quorum stipendiis aluntur, operam dent. Quod advertit Claudius de la Place *de singul. benef, cap. 1. præcogn. §. 2. Quorsùm ista inter alias diligens, & provida Ecclesiæ disciplina de perpetua addictione Clericorum suis Monasteriis, ac titulis Ecclesiasticis? nisi quoniam in id unum intendunt mentem, & oculos, ut sui muneris, illi omnes, & attributæ Provinciæ, curam religiosè, & impensè gererent, nec officium unquam boni Clerici in illo ministerio suo, & statione quasi militari desererent.*

Nimirum vetitæ erant hujuscemodi transfugarum, ac desultorum Clericorum migrationes, ne ab Ecclesiis suis, vel momento abessent, ut in eis perpetuò residerent ac indesinenter; ut ex Concilio Arelatensi can. 2. & 21. *in quibuscumque locis ordinati fuerint ministri, in ipsis perseverent*: & ex libello supplici monachorum adversus Nestorium in Actis Concil. Ephes. 1. *par. 1. cap. 30.* ex quo patet, idcircò non potuisse Clericos, ac Beneficiarios unius Ecclesiæ in alia Civitate degere; quia secundum Canones in sua Ecclesia, in qua locari ab initio fuerant, tenebantur jugiter permanere: *Opera utitur Clericorum quorumdam ab externis parœciis, & Diœcesibus ascitorum, quibus tamen secundum Ecclesiasticos Canones in alieno Episcopatu, vel Ecclesia degere non licet, sed iis solum locis, & Civitatibus, idque quiete, quibus ordinati sunt*. Qua in re cum iis adeò rigidè, ac severè agebatur, adeò stricta erat lex residentiæ, ut non modò in aliena Civitate immorari non possent, nisi id Episcopus concessisset ex justa causa; quemadmodum liquet ex Concilio Carthagin. 3. can. 36. *Ut Clerici in aliena Civitate non immorentur, nisi causas eorum justas, Episcopus loci, vel Presbyteri locorum perviderint*: & ex Sardicensi can. 3. in quo cum Episcopus Thessalonicensis plerosque Presbyteros, & Diaconos alienarum Diœceseon in sua Civitate, nectendo moras feriari conquestus fuisset, id non permisit Sancta Synodus; tum verò definitionem protulit apertissimam, qua declaravit, Clericos eadem lege residentiæ, ac Episcopos obligari, & constringi. *Universi*

dixe-

dixerunt, & tempora quæ constituta sunt circa Episcopos, & circa has personas observari debent: sed nec etiam itineri se committere absque licentia, & commeatu Episcopi, ut ex 1. Turonensi can. 12. *Clerici non absque Sacerdotum suorum commendatione ad alias provincias, seu Civitates ambulare disponant*:& clariusex Laodiceno can. 42. *Non oportet Sacerdotem, vel Clericum, sine jussione sui Pontificis iter ingredi*, & Cabilonensi 2. in quo prohibentur Clerici Romam petere, vel Cæsarodunum Turonum Episcopo invito, aut inconsulto, can. 44. & 45: *Romam sive Turonum, absque licentia Episcopi sui adire, penitus decrevimus inhibendum*: Antiocheno c. 36. de consecr. dist. 5. *non oportet ministros altaris*, idest Sacerdotes, ut Ivo rectè exponit par. 6. *vel alios Clericos sine literis Canonicis sui Episcopi iter facere, aut peregrè proficisci*. Ubi vulgo additur, idem & laicos servare debere, quam scripturam, etsi etiam Ferrandus sequatur, tamen optimè ait Cujacius d.c.5. de Cleric. non resid. *caret & auctoritate, & ratione, ut laici non possint peregrè proficisci sine commeatu sui Episcopi*.

Quin & quibusdam Synodis necessitate subditi sunt Clerici, cum ordinarentur, juratò spondendi, se nunquam locum deserturos, nunquam ab Ecclesia, cui se devoverant, abituros; & Episcopi præceptis se parituros, ex earumdem præscripto, Sacramentum ab iis emittebatur, ac fiebat professio, ut ex Valentino can. 5. & 6. *Hoc etiam placuit, ut vagus, ac instabilis Clericus, sive etiam in Diaconi ministerio, vel Presbyteri officio constitutus, si Episcopi, a quo ordinatus est, præceptis non obedierit, ut in delegata sibi Ecclesia officium dependat assiduum, quousque in vitio permanserit, & communione, & honore privetur, &c. Sed nec illum Sanctorum Sacerdotum quispiam ordinet, qui localem se futurum primitus non spoponderit*. Quod & relatum in Capitularia, *ut Presbyteri, qui in titulis consecrantur, secundum Canones, antequam ordinentur, promisionem stabilitatis illius loci faciant*; & lib. 5. cap. 366. *quando presbyteri, vel Diaconi per parochias constituuntur, oportet eos professionem Episcopo suo facere*: & innovatū Matisconensis can.

10.

10.& Narbonensis can. pariter 10. *definitum est, ut nullus audeat Clericorum ordinationem sui Episcopi contemnere, sed ubi ordinatus fuerit, ambulare debeat cum gratia, & obedientia, & quæ iniuncta fuerint agere.* De quo Canone Narbonensi ita Thomasinus. part. 2. lib. 1. cap. 4. num. 5. *hanc obedientiam devovebant Clerici Episcopo eos ordinanti, Ecclesiæ ministeriis jugiter inhærere, residere, Episcopalibus decretis mores, vitamque accomodare.*

Exinde proveniebat, ut haberentur *tanquam proprij homines* sui Episcopi, tanquam ei devoti, & hominio obstricti, non dissimiles a Vassallis, quo nomine sæpe appellantur in Gregorii Magni Epistolis; quod non fugit Thomasinum part. 2. lib. 1. cap. 4. num. 15. *His Gregorii testimoniis undique conspirantibus, liquet, juxta decreta Canonum, Episcopos non aliter suæ ordinationis Clericos habuisse, sibique vindicasse, quam ut sibi proprios, & devotos, ut suos proprios homines. Ita enim loquitur Gregorius, quasi diceret sollemni hominio, sive homagio Episcopis propriis obligatos: ea quippe vis erat ejus vocis jam tum ævo Gregorii; homines dicebantur, quos postea dixere vassallos*: ut haberentur ac si essent ascripti glebæ. Quo exemplo ducto ex lege *cum satis*, aliisque *sub tit. Cod. de Agric. & censit.* utitur secundum Concilium Hispalense adversus desertores Clericos, & errones, eorumque perfidiam ac vecordiam. *Scribitur enim in lege mundiali de Colonis agrorum, ut ubi esse quisque jam cæpit, ibi perduret; non aliter, & de Clericis, qui in agro Ecclesiæ operantur, Canonum decreto præcipitur, ut ipsi permaneant, ubi esse cæperunt.* Quem locum ita illustrat Thomasinus, part. 2. lib. 1. cap. 4. num. 9. *Intimas hujus disciplinæ causas non silet hoc Concilium. Agricolas quippe leges civiles ita natali solo affixerant, ut nunquam liberum ipsis esset in alias demigrare regiones. Plus suavitatis, dignitatisque erat in ea servitute, quam Ecclesiasticæ leges Clericis indicebant: ager qui colendus injungebatur, amænior, feraciorque, fruges ipsæ æternæ, & incorruptæ. Hinc tanto major cura stabilitatis, & assidui cultus.* Quem Canonem etiam magni faciunt in proposita specie Claudius de la Place de singularitate Benef. cap. 3. §. 4.

§.4. argum. secundo, ubi ait: in eo Canone decretam assiduitatem *assumpta ratione a lege naturali, & Civili*, & Bosquetus ad Innocentium III. *lib. 2. regest. 14. epist. 49.* & censerentur quoque tanquam altaris servi. Unde Ditmarus cum ad Episcopatum evectus, præposituram, quam habebat in Ecclesia, in fratrem ejusdem Canonicum contulisset, vocat eum altaris servum, ut ex his verbis: *hujus altaris servo*, lib. 6. quemadmodum de fratre suo Monacho Corbejensi in Germania ait: *in nova educatus Corbeia, & ejusdem altaris servus*. Et Geron ad Episcopatum Marderburgensem ascitus, prius altari se dedicavit, ac dedidit, quam in communionem fratrum reciperetur: *in Ecclesia se primitus altari tradens, & communionem fratrum decem mansis acquirens*. Et hinc etiam Clerici dicebantur *votum fecisse*. Qua de causa Carolus Magnus ad Regem Angliæ cum remitteret Presbyterum quendam illius gentis, qui in Regis suspicionem venerat, ei rescripsit, visum Gallis Episcopis, eum ablegare ad suum Antistitem, cui professus fuerat se pariturum, & ad Ecclesiam, cui se devovisset: *Visum est nostris Sacerdotibus illum ad sui Episcopi, ubi Deo votum fecit, dirigere judicium*. Scilicet residentiæ lex, quæ pariter tam Monachos, quam Clericos complectebatur, efficiebat, ut illorum instar censerentur, ut ex Agathensi can. 32. *Clericis sine commendatitijs epistolis Episcopi sui, licentia non pateat evagandi; in Monachis quoque par sententiæ fama servetur.*

Quod etiam ex eo eveniebat, quod plerumque ex Synodis cogebantur in unam colligi societatem, eodem modo, quo Monachi communem sub Abbate vitam transigebant, ut perspicitur ex Concilio Verno can. 11. & 12. *De illis qui dicunt, quod se per Deum tonsurassent, placuit, ut in Monasteria sint sub habitu regulari, aut sub manu Episcopi, sub ordine Canonico*. Quinimmo Iustinianus Novella 3. cap. 2. argumentabatur, quod non liceret Monachis, nempe de uno in aliud Monasterium transire; multo magis vetandos Clericos, quasi strictior lex hos suis Ecclesiis defigeret. εἰ γὰρ ἐπὶ τῶν εὐαγῶν μοναστηρίων κωλύομεν, ἐξ

D ἑτέρου

ἑτέρου μοναστηρίου πρὸς ἕτερον μεταβαίνειν, πολλῷ μᾶλλον οὐδὲ τοῖς ἐπιλαβεστάτοις κληρικοῖς τοῦτο ἐφήσομεν, κέρδους τε καὶ ἐμπορίας ἀπόδειξιν ἔχειν τὴν τοιαύτην ἐπιθυμίαν ἡγούμενοι. Nam si prohibemus ex uno Monasterio in aliud transmigrare, multo magis neque Clericis hoc permittimus, lucri, & negotiationis habere demonstrationem, hujusmodi horum desiderium judicantes: de quo & alibi.

Notissima loquendi formula, ac antiquissima, inter Episcopum, & Ecclesiam iniri spiritale connubium. In collatione Carthaginensi, Petilianus Constantiniensis Donatistarum Episcopus, Ephesinæ Synodi decretum de Eustathio Pamphyliorum Metropolita, & hujus Synodi Canon 15. mentionem faciunt de Cathedris, aut Ecclesiis viduatis; at verò *viduitas*, ut rectè advertit Hincmarus *conjugium supponit*. Sed non minus quam Episcopi, Clerici Sponsi suarum Ecclesiarum dicebantur: ex quo inferebat Hayton Basileensis Episcopus, eos debere illis immobiliter adhærere. Spicileg. tom. 6. pag. 698. *Sciant quia in Ecclesiis, quibus præsunt, sponsi facti sunt, & ideo omni vigilantia, qualiter eas decorent, & eis incessanter deserviant, totius vitæ suæ vigilantiam impendant.*

Ex hac residentiæ lege inviolabili, proficiscebatur quod semper obtinuit, ne quis posset in duabus Ecclesiis, aut earum Catalogo conscribi. Quod expressum est in tot Oecumenicis Conciliis, ut in Conc. Chalc. p. 2. act. 14. can. 10. *ne liceat Clericis in duarum urbium simul Ecclesiis conscribi, & in qua ab initio ordinatus est, & ad quam confugit, quasi ad potiorem, ob inanis gloriæ cupiditatem.* Quod eo respicere, ut Clerici in suis Ecclesiis insistant, ac muneribus suis satisfaciant, satis demonstrant verba sequentia: *τοὺς δέγε τοῦτο ποιοῦντας, ἀποκαθίστασθαι τῇ ἰδίᾳ ἐκκλησίᾳ, ἐν ᾗ ἐξ ἀρχῆς ἐχειροτονήθησαν, καὶ ἐκεῖ λειτουργεῖν. Hoc autem facientes, revocari debere ad suam Ecclesiam, in qua primitus ordinati sunt, et isti tantùm ministrare.* Quemadmodum non posse quem Ecclesiæ proventibus frui, cui non ministret, constat ex eo quod subiicitur; *Si verò jam quis translatus est ex alia in aliam Ecclesiam, prioris Ecclesiæ, vel martyriorum, quæ sub ea sunt, aut Ptochodochiorum, aut Xenodochiorum rebus in nullo communicet.* Qui verò

secus

fecus faxit, eum Synodus exauctorationis pœna ulcifcitur: *eos verò, qui ausi fuerint post definitionem magnæ, & universalis Synodi, quidquam ex his, quę nunc sunt prohibita, perpetrare; decrevit Sancta Synodus a proprio gradu excidere*. Cui adde Canon. 20. alias 19. & in Concilio Nicæno 2. act. 8. can. 15. κληρικὸς ἀπὸ τοῦ παρόντος μὴ κατατασσέσθω ἐν δυσὶν ἐκκλησίαις· ἐμπορίας γὰρ καὶ αἰσχροκερδείας ἴδιον τοῦτο, καὶ ἀλλότριον ἐκκλησιαστικῆς συνηθείας: *Clericus ab instanti tempore ne connumeretur in duabus Ecclesijs. Negotiationis enim est hoc, & turpis lucri proprium, & ab ecclesiastica consuetudine alienum*. Quod ob residentiam potissimum pronunciatum fuisse, & hanc ex Apostolicis, & Divinis dogmatibus dimanare, ex adiecta clausula patet: ἠκούσαμεν γὰρ ἐξ αὐτῆς τῆς κυριακῆς φωνῆς· ὅτι οὐ δύναταί τις δυσὶ κυρίοις δουλεύειν· ἢ γὰρ τὸν ἕνα μισήσει, καὶ τὸν ἕτερον ἀγαπήσει. ἢ τοῦ ἑνὸς ἀνθέξεται, καὶ τοῦ ἑτέρου καταφρονήσει. ἕκαστος οὖν κατὰ τὴν ἀποστολικὴν φωνὴν, ἐν ᾧ ἐκλήθη, ἐν τούτῳ ὀφείλει μένειν, καὶ προσεδρεύειν ἐν μιᾷ ἐκκλησίᾳ. τὰ γὰρ δι' αἰσχροκέρδειαν γενόμενα ἐπὶ τῶν ἐκκλησιαστικῶν πραγμάτων, ἀλλότρια τοῦ Θεοῦ καθεστήκασι. *Audivimus enim ex Dominica voce: quia nemo potest duobus Dominis servire: aut enim unum odio habebit, & alterum diliget: aut unum sustinebit, & alterum contemnet. Unusquisque ergo, secundum Apostolicam vocem, in quo vocatus est, in hoc debet manere, & in una locari Ecclesia, quæ enim per turpe lucrum in ecclesiasticis rebus efficiuntur, aliena sunt a Deo*. Quin eo processere Patres, ut voluerint si titulus non sufficeret, aut beneficium, quo quis vitam tolerare posset; artificio aliquo sibi alimenta pararet: *Ad vitæ verò hujus necessitatem, studia sunt diversa: ex his verò qui voluerit, acquirat corporis opportuna; ait enim Apostolus: ad ea quæ mihi opus erant, & his qui mecum sunt, ministraverunt manus istæ*. Quibus conveniunt & Claromontanum sub Urbano Secundo Can. 12. & seqq. ibi: *Ut nulli Clericorum liceat deinceps in duabus Civitatibus duas prebendas obtinere, cum duos titulos non possit habere. Ut omnis Clericus ad eum titulum ad quem primum ordinatus est, semper ordinetur. Ut nullus deinceps in una Ecclesia duos honores habeat*. Et Lateranense Tertium sub Alexandro Tertio, in cujus decreto 18. proscribitur duplex

 titulus

titulus in beneficiis duplicibus, ex ea ratione, quia quis non potest in ambobus residere, ambobus suam sedulitatem impendere. *Quia nonnulli modum avaritiæ non ponentes, dignitates diversas Ecclesiasticas parochiales contra Sacrorum Canonum instituta nituntur acquirere: ita ut cum unum officium vix implere sufficiant, stipendia sibi vendicent plurimorum: ne de cætero fiat, districtius prohibemus.* Quod manifestius est ex verbis insequentibus infra apponendis, & decreto 14. in quo idem decernitur in præbendis, & beneficiis simplicibus, ex eadem ratione. *Quia intantum jam quorundam processit ambitio, ut non duas, vel tres, sed sex aut plures Ecclesias, perhibeantur habere, nec duabus debitam possint provisionem impendere: per fratres, & Coepiscopos nostros carissimos emendari præcipimus.* Quod igitur in causa erat, ut quis non posset ordinari ἀπολελυμένως, ex dicto Concilio Chalcedonensi, *& sine pronunciatione stabilitatis loci*, ut ex Capitulari 25, lib. 1. idest sine titulo, & Ecclesia, ut nempè in certa Ecclesia celebraret, cui adscribebatur, & ab ea distrahi non poterat; idem impediebat ne in duobus titulis, aut Ecclesiis posset conscribi, ut probatur ex epist. 273. Ioannis Octavi, qua Archiepiscopo Ravennati imposuit, ut Ecclesiæ Faventinæ Clericos omnes restitueret, qui ad Ravennatem confugerant. *Quia non licet quemlibet Clericum in duarum Civitatum conscribi simul Ecclesijs, & in qua ab initio extitit, & ad quam confugit, quasi ad potiorem ob inanis gloriæ cupiditatem, & ideo eos ad Ecclesiam revocari decernimus, & de illis amplius nullo modo recipias*; ut notat Bosquetus lib. 2. regest. 14. epist. Innoc. III. 157. *Olim Clericus ad certæ Ecclesiæ titulum necessariò ordinabatur, adeò ut Ecclesiæ quis inservire non posset, cui dum ordinaretur ad dictus non fuisset; inde matrimonium Ecclesiam inter, & Presbyterum contrahi, judicatum est, & Patres Clericos plures obtinentes Ecclesias, mæchos, adulteros nominarunt, & mæchationem Ivo quadam epistola, nec enim licuit diversis Ecclesijs ordinari Clericum, & sua partiri ministeria, quæ universa uni soli adhibere debet can. 17. Concil. Chalcedonens.* & infra. *Nam omnibus modis διχοτίσμαν abegerunt, nec necessitatis pretextu adulte-*

rium,

rium, & incestam, ut loquitur alius, mœchationem committi voluerunt, sed potius exemplo Pauli ταῖς ἰδίαις χερσὶ eos victum sibi quærere, nec inde Clero ullum scandalum oriri censuerunt Patres Chalcedonenses.

Idem evincunt & aliæ regulæ, quæ ad beneficiorum disciplinam attinent, aliæ leges Ecclesiasticæ, quæ de iis latæ sunt, & quæ in iis per tot seculorum seriem custoditæ fuere Quisquis idoneus ad sacrum munus obeundum non est, puta quod comitiali morbo laboret, aut sit arreptitius; huic etiam præcluditur aditus ad beneficia, quamvis vita integerrimus, eruditione præcellens, sacris literis sit instructissimus, *cap. cum inter Canonicos de elect. & elect. potest. can. communiter dist. 33.* Eadem ætas, & ordinationi seu ministerio præfinita, & beneficii collationi; quod illud a ministerio non posset sejungi. Immunitas a tutelis data Clericis, Monachisque, ut residerent, rebusque divinis vacarent; non emansoribus, vagantibus, inertibus circa divina ministeria, ut leg. 51. C. de Episc. & Cleric. *Eos tamen Clericos, & Monachos hujusmodi habere beneficium sancimus, qui apud Sacrosanctas Ecclesias, vel monasteria permanent, non divagantes, neque circa divina ministeria desides, cum propter hoc ipsum beneficium eis indulgeamus, ut aliis omnibus derelictis Dei omnipotentis ministeriis inhæreant.*

Denique promotio ad ordines, & ministeria sacra una, eademque atque ad beneficia: reditus, ac obventiones Beneficiariorum, qui per mille, & amplius annos in solis distributionibus constituti, & quæcumque in beneficiis recepta fuere, ac longissimo, & antiquissimo usu comprobata, ad assiduitatem etiam in beneficiis simplicibus necessariam referri possunt, ut rectissimè existimat Thomassinus *de Benef. part. 2. lib. 3. cap. 34. num. 1.* cujus verba licet longiuscula sint, nobis temperare non potuimus, quin huc transferremus; cum rem nostram mirificè illustrent. *Quibus universim documentis antiquissimæ disciplinæ arguatur, Beneficiariis omnibus legem unam, & residentiæ necessitatem incubuisse, superius jam attigimus, quæ non abs re*

fer-

forsan erit summatim quæque hic retexere, quod intersit omninò ea animo, & memoriæ mandari. Primo tota hac lucubratione nostra patefecimus, omnibus Ecclesiæ ætatibus, seculisque præteritis, ordinatione ipsa, ordinibus etiam minoribus, Clericatu denique ipso addictos fuisse Clericos omnes, & Episcopo, & Ecclesiæ suæ. Secundo cum non attenderentur Clerici, nisi collato uno minori quopiam ordine, hujus ordinis functiones in Ecclesia illis, cuique sua, obeundæ erant. Tertio ordinatio, & Clericatus ipse titulum deposcebant. Titulus autem ipsemet Ecclesia quædam erat, cui Clericus dedicabatur. Quarto pluralitas beneficiorum eo maxime nomine vetita est, quod nemo possit in duabus simul Ecclesiis residere. Quinto proventus beneficiorum per mille amplius annos in solis ferè distributionibus fuere, quibus vix absentes, ac ne vix quidem frui possunt. Sexto mille, & ducentis amplius annis nulla vestigia, ac ne umbra quidem ejus distinctionis, qua alia dicuntur compatibilia, alia incompatibilia esse beneficia; & rursus alia stricta, alia liberæ esse residentiæ. Septimo Clericos Episcopus injussu suo Diœcesi exeuntes beneficijs spoliare poterat. Octavo nec alieni usquam admitti poterant clerici, sine litteris, & licentia proprij Episcopi. Nono ita dispensabant Episcopi, uti & etiam nunc dispensant de residentia cum simplicibus beneficiarijs. In hæc summa disciplinæ antiquioris capita retorquendi subinde hic erunt oculi, ut observemus, quæ quousque tempore viguerint, quo diffluere, & retrolabi cœperint.

Sed pergamus ad Concilia, & Canones tam qui extant in decreti, quam in decretalium libris de residentia expressim tractantes; ex quorum præscripto quæcunque beneficia, etiam simplicia, assiduitatem desiderant.

Non me latet in quibusdam Conciliis Episcoporum, Abbatum, Curatorum mentionem fieri, eisque inhiberi, ne Ecclesias suas deserant, pœnis canonicis irrogatis, reliquis Beneficiariis silentio transmissis, ut in Romano sub Eugenio II. & Leone *cap.*6. Sardicensi *cap.*2. 10. 11. 12. & 18. Africano *cap.*61. & 38. Aurelianensi primo *cap.ult.* Parisiensi sub Ludovico, & Lothario *lib.*1. *cap.*21. Aquisgranensi secundo sub Ludovico

*par.*1.

par.1: cap.11. Meldensi cap.28. & aliis relatis ab Antonio Augustino *lib.4. epitomes juris Pontificij tit.88. cap.1.& cap.29.* & Thomasino *de beneficiis par.4. lib.2. cap.70.* sed non quia eorum dispositio hujusmodi personas respicit, alii, qui beneficia obtinent licet simplicia, ab onere in Ecclesiis suis permanendi liberantur. Quin etiam, ut adnotavit Thomasinus rectissime verba faciens de Capit. *c.177. lib.5.* illorum canonum conditores satis prospectum existimarunt Ecclesiarum utilitati, coactis ad residendum his, qui Ecclesiis præerant, qui si in eis moram traherent, verendum non erat, ne alii officio suo, ac ministerio deessent, ut propterea Episcopis, ne ab Ecclesiis abscederent præcipiendo, id etiam credere debuerint, & aliis hoc ipso præcepisse. *Quamquam non meminerit Canon iste, nisi Episcoporum, Abbatum, & Parochorum, non tamen ab ea lege residendi soluti habebantur cæteri Beneficiarij, quinimmo dummodo resideant Episcopi, Abbates, Parochi, & officio fungantur, residebunt & cæteri Beneficiarij omnes, quos illi cogent officio fungi, atque adeo residere.*

Sed præsto sunt innumerabilia, & Conciliorum capita, & juris Pontificii loca, quibus id nominatim cavetur de quibuscumque beneficiis etiam simplicibus; quæ si omnia adducere velim, nullum scribendi finem faciam. In Arelatensi 2. can. 13. legitur. *Nullus cujuscumque ordinis Clericus, non Diaconus, non Presbyter, non Episcopus quacumque occasione faciente, propriam relinquat Ecclesiam, sed aut excommunicetur, aut redire cogatur*: In Trullensi 181. *Episcopus, Presbyter, Diaconus, Clericus, qui tribus dominicis diebus, tribus hebdomadibus, sine necessitate in Ecclesia sua non convenit, Clericus deponatur, &c.* & Lateranensi 3. can. 14. qui est ut dixi de benef. simpl. *Eorum qui Ecclesiis dignè valeant deservire, volumus Ecclesiasticis beneficijs indigentiam sublevari*; cujusmodi verba legūtur quoque cap. quia intantum ex. de præben. Tolet. 1. can. 5. cujus verba extant dist. 92. can. ult. id statuitur de Clericis quibuscumq; ibi: *Presbyter, Diaconus, vel quilibet Ecclesiæ deputatus Clericus*, ut & sancitum fuit Antiochensis can. 3. Aquisgr. can. 71. a quibus

bus transcriptum est, quod habetur 7. q. 1. si quis 24. *Presbyter, Diaconus, Clericus non relinquat suam Parochiam, si admonitus non redeat, deponatur.* Idem constitutum cernitur Concilio Vormatiensi *can.* 10. Valentiæ Hispaniæ *can.* 5. & Frisingensi, quod celebratum fuit 1440. *can.* 6.

Congruit his, quod Gregorius Magnus rescripsit Calaritano Episcopo lib. 7. epist. 67. cum increpans, ac redarguens, quod inultam relinqueret suorum Clericorum nequitiam, qui suæ Ecclesiæ vale dixissent, *quod fraternitatis vestræ jussionibus obedire postponant, ac in altaris se magis obsequijs, ac laboribus occupantes, sua deserant, ubi sunt necessarij, actus Ecclesiæ.* Et quod scribit Innocentius lib. 1. ep. fol. 50. *Cum scriptum sit qui non laborat, non manducet, incongruum credimus, & indignum, ut Clerici Ecclesiis illis non serviant, quorum amplis redditibus sustentantur.* Et Hilarus epistola 1. ad Tarraconenses Episcopos *cap.* 5. consonant caput 3. de Clericis non residentibus ibi: *Cum unum officium vix implere sufficiant stipendia sibi vindicent plurimorum,* & inferius, *cum igitur Ecclesia, vel Ecclesiasticum ministerium committi debuerit, talis ad hoc quæratur persona, quæ residere in loco, & curam melius per se ipsum valeat exercere,* cap. 4. cujus verba sunt, *cum in Lateranensi Concilio statutum sit, ut personæ tali Ecclesia, vel beneficium Ecclesiasticum conferatur, quæ residere in loco, & curam ejus per se melius valeat exercere;* & cap. 5. *Fraternitati tuæ duximus indulgendum, ut si Clerici, qui in Ecclesiis tuæ jurisdictionis beneficium sunt adepti ad aliquam Diœcesim absque licentia, & assensu tuo morandi causa transierint, liceat tibi beneficijs, quæ a te habent spoliare;* adeout etiamsi exiguus tenuisque sit reditus beneficii, & ex eo se tueri nequeat Clericus; nec etiam hac de causa se a residendo possit excusare, *cap. conquerente d. tit.* in cujus specie licet Clericus conquereretur, ex beneficio vix solidos viginti percipi, & hanc summam neque ob ejus alimenta sufficere; nihilominus respondit Summus Pontifex, eum esse a beneficio arcendum, si in Ecclesia ministerio suo non vacaret, vel si alia beneficia haberet ex quibus victum quærere, ac parare sibi posset, ut liquet ex

iis

iis verbis. *Si tibi constiterit quod vel G. habeat Ecclesiastica beneficia sibi sufficientia, vel quod eidem Ecclesiæ non deserviat, sibi super præscripto beneficio silentium imponas*. Quæ verba ab omnibus ita accepta fuere, ut horum, quæ in textu exprimuntur, alterum satis sit superque, ut Clericus a beneficio dejiciatur: eo loci adeundus est Cujacius, qui textum ita interpretatur, *hoc enim vult, ut Clericus qui una in Ecclesia idoneum beneficium adeptus est, quo vitam tolerare possit, non ambiat aliud, vel teneat alia in Ecclesia, cui non det operam, cui non serviat: dico idoneum beneficium, quo tueri se, & alere possit, non quod si quo primum donatus est, vitæ non sufficiat, aliud deoptare, & obtinere liceat; quod sane non licet uni Ecclesiæ semel adscripto, quia si quid sibi desit, id potius parare sibi debet sua industria, & sudore*, can. *Clericus* 91. *dist. ut sit imitator apostolorum, & doctoris nostri, & comitum ejus, qui suis sibi manibus parabant, quæ suppeterent ad cultum, & ad victum*, cap. 11. cap. cum adhæc 13. eodem tit. cap. cum adhæc 13. de præbendis ibi: *Cum singula officia in Ecclesiis assiduitatem exigant personalem*, & constitutio Bonifacii *in cap. fin. de rescriptis in 6.* in qua loquitur Summus Pontifex de omnibus, & quibuscumque beneficiis, & cum præfatus fuisset ex non impleto residendi præcepto, malorum Iliadem exoriri, quæ recenset, ac deplorat; omnes concessas assiduitatis venias, sive indulgentias revocat, ac retractat: *nos volentes emendare præterita, & quantum possumus adversus futura cavere, omnes hujusmodi, & similes indulgentias personis, non Ecclesiis, vel dignitatibus datas, penitus revocamus: & earum concessionem nostris volumus exulare temporibus, quodque nobis licere non patimur, nostris successoribus indicamus.*

Convincitur idem liquido ex verbis, quibus Ioannes XXII. in extravaganti execrabilis, incommoda, quæ ex spiritali polygamia, sive cumulatione plurium beneficiorum sequuntur, eluget, & rationibus, ob quas illam improbat, & ab Ecclesia exturbare satagit: *Quod videlicet interdum unus, qui unicum quamvis modicum vix officium implere sufficeret, plurimorum sibi vendicat stipendia, quæ multis*

literatis viris vitæ puritate, ac testimonio bonæ famæ pollentibus, qui mendicant, possent abundè sufficere æqua distributione collatæ habentibus ipsa paratur vagandi materia: divinus cultus minuitur, hospitalitas in ipsis beneficijs debita non servatur: & dum non sunt sui in unaquaque regione Rectores, Ecclesiarum detrahitur commodis, & honori, quæ carentes defensorum auxilio, in juribus suis, & libertatibus multipliciter collabuntur: & ruinis patent ædificia nobilia, quæ magnificentia extruxerat decessorum: & (quod amarius est dolendum) animarum cura negligitur, & vitiorum sensibus fomentum periculosè præbetur.

Convincitur etiam ex eo, quod idem Alexander III. cujus toties meminimus, respondit Episcopo Lincolniensi, cap. 7. in Appendice Concil. Lateranens. par. 3. *Cum & rationi, & Ecclesiasticæ institutioni contrarium sit, ut Archidiaconus præbenda careat in Ecclesia, cui noscitur in Archidiaconatus officio deservire*: ex quibus verbis liquet, præbendas, & beneficia concedi debere his, qui Ecclesiæ inserviunt, & cap. 9. in eadem Append. & quod habetur in epist. Innoc. III. ad Patriarcham Cpnum cap. 11. de Cler. non resid. *De Clericis autem, qui Ecclesias, vel præbendas sibi concessas sine justa, & necessaria causa tuo præsertim non accedente consensu, in hac deserunt novitate; hoc tibi duximus respondendum, quod postquam congruo tempore fuerint expectati, nisi redierint ad illa, possunt eis juste privari, dummodo non sint justo impedimento detenti.* Ubi ea verba *in hac deserunt novitate*, cum casum urbis Cōstantinopolitanę significant, cum fuit a Latinis capta, ut sequenti dissertatione dicemus. Profectò tam Ecclesias, quam præbendas quascumque, & sic beneficia simplicia, complectitur canon ille, ne forte quis labatur in interpretatione verbi illius *Ecclesias*, quasi restringendum esset ad Parochiales, & Cathedrales; quem usum, non defuere qui putarent, invaluisse sub Alexandro III. ex can. 13. prædicti Concilii Lateranensis, ibi: *Nonnulli dignitates diversas Ecclesiasticas, & plures Ecclesias Parochiales contra canonum instituta nituntur obtinere*: cum tamen ex illa adjectione *Parochiales*, contrarium colligatur. Item ex eo elucet, quod legitur Concilii La-

Lateranensis 4. sub eodem Innocentio III. can. 30. ibi; *ut prætermissis indignis assumant idoneos, qui Deo, & Ecclesijs velint, & valeant gratum impendere famulatum*: & quod Gregorius IX. scripsit ad Episcopum Argentoratensem relatum in cap. super inordinata de præbend. *Cum illi sint in Ecclesijs idonei reputandi, qui servire possunt, & volunt in ipsis, &c. pueri & beneficiati qui non possunt in eadem Ecclesia deservire, in ea non debent idonei reputari.*

Et ne cui scrupulus aliquis supersit, ex jure etiam decretalium, beneficia licet simplicia onere residendi non vacare; recensenda sunt verba B. Raymundi de Peñafort, ex quibus utpote earũ Collectoris, eis, quas laudavimus cõstitutionibus, maxima lux affulgere poterit. Quærit ille in Summa lib. 1. pag. 52. *Numquid Clerici seculares, qui non portant coronam, vel tonsuram, vel habitum congruentem, vel qui non intersunt divinis officijs, nec resident, nec deserviunt Ecclesiis, sunt in statu salvandorum?* In hac quæstione ita suum judicium profert; *ad hoc licet aliqui scandalizentur volentes applaudere sibi in peccatis, & dicentes omnia jura quæ super hoc emanaverunt, de consilio intelligenda; dico quod non: cum enim pro tali apostasia pæna gravis, & multiplex imponatur, patet quod non est consilium, sed præceptum. Si enim esset consilium nullus adstringeretur, nec non servantes in aliquo punirentur.* Addit, si acephali, aut desertores hujusmodi ad bonam non redeant frugem, exeundos officio, & beneficio, ac præterea ad fructuum omnium restitutionem cogendos; *si admoniti non se correxerint, debent suspendi ab officio, & beneficio. Hinc liquet*, ait Thomasinus par. 2. lib. 3. cap. 34. n. 2. in fine, *agere B. Raymundum de beneficiariis: sed nec illud minus liquidum, Clericos omnes ab eo beneficiariorum in classe locari, omnes ad residendum constringi*: adeò verum est, etiam decimotertio seculo doctrinam uno ore a Patribus assertam, non ut ancipitem, ac dubiam, sed ut exploratam, & certissimam, a Conciliis, & Summis Pontificibus probatam, etiam a Beneficiariis simplicibus assiduitatem exposcentem, eandem faciem decimotertio seculo retinuisse; licet impudenti licentiæ jam fores fuissent patefactæ.

 Nec

Nec obstat caput final. de Cleric. non residentibus; quod ansam dedit aliquibus effingendi eam distinctionem, totam Ecclesiasticam disciplinam dissolventem, inter beneficia, quæ requirunt residentiam, & quæ eam non exigunt. Nam præterquamquod Gregorius IX. non poterat a seipso esse diversus, & Canones, ac leges ita intelligendæ sunt, ut aliis non contradicant; imo quælibet interpetratio capienda est, ut invicem conciliientur, & in dicto cap. Gregorius ea ipsissima verba usurpat, quæ continentur in rescripto Alexandri III. ad Archiepisc. Eboracensem, eam si demas adjectionem: *quæ residentiam exigunt*: nec licet in legibus, aut Canonibus arguere a cōtrario sensu, ita ut aliorum jurium correctio inducatur; nimis abest pęnas non instaurare in aliqua re, ab eo quod est permittere: nimirum in eo capite Gregorius confirmat antiquas pœnas adversus non residentes statutas, & speciatim eam amissionis beneficii. Demus eum loquutum fuisse de Sacerdotiis, quibus animarum cura conjuncta est; hinc aliud educi non poterit, nisi non fuisse pœnas exactas ab iis, qui possiderent beneficia, quæ vocantur simplicia, aut potius non fuisse contra eos, neque innovatas, neque abolitas, firma manente canonum prohibitione, ob quam, & conscientiæ furiis agitarentur, & Deum haberent ultorem. Corruptio morum non patiebatur, ut collapsa disciplina illicò in universum posset restitui; paulatim vitia, quę tam altè radices egerāt, erant extirpanda. Sed non residentiū perversitatē, & condemnavit tunc Ecclesia, & detestata est in Conciliis posterioribus, de quibus infra, semperque execrabitur. Is fuit de hac re Thomasini sensus loc. cit. n. 3. *Cum labefactata diu jacuisset Ecclesiæ disciplina, ubi primum pene senescente sæculo XI. respirari cæptum est ab ea calamitate, & restaurari quæ collapsa fuerant, eas quidem esse constitutas primum leges, quæ beneficiarios omnes, immo & Clericos omnes ad singularitatem beneficiorum, & ad residentiam compellerent. Sed cum latè serpsisset, & tam alte desedisset ulcus, ut totum simul persanari posse desperaretur; cura interim maximè fuit ut singularitas, & residentia saltem in*

be-

beneficiis cura animarum gravatis, & dignitatibus præbendisque capitulorum omnino restauraretur. [*In id plura decreta condita sunt, in eorum executione toti fuere Pontifices, antistitesque cæteri in Synodis suis.*

Antequam verò hinc abeamus, illud adiiciendum est; Principum leges consensisse sacrorum Canonum Sanctionibus, quod ad fundandam etiam in beneficiis simplicibus stabilitatem, & puniendos Clericos, qui fructus beneficiorum decoquunt, obliguriunt, absque eo quod functiones spiritales ipsis incumbentes, per semetipsos in Ecclesiis exequantur; ut patet ex Capitularibus, & ex Justiniani novellis, in quibus, quantum ad residentiam attinet, eodem jure censentur omnes beneficiarii: & de quibus, quoniam agendum erit in tertia dissertatione, sufficiat hic ea verba Novellæ 123.cap.8.indicasse, id disertissimè exprimentia: τούτου αὐτοῦ καὶ ἐπὶ τοῖς κληρικοῖς κρατοῦντος, οἱουδήποτε βαθμοῦ εἶεν ἢ ὑπηρεσίας: *hoc ipso, & super Clericis valituro, cujuscumque ordinis sint, aut functionis.*

Quam autem invisi fuerint Sacris Canonibus Clerici non residentes, ex pœnis ipsis impositis facile cognoscitur. Nam Leo dicta ep.86.ait: *Itaut si quis sua quærens non quæ Iesu Christi, ad plebem, & Ecclesiam suam redire neglexerit, & ab honoris privilegio, & a communionis vinculo habeatur extraneus*: quo loco Sanctus Pontifex loquitur de omnibus clericis, & beneficiariis: Hispalense secundum can.2. mandat, ut cingulo honoris exuantur, & in Monasterium detrudi debeant: *desertorem clericum cingulo honoris atque ordinis sui exutum, aliquo tempore Monasterio delegari convenit*: Moguntinum, ut in carcerem coniciantur, *neque sub Episcopo, neque sub Abbate, sed sine canonica, vel regulari vita degentes.* Apparet etiam ex eo, quod Episcopi Africani a Joanne Secundo petierunt, postquam Justinianus debellatis barbaris, Africam Romano Imperio restituit, ut nimirum omnes clerici Afri *similes hæreticis judicarentur*, nisi ad suas remearent Ecclesias: quæ literæ cum Agapeto mortuo Ioanne redditæ fuissent, eorum votis annuit Epist.2. expressa ratione: *quia permanendo in Ecclesiis, in qui-*

bus

bus militant, & ministerii sui poterunt assiduitate in Dei Salvatoris nostri amore fervescere, & quæ in pervagatione reprehensibilia sunt, vitare.

Grandibus insequitur contumeliis, probrisque Isidorus Hispalensis, de Ecclesiasticis officiis lib. 2. cap. 3. acephalos Clericos, tanquam monstra quædam, quæ Ecclesiasticam disciplinam dedecorent, ac dehonestent: *Duo sunt igitur genera Clericorum, unum Ecclesiasticorum sub regimine Episcopali degentium, alterum Acephalorum, idest sine capite, quem sequuntur ignorantium: hos neque inter laicos sæcularium officiorum studia, neque inter Clericos religio retentat divina, sed solutos, atque aberrantes, sola vaga vita complectitur, &c. Hippocentauris similes, neque equi, neque homines, mixtumque genus, prolesque biformis, ut ait Poeta. Quorum quidem sordida, ac infami numerositate, satis superque nostra pars occidua polluitur.*

Hactenus Beneficiarios etiam simplices ad residendum teneri ex jure ecclesiastico probavimus. Sed eadem necessitas ipsos manet ex jure naturali, saltem secundario, ex quo conventa servari oportet, quo is, cui aliquid sub lege, ac conditione datum fuit, eam debet omninò implere. Siquidem qui beneficia instituentes, eorum bona in Ecclesias contulerunt, ac Deo dedicarunt, proculdubio est, ea hac conditione donasse, ut illorum reditus stipendium esset ministerii, quod in Ecclesia beneficiarii præstarent: quam largitionem recipiens Ecclesia illorum nomine, eos injecto oneri satisfacturos est pollicita. Qua ratione potissimùm ex pactis, conventisque institutionum desumpta, confici ex naturæ ipsius lege, ut etiam in beneficio simplici, qui illius proventibus fruitur, compellatur suum munus in Ecclesia explere; tuetur constantissimè Claudius de la Place de singular. benefic. cap. 3. §. 2. argum. 3. *Existimo autem dato mihi quovis Iudice idoneo, nec præjudicati quicquam in contrarium afferente, idem planè convinci, & comprobari posse de beneficiis omnibus curam animarum non habentibus, sive ut vocant simplicibus, puta Abbatiis in Commendam perpetuam*

tuam datis, Prioratibus, Cappellaniis, & aliis similibus, quod de Canonicatibus, & beneficiis duplicibus est demonstratum, eadem nimirum ratione, & lege naturæ, pro utrisque militante, quam ex pactis, conventisque fundationum, & fide, & munere necessario Beneficiariorum repetivimus, statuentes nemine reclamante beneficium dari propter officium.

Enimverò si instrumenta, ac antiquæ Tabulæ, quibus beneficia erecta sunt, perquirantur; facilè patebit, certum ministerium Ecclesiasticum Beneficiariis istis, præscriptum, & constitutum fuisse certis in locis obeundum, ubi prædia, & bona erant posita, quæ tanquam præfatæ functionis stipendium perpetuò assignarunt, ut prosequitur idem Claudius la Place loco citato. Nullis existentibus instrumentis, aut Tabulis, vel quia incendio fuerint cõsumpta, aut vetustate perierint, ad signa, notas, & conjecturas recurrendum est, ex quibus colligi possit, reditus illos sacro, spiritalique officio destinatos fuisse. Nam si in eo, de quo quæritur loco, se exhibeant Basilica, sive ædes sacra, altare, nolæ æneæ, Cœmeterium, & alia ejusdem generis; si ex reliquiis, ac ruinis ædificii, quod olim erat in prædio ecclesiastico, templum, aut sacellum ibi fuisse deprehendatur, domumque quam incolendam a sacro ædis, ac beneficii ministro, institutores construi curaverunt; *Hæc sunt*, ait Claudius de la Place, *signa jam, & monumenta certa, quod fundatores illic te Beneficiarie simplex sacris operari, ministeria tua præstare, stipendia tua mereri voluerint, non in urbibus primariis, in aula, in alienis ejusmodi occupationibus gratioribus, commodioribusque, quibus certè nemo unquam affingat, imputetque, quod voluerint illi te suis stipendiis servire, aut comitatum præbere, & de suo luxuriari, & superbire, aut suis certè commodis, ac privatis negotiis (nam minima de malis præscribo) spreta, & violata sua voluntate sufficere: de suo inquam, quod illi piè ad sacros usus divini cultus, precum, auxiliorum spiritualium, bonæ conversationis, exempli, vel ædificationis suorum, vel Civium, vel subditorum, ac vicinorum, Deo voverunt, ac dedicarunt.*

Ipsa rudera ecclesiastici prædii, jacentia delubra

spi-

spinis obsita, succrescentes herbæ, ac dumeta, ubi Divino Numini litabatur, clarissima monumenta sunt, quæ demonstrant, quanam lege a religiosis hominibus Ecclesia prædia, ac possessiones receperit, pro Beneficiariis, ipsorumque nomine spondens, ac fidejubens nunquam futurum, ut illi suum officium fideliter, ac ritè non peragerent; *Furibus semper aliquid excidit ad judicium, dixit alicubi Tertullianus, ita semper* (ait Claudius la Place loco citato) *ex ruderibus ipsis prædiorum ecclesiasticorum, simplicibus istis Beneficiarijs, velint, nolint, relictum est plusquam satis signorum, conjecturarum, monumentorum, voluntatis, & consilij suorum fundatorum, ut in suis beneficijs fidem præstent sacri sui ministerij, atque in id operis assiduè resideant, incumbantque.*

Idem admonent, suadentque denominationes, titulique Abbatum, Prioratuum, & hujusmodi, quæ etiam non obscura sunt argumenta voluntatis institutorum, qua Beneficiariis legem dixerint, ut onus, ministeriumq; per seipsos persolverent: *quid urgebo nomina, titulosque Abbatum, Prioratuum, & hujusmodi, quorum manifesta sunt instituta prima pia, religiosa, & residentiæ, fidelitatisque maximæ, unde ad hodiernam demum licentiam, abusum, abominationem, detorta sunt defleruntque non sane in melius, atque ad publicam Ecclesiæ utilitatem, & necessarium gloriæ divinæ bonum, aut studiosiorem curam ovium Christi, & pauperum rusticorum, quibus non est qui frangat panem.* Quod argumentum latissimè prosequitur idem la Place dicto argum. 3. & per *totum tractatum* semper pro certissimo ponit, institutores beneficiorum, in iis fundandis respexisse ad munera, & ministeria ecclesiastica, quorum lege, & conditione bona sua in usum Beneficiariorum dono, ac legato tradiderunt, beneficia ex Ecclesiæ, & institutorum destinatione esse ministeriorum stipendia, itaut censenda sit Ecclesia, cum vel donationem, vel legata agnovit, pro Beneficiariis fidem suam adstrinxisse, ipsos officio suo non defuturos; ideoque ex jure naturali non posse fidem fallere, iisque oneribus se subducere, quibus ex beneficiorum acceptione se subdidere, ut ex d. §. 2. argum. 4. fol. 155. & 159.

Hoc

Hoc modo interpretandam institutorum mentem, ut noluerint suorum beneficiorum reditibus pinguescere, ac luxuriari, qui in Ecclesiis non degerent, neque debitum obsequium impenderent; agnoscit quoque Zegerus Bernardus Van-Espen in jure Ecclesiast. Univers.part.2.tit.18.num.23. *Cum dubitari nequeat, quin Ecclesiæ, atque fundatorum intentio sit, ut hujusmodi beneficia conferantur ijs, qui se tanquam ministros Ecclesiæ exhibeant; nec proventus Ecclesiasticos otiando consumant: indubiè Patroni, & Collatores similium beneficiorum allaborare debent, ut hujusmodi Clericis conferantur, de quibus verisimilis saltem spes apparet, quod operam suam utiliter Ecclesiæ impendent, & digni erunt qui de proventibus Ecclesiæ vivant*. Qui etiam hoc onere, neque ipsas, quas vocant *Cappellanias*, eximit; quod ab iis subeundum, jussisse institutores verosimillimum sit, n.27. *Ulterius observandum, admodum verisimile esse, Cappellanias has primitus fundatas, & in titulos beneficiorum erectas, ut earum possessores tanquam veri titulares hujus, illiusve Ecclesiæ, perpetuò ibidem residerent, atque ibidem officia beneficiis annexa per se explerent*. Quod confirmat ex antiqua disciplina, qua Clericus in aliqua Ecclesia ordinatus, ei perpetuò devinciebatur, ita ut ab hoc nexu nunquam posset divelli. *Sicuti enim primis Seculis ordinatio ordinatum Ecclesiæ alicui particulari adstringebat, ita juxta recentiorem disciplinam beneficium adstringit, & incorporat possessorem Ecclesiæ, in qua beneficium illud est fundatum, ea nimirum ratione, ut huic Ecclesiæ tanquam ejus minister, juxta officium beneficio annexum, deserviat.*

Hanc sententiam magnopere adiuvat, quod scribit D.Thomas, *quodlib.* 10. *quæst.* 7. *art.*2. Plurium beneficiorum possessio secundum Sanctum Doctorem, plures deformitates continet, sive ut ipse loquitur, *inordinationes*, quarum duæ appositæ ad rem nostram maximè: prima, quia nō potest quis ministerium exhibere in duabus Ecclesiis, *quia non est possibile, aliquem in pluribus Ecclesijs deservire, in quibus est præbendatus, cum præbendæ videantur esse ordinatæ, quasi quædam stipendia Deo ibidem ministrantium*, cui

F   con.

consectariam esse, inquit, diminutionem cultus divini: altera, quia institutorum voluntates debito implemento, ac exequutione fraudantur. *Sequitur etiam in aliquibus defraudatio voluntatum testatorum, qui ad hoc aliqua bona Ecclesiis contulerunt, ut certus numerus Deo deservientium ibi esset*. Quod pariter asserit Guillelmus Parisiensis tractatu de Collatione beneficior. cap. 6. *Quoniam sicut certum numerum voluerunt habere servitiorum, sic & servitorum*: & Natalis Alex. Theol. lib. 2. Reg. XXVIII. Si enim institutorum desiderio satis non fit, cum unus plura beneficia obtinet, quia non potest servire pluribus Ecclesiis, & in eis sua obire munia; eodem modo ipsi illuditur, si is qui uno donatur beneficio, in eo per se ministrare, & officio suo fungi subterfugerit. Ex hoc autem deducit D. Thomas *dicto quodlibeto* aliique Theologi, qui ipsum sectati sunt, hac in re offendi jus naturale, cujus vinculum non dispensatione dissolvi, cujus vires non consuetudine prosterni, imò neque extenuari, ac debilitari possint; quod contenti erimus hic strictim degustasse, latius infra excutiendum.

Non immerito igitur Concilium Coloniense secundum, sub Adolpho Archiepiscopo pro restauranda labescente disciplina indictum anno 1549. rationem hanc ex intentione institutorum petitam, maximi duxit momenti adversus ignavos Clericos non residentes, & ob excludendam beneficiorum multiplicitatem, ibi: *Spoliantur Ecclesiæ debitis ministeriis, cessatio inducitur cultus divini, fundatores, quorum sacrosancta, & inviolabilis debebat haberi suprema voluntas, spe, & expectatione sua fraudantur*.

Concludamus hoc argumentum verbis Claudii la Place, plenis stomachi, & querelarum: *Verum ut impunè palam, & publicè voluntati fundatorum præscribatur, illudaturque, ut quasi jure publico contra jus naturæ, justitiam, & religionem testamentorum putetur fraudem impunè coram Deo fieri piæ, & sacrosanctæ illorum voluntati: ut doceatur in beneficiis per corruptionem disciplinæ Ecclesiasticæ, & violatam fidelibus defunctis fidem; dum ignaviæ, & cupiditati nostræ mos geritur,*

ex

ex duplicibus nova nomenclatura simplicibus factis: nullam residentiam requiri, sed tantum ut ubivis Breviarium Beneficiarius utcumque recitet, esse satis. Id verò nemo vir bonus, & sapiens spectatis superioribus tabulis, & juris naturæ argumentis, æquo animo ferre potest: beneficium enim datur propter officium, & ex Paulo quoque Apostolo ad Gal. 3. 15. hominis confirmatum testamentum nemo spernit, aut superordinat. Vultu sæpe leditur pietas, quemadmodum proverbiali sententia a sapientibus usurpatum est. Quid de isto ingrati animi scelere, atque injuria beneficiariorum in pios benefactores suos vita functos? ἢ ἀπιέναι, ἢ ἀποδύεσθαι, aut abi, aut exvere inclamat (ingrate) tibi profana antiquitas: aut si non abis: ἣν ἔλαχες σπάρταν κόσμει: Spartam nactus, hanc exorna, & esto vir: nec ita statui debere dicimus de necessaria jure naturæ in loco beneficij residentia, onerisque, ac ministerij per seipsos persolvendi obligatione, omnibus beneficiarijs curam animarum non habentibus, quasi hujus sententiæ auctores simus, solique Doctores etiam inter modernos. Omninò enim priscis Patribus, & veteri jure Canonico inauditum fuit, ut quisquam unquam esset ordinatus ad aliquod ministerium in Ecclesia, deque alicui ministerio attributis vesceretur, aut sustentaretur, qui neque in ipso degeret, ac resideret, neque per se ministraret, & officio suo fungeretur. Non ita fascinavit omnes Doctores hujus sæculi Theologia accomodans, atque assentans, quin viri magni nominis idipsum docuerint, &c.

Sed & alio argumento, & quidem validissimo, conficere possumus, stabilitatem non solùm jure ecclesiastico, sed etiam naturali, in beneficiis quantumvis simplicibus requiri: quia qui Ecclesiæ operam suam navant, mercede digni sunt, nec iis, qui in ea non militant, stipendia debentur, quæ vulgatissima sunt D. Pauli pronunciata in ejus epistolis: de quibus ita Innocentius Tertius scribens ad Zamorensem Episcopum, cap. cum secundum de præbendis, & dignitat. *Cum secundum Apostolum, qui altari servit, vivere debeat de altari, & qui ad onus eligitur, repelli non debeat a mercede; patet a simili, ut Clerici vivere debeant de patrimonio Jesu Christi, cujus obsequio deputantur, ut ipsa nominis ratio persuadet, cum a*

Cleros quod est sors, vel hæreditas, Clerici appellentur, quia in sui ordinatione, vel assumantur in hæreditatem Domini, vel assequuntur hæreditatem in ipso, ut vere possint psallere cum propheta dicente: Dominus pars hæreditatis meæ; dignum est, ut Ecclesiæ stipendijs substententur, in qua, & per quam divinis obsequijs adscribuntur. Hoc argumentum fulcire possumus patrocinio Du-Hamel *de præcep. Decal. lib. 2. cap. 3. num. 3.* ubi quam is loquitur de Pastoribus; ex ea potissimum ratione stabilitatem jure naturali præcipi arbitratur, quam ita promit: *dignus quidem est operarius cibo suo, sed qui non vult operari, non manducat:* quæ ratio in omnibus beneficiis eandem vim habet; nec aliter censent Sotus, lib. 10. qu. 3. art. 2 & Salzedo de leg. polit. lib. 2. cap. 17. n. 18.

Neque ex jure tantummodo naturali ad fixam in Ecclesiis mansionem obligantur Beneficiarii, adeout si huic præcepto non pareant, gravis culpæ reatum incurrant, ut concludit Claudius la Place loco citato: *Denique tam simplices illi, quam duplices Beneficiarij ex hac parte graviter peccant non residendo; quia faciunt utrique contra præceptum Juris naturalis in materia gravi: propterea comprobatam habemus generalem istam propositionem: omnia beneficia, nequidem simplicibus exceptis, sub gravi ex natura sua peccato, obligare ad residentiam, personalemque ministerij sui functionem; ex eo quod beneficium axiomate juris, luminisque naturalis evidentissimo, detur propter officium: æquè certè ac obligantur ad quotidianam recitationem officij ecclesiastici, sive Breviarij, generali sententia, ac propositione, ex eodem axiomate consectaria, quemadmodum exploratum, convictumque a nobis abundè est:* sed etiam ex jure divino, & doctrina ab ipsis Apostolorum temporibus per universas Ecclesiæ oras, ætatesque deducta; quæ propterea non humanitus adinventa, aut excogitata, sed divinitus tradita, habenda est.

Et quidem non posse Clericum absolutè ordinari, non posse ordinationem fieri, nisi ad certum titulum, quod innumeris Cōciliis sancitum, & totius Orbis Catholici usu firmatum fuit per tot secula, itaut beneficii titulus non esset ab ordinatione sejunctus discretusque, Clericosque Episcopo, & Ecclesiæ addiceret; quod institutum, ut ii

con-

constanter ac perpetuò suis Ecclesiis affixi, nunquam sua ministeria intermitterent; esse Canonem Apostolicum, Apostolicam traditionem, in ipsius Christi Servatoris nostri documentis fundatam, esse dictatum Spiritus Sancti, docet eruditissimus, ac gravissimus vir Christianus Lupus in scholiis ad sextum Canonem Chalcedonensem: *nullum autem Episcopum, aut Clericum absolutè, sed ad certum titulum, aut cardinem ordinari, est omnino Canon Apostolicus. Etenim Tito Cretensium Metropolitæ mandat Apostolus, ut constituat Episcopos, Presbyteros, aliosque Ministros non vagè, & liberè, sed per Civitates, aliaque loca certa, & fixa. Et Asiæ Episcopos hortatur idem Apostolus, ut attendant gregi, seu populo, in quo illos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei. Ex quo vides, Clericorum ad certos titulos, & locos affixionem, esse dictatum Spiritus Sancti. Quod Sanctus Marcus Evangelista omnem Ægyptum in Episcopatus ac Parochias diviserit, & quovis in agro Ecclesiam ad celebranda divina erexerit, testatur ex Philone Iudæo Eusebius Episcopus Cæsaraeensis. Quod semper in Civitatibus Episcopi, Presbyteri, ac Diaconi Ecclesias in agris rexerint, liquet & literis Synodi Antiochenæ adversus Paulum Samosatensem. Quod universum mundum ita dividere cœperint ipsi Apostoli, tradit Sanctus Basilius ad versum Psalmi, convallem tabernaculorum dimetiar, eamque expositionem laudant Synodus Tropleiana, & Hincmarus Rhemensis. Et hinc non solummodo Episcopatus, sed inferior Clericatus esse dicitur Spirituale cum Ecclesia coniugium, quo Ecclesiis, ut uxoribus propriis Sacramentaliter alligari etiam Clericos, rectè scribit Stephanus Episcopus Tornacensis epist. 1.*

Neque dicas, ordinationem, quæ fiat absolutè, repugnantem non esse Canoni Apostolico; quia D. Paulus Apostolus, aliique ejus collegæ, nulli speciatim Ecclesiæ inscripti, nulli tanquam proprii Episcopi alligati, nulli obstrictus Hieronymus a Sancto Paulino Patriarcha Antiocheno in Presbyterum ordinatus, eodem modo, quo Macedonius Anachoreta, quem laudat Theodoretus in historia Monastica, a Flaviano Paulini successore institutus fuit, ut etiam Sanctus Paulinus, qui in

epi-

epiſtola ad Severum ſcribit, ſe a Lampio Barcinonenſi Epiſcopo *abſolutè dedicatum in Sacerdotium tantum Domini, non etiam in Eccleſiæ locum, ſeu titulum*: quemadmodum & plures abſolutè ordinati Epiſcopi, monachi Provinciæ Osrohenæ ſub Conſtantio Auguſto: item Barges, & Eulogius, Lazarusque, D. Bonifacius Francorum Apoſtolus, a Gregorio Secundo creatus Epiſcopus abſque ulla ſede, poſt annos viginti a Zacharia cathedræ Moguntinæ præpoſitus; pariterque Gregorii juſſu ab Epiſcopo Arelatenſi Sanctus Auguſtinus Anglorū Apoſtolus, & apud Hiſpanos Egila a Walchario Legato Sedis Apoſtolicæ.

His enim exemplis ita obviam ivit Lupus loco citato: *Reſpondeo aliud eſſe ordinari Epiſcopum ſine Cardinali ſede, aliud ſine Cardinali titulo: ſine illa, non ſine hoc fuit Apoſtolus Paulus ordinatus. Ordinatus fuit ad miſſionem, ſeu Apoſtolatum gentium. Eadem eſt ratio plerorumque aliorum Apoſtolorum, S. Auguſtini, S. Bonifacii, ac Egilæ, quem ad miſſionem ordinatum fuiſſe, disertè apud Franciſcum du Cheſne, ſcribit Adrianus primus. Et Hibernorum olim Epiſcopi erant monachi in clauſtro ad nullam Civitatem ordinati, ſed ad ſolam miſſionem, juxta nutum Abbatis. Etiamnum hodie Romana Eccleſia Epiſcopos, & Clericos ita ordinat. Spiritus Sanctus impartita converſionis gratia docet in quam Civitatem poſtmodum oporteat illos incardinari. Porrò Bargis, Eulogii, Lazari, Hieronymi, Paulini, ac Macedonii ordinatio deviarunt a regula per temporis abuſum, cujus effrænem graſſationem cohibuit tandem canon noſter.*

Eodem modo vinculum illud ſpiritale inter Eccleſiam, & Clericum in ea ordinatum, ita ut eam non poſſet deſerere, neque aliò ſe conferre, cujus etiam ſcopus, ſtabilitas, ſive reſidentia, ut ait du Hamel loc. cit. eſſe traditionem Apoſtolicam, ſtatuit idem Chriſtianus Lupus in Scholiis ad quintum Romanum Concilium ſub Gregorio Septimo can. 20. cujus verbis malumus hoc explicare, quam noſtris, *quod non ſoli cum ſua Eccleſia Epiſcopi, ſed & quivis cum ſuo titulo Clerici, ſpirituale, atque immobile habeant conjugium, rectè advertit in literis ad Robertum Fontiniacenſis Monaſterii Prio-*

rem

rem, Stephanus Episcopus Tornacensis Epistol. 1. Amborum vinculum est omnino traditio Apostolica. Prius tamen fuit semper longè firmius. Clericum enim de titulo intra eandem Parochiam, ad titulum transferre semper licuit Episcopis. Semper item aliqui de Parochia ad Parochiam fuere vagati, & semper reperverunt Episcopos, a quibus reciperentur. Hinc omni sæculo clamarunt varii Canones: alterius Clericum nemo recipiat; nam aut libertatis libido, aut Episcopalis in commissa crimina disciplinæ fuga, aut seminandi erroris pruritus, fecit passim clericos vagari. Etiam clericorum inopia plures Ecclesiæ frequenter laborarunt; & filius Patrem, servus Dominum, uxorem maritus non potest deserere, aut mutare. Ita nec clericus titulum, longè minus Parochiam. Est omninò adulterium, & Apostasia. Cujus canonis adeo tenax fuit Romana semper Ecclesia, ut in suo Chronico scribat Nicolaus Trivetus anno 1294. Bonifacius Octavus statim post suam creationem, Episcopum Ostiensem super quibusdam in Cardinalium præsentia arguens, durissimè pallii usu privavit. Causam supra expresserat. Cælestinus quintus defuncto Episcopo Ostiensi fratre Latino ordinis fratrum Prædicatorum, in loco ejusdem substituit fratrem Hugonem de Belona, ejusdem Ordinis, qui prius tituli Sanctæ Sabinæ fuit Presbyter Cardinalis. Hunc ergo pallij usu privavit Bonifacius, quod se de titulo ad titulum transferri permisisset. Hinc Cardinalium translationem non nisi post extinctum Clementinum Schisma admisit Romana Ecclesia. Quod varii tituli tunc haberent duos, aut tres Cardinales, translatio fuit penitus necessaria.

Nec desunt Concilia, quibus declaratum fuerit, assiduitatem ex jure divino descendere etiam in beneficiis simplicibus; ut Concilium Ebroicense anno 1576. quod licet loquatur in principio de iis, quæ animarum cura gravata sunt; tamen ratio, qua utitur, omnibus beneficiis accommodatur: *Cogitent utroque jure non sibi deberi beneficium, nisi propter officium; ideoque fructus suos non facere, si suum non obierint ministerium:* & Coloniense anni 1549. capite 9. cujus decretum est expressissimum de beneficiis simplicibus: *Sancimus ut beneficiatus quisque, si beneficia habet a curis libera, aut unum Curatum, & simplex, sa-*

tisfa-

tisfaciat Officio, cujus gratia beneficium accepit secundum fundatorum intentionem, sacros Canones, & Patrum decreta, & ab Ecclesia, ubi beneficium negliget, non participet; etenim divini juris est, ut qui servit altari de altari vivat, nec bono jure is, qui non servit altari, vivit de altari, sicut stipendium non debetur nisi militanti. Quod de beneficiis simplicibus statuere, fidem facit Claudius la Place cap. 3. §. 4. argum. 1. *Hoc tamen quod est Concilij Coloniensis II. sub Adolpho Archiepiscopo pro reformanda Ecclesia indicti anno 1549. praeterire religio est, praesertim quoniam de beneficijs etiam simplicibus decernit, in tertio medio ad comparandam executionem reformationis necessario cap. 9.*

Sancta ea Synodo praeeunte, stabilitatem in beneficiis ortum ducere ex jure divino, nuper docuit Natalis Alexander Theol. *lib. 2. cap. 6.* qui cum beneficii Ecclesiastici definitionem proposuisset, *beneficium Ecclesiasticum est jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis Ecclesiasticis provenientes, Ecclesiae auctoritate constitutum, competens Clerico propter Sacrum ministerium, seu officium spirituale, quod exhibere debet Ecclesiae*: & explanans ea verba definitionis, *propter sacrum ministerium*, adjecisset: *dicitur denique propter sacrum ministerium: quia beneficia ad divinum cultum, atque Ecclesiastica munia obeunda, sunt constituta, ut loquitur Concilium Tridentinum sess. 21. cap. 3. de reformatione, unde beneficium Ecclesiasticum Ministerium appellatur, cap. quia nonnulli Ext. de Clericis non residentibus, ut merito beneficium propter officium dari dicatur, cap. quia per ambitiosam sit. de Rescript. in Sexto. Officium autem illud non sola Canonicarum horarum seu breviarij recitatio intelligenda est, ad quam omnes beneficiarij tenentur; sed Sacramentorum administratio, Missarum celebratio, Evangelij praedicatio, aliaque functiones sacrae, quibus ex institutione, & ordine Ecclesiae beneficiarij sunt obstricti, ut colligitur ex cap. significatum Ext. de praebendis, & dignitatibus*; tandem asseverat, hanc obligationem ex jure divino consurgere, innixus verbis Concilii Coloniensis: *Cum enim aequum sit, eos, qui altari serviunt, de altari vivere; a contrario sensu sequitur, eos*

qui

qui de altari vivunt ; altari servire oportere . Unde Concilium Coloniense Anno M. D. XIIX. celebratum, titulo 9. cap. 3. Divini juris est , ut qui servit altari , de altari vivat : nec bono jure qui non servit altari, de altari vivit . Nec in diversum abit Claudius Fleury in aureo libello inscripto, *Institution au droit ecclesiastique 2. par. cap.28. in fine* , ubi testatissimum facit , obligationem beneficiariorum fixè, & immobiliter inhærendi Ecclesiis ob sacras functiones obeundas, deduci tam ex jure naturali , quam ex jure divino , etiam in beneficiis simplicibus : quippe quæ non minus quam alia , instituta fuerint ob divinum cultum , & Ecclesiasticum ministerium . *Mais les benefices simples non laissent pas d'estre ètablis , aussi bien que les autres , pour le service divin , & les functions ecclesiastiques : & rien ne nous peut dispenser de l'obligation naturelle, & de droit divin , d'accomplir la promesse, que nous avons faite, en nous consacrant au service de l'eglise , & de la servir de toutes nos forces , pour avoir droit de vivre de son revenu.*

Hoc ipsum eisdem penè verbis, exaravit Franciscus Genettus tom. 2. theolog. tract. 1. de benefic. cap. 1. ubi cum definitionem attulisset beneficii ab ea non dissimilem, quam tradidit Natalis , aliique ; in ejus enucleatione inquit: *denique traduntur hi fructus propter aliquod officium spirituale, quia nullum est beneficium, quod non obliget ad aliquod munus spirituale, & juxta Concilium Tridentinum sess. 21. de reform. cap. 3 . beneficia ad divinum cultum , atque ecclesiastica munia obeunda sunt constituta: nimirum vel propter missam celebrandam, vel ut verbum Dei prædicetur, vel ut divinum officium recitetur, & similia; ut patet ex Canone significatum , & ex cap. quia per ambitiosam, in quo sic habetur: officium, propter quod beneficium ecclesiasticum datur.*

Quid autem nomine officii contineatur , aperit in hunc modum: *nomine verò officij , non solum intelligitur horarum Canonicarum recitatio, quæ vulgo vocari solet officium divinum, juxta decretum Concilij Generalis Lateranensis sub Innocentio Tertio celebrati: verum etiam intelliguntur cætera munia singulis beneficijs annexa; & præterea obligatio , qua bona ecclesiastica*

siastica obtinentes, tenentur operari juxta vires, & facultatem; & Ecclesiæ inservire: ijs enim aptè applicari possunt verba Sancti Pauli 1. ad Corinth. cap. 9. v. 13. si quis non vult operari, non manducet: & si qui altari deserviunt, cum altari participant; ita non videtur æquum, ut ij, qui nullum munus obeunt, de altari quicquam recipiant. Etenim ut habetur in Concilio Coloniensi cap. 3. tit. 9. Divini juris est, &c. Quin etiam, si Episcopus videat aliquos Clericos beneficia possidentes nulli muneri obnoxia, hanc ei obligationem incumbere existimat; ut eis pristina onera restituat: & si de illis non constet, quod vetera monumenta institutionum interciderint, pro illorum qualitate, ac fructuum ratione imponat, juxta Concilia, de quibus infra.

Iniquissimo animo fert Thomasinus in universa beneficiorum disciplina eos, qui novam invehunt Theologiam, novasq; Canonici juris commentationes obtrudunt, delicato præsentium temporum palato, luxuiq; ac delicijs, quibus utinā quidam ex ordine ecclesiastico nō diffluentes cerneremus, accōmodatā. Sed eos præsertim stomachatur Beneficiarios, qui distinctionibus antiquitati incognitis, & inauditis, quæque ecclesiasticum vigorem enervant, beneficiorum compatibilium, & incompatibilium, aliisque eiusdem generis; & sibimetipsis fucum faciunt, & Conciliorum, ac Summorum Pontificum decreta ludificare solent: omniaque beneficia indiscriminatim, neque simplicibus exceptis, & residendi necessitati subiecta esse, & functionibus illigata, non modo ex iure ecclesiastico, sed etiam naturali, & divino, non uno loco affirmat, ut par. 2. lib. 3. cap. 7. n. 5. ibi: *peræquè enim in simplicibus, & minoribus beneficijs, valet humani illa, divinique juris conspirans auctoritas, quę vetat, ne unum membrum plurium locum, muniaque invadat.* Et cap. 8. ubi cum retulisset definitionem Concilii Coloniensis anni 1549. *In Concilio verò Coloniensi definitum est, qui simplicia adepti essent beneficia, eos officio fungi debere, juxta fundatorum voluntates, sanctionesque Canonicas, satisfaciat officio, &c. etenim divini juris est, ut qui serviexint altari, &c.* addit: *plurimum*

mum profectò in his rationibus momenti est, ut beneficia simplicia antiquæ suæ sanctimoniæ restituantur, & quanta, vel quantulacunque sint, altarium ministerio penitùs impendantur. Ex quo illud efficitur, ut qui nullo suo ministerio de Ecclesia benemeretur, ejus stipendiis ali desinat. Et apertius in altera editione suo patrio idiomate conscripta par.4. lib.2. cap.60. num. 1. *Ces rations sont certainement fort pressantes pour remettre les benefices simples dans leur ancien estat, & dans l'engagement que leur est si natural de servir a l'autel. Car enfin c'est le droit naturel, c'est la loy des escritures, que celuy qui sert a l'autel doit vivre de l'autel, e que celuy qui non rend nul service a l'autel, n'en doit point tirer sa subsistence.*

Cur aliquis plura nequeat habere beneficia, cur eorum aggeratio monstrosa, portentosa, exitiabilis sit, ea princeps ratio tam apud veteres Patres, ac Theologos, sanctitatis, ac doctrinæ gloria conspicuos, quam recentiores, est ac supra alias cæteras emicat, atque eminet, quod nimirum, quis non possit residere in duabus Ecclesiis, quod in unaquaque debeat Beneficiarius omnes sui officii explere numeros: ideoque fieri nequeat, ut in duabus eos impleat, quod monstri simillimum sit, ut ab uno membro duorum partes, & munia obeantur, ut refertur ex D. Gregorii epist. c. 1. dist. 89. *Singula Ecclesiastici juris officia, singulis quibusque personis singulatim committi jubemus, sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent; ita in Ecclesiæ corpore, secundum veri dicam Pauli sententiam, in uno, eodemque spiritu, alij conferendum est hoc officium, alij committendum est illud, neque uni quantumlibet exercitatæ personæ uno tempore, duarum rerum officia committenda sunt, quia si totum corpus est oculus, ubi auditus? Sicut enim varietas membrorum per diversa officia, & robur corporis servat, & pulchritudinem repræsentat, ita varietas personarum per diversa nihilominus officia distributa, & fortitudinem, & venustatem Sanctæ Ecclesiæ Dei manifestat: & sicut indecorum est, ut in corpore humano alterum membrum alterius fungatur officio, ita nimirum noxium, simulque turpissimum, si singula rerum ministeria*

personis totidem non fuerint distributa: quod tertio quoque verbo in suo tractatu monet, ac ingerit Thomasinus, cui hoc ita certum erat, & indubitatum, *ut par. 2. lib. 3. cap. 1.* adversus acervationem beneficiorum cum ei disputandum esset, hac præfatione usus fuerit. *Quæ sæpius jam supra præstricta est beneficiorum residentia, & de qua prolixior suo infra loco instituetur disputatio, ea jam non leve præjudicium est adversus beneficiorum pluralitatem, accuratè hic nunc disceptandam; palam est enim residere in singulis non posse, cui plura sint beneficia. Cum ergo suis quique residere in Ecclesijs tenerentur Clerici, quibus sua illos affixerat ordinatio, ut supra dimonstratum est: ne fieri quidem poterat, plura ut in singulos beneficia conferrentur, cum pluribus in Ecclesijs, vel Civitatibus sedem habere non possent uno eodemque tempore.* Quin etiam ob expugnandam spiritalem polygamiam, profert Ecclesiæ instituta, quæ cò spectabant, ut Clerici in Ecclesiis suis sacris mysteriis operarentur; cum ex hoc capite in primis, omnes Sacerdotiorum congeriem, tanquam luem turpissimam, ac fœdissimam, venustissimum Ecclesiæ corpus deformantem, proscripserint, quod assiduitatem, sive residentiam impediat, ut videre est, ex eodem Thomasino loco citato: *Addè quod beneficium ab ordine non divelleretur, nec nisi collato ordine conferretur beneficium; nec alia esset beneficij collatio, quam ordinatio. Ergo cum ritè unus unum ordinem exercere posset, non plures: ritè unus unum gerebat beneficium, non plura. Tertio reditus beneficiorum meris constabant distributionibus, seu sportulis, vt delibatum alicubi jam est, vtque infra parte 3. operosius declarabitur. Quorsum ergo plura quis sibi accumulasset beneficia, cum præsentibus tantum, & officium fungentibus hæ sportulæ dispensarentur? Quarto bona Ecclesiæ temporalia tum omnia in commune possidebantur, uti nunc in Coenobijs, & Congregationibus plerisque, sive monasticis, sive Clericalibus. At ea ratio non possidendi nisi in commune, manifestè declarat, ne fieri quidem potuisse, vt vnus plurium portiones, vel distributiones obtineret, aut vt plurium Congregationum parte aliqua donaretur redituum;*

At

At verò concors,& consentiens traditio est Sanctorum virorum, quique in Sacris doctrinis fuere exercitatissimi, *pluralitatem* beneficiorum, juri divino ac naturali adversari; eo præsertim nomine, quia stabilitati sive residentiæ se opponit: ut perspicuum est ex verbis D.Thomæ supra relatis; cui concinit ætate æqualis, & multa ei consuetudine ac familiaritate devinctus D.Bonaventura, apud Auctorem libri instructionis virorum Ecclesiasticorum a Ioanne Amelio editi, qui ita Ecclesiasticos admonet: *Ipsi debent esse paucis contenti, & unicum beneficium cum Dei timore habere, & illud devotè regere ac deservire, scientes, quod patrimonium Iesu Christi pro peccatis populi est designatum pro stipendio servitutis; sicut scriptum est, peccata populi mei comedunt*: Vdalricus Argentoratensis, sive de Argentina in summa Theologiæ, qui hac in re asserit, non excusari beneficiarios dispensatione, utpote juri divino ac naturali contraria: *nam quantum ad id quod est de jure divino, & naturali, nihil valet, nec a damnatione excusat, sed potius dispensans eadem damnatione involvitur, cum quo dispensavit*: Illustris tam vitæ Sanctimonia, quam ingenii acumine, & eruditionis præstantia Thomas de Vio, sive Cajetanus in Summula, verbo beneficium §. mortale ibi, *nec excusatur peccatum mortale propter dispensationem Papæ, sine rationabili causa, quoniam dispensatio Papæ non cadit supra jus divinum naturale; pluralitas autem beneficiorum sine rationabili causa est contra jus divinum, aut naturale*: Soto libro 3. de Iustitia, & jure quæst. 6. artic. 3. qui in versiculo: *quia vero Doctores*, de omnibus beneficiis loquitur, etiam simplicibus: & inferius, cur nihil momenti habeat dispensatio, id in causa esse putat residendi obligationem. *Residere autem simul nemo potest in Ecclesiis pluribus, ergo sine urgentissima causa, eademque Ecclesiæ necessaria, non potest citra atrocem culpam super hoc dispensari*: Alphonsus Alvarez Guerrero Regius Consiliarius, & in Regno nostro Cameræ Summariæ Præses, in eius libro Coloniæ impresso, cui titulus, Thesaurus Christianæ Relig. cap. 34. de pluralit. benefic. versic. *idem esset, & vers. quid igitur tibi suades*.

des. Cujus verba spiritu Dei plena; operæ pretium fuerit subjungere: *Et quia aliqui dubitant, si quis potest de jure communi possidere duo beneficia simplicia in diversis locis, de stricto juris rigore dico quod non per prædicta: nec est in jure fundamentum validum, quod possit tenere duos titulos uniformes, quia sicut qui altari servit, de altari vivere debet, ita per locum a conversis, qui de altari vivit, altari debet servire, ut diximus; & decimæ sunt purè spirituales ratione finis, & objecti, quia connexæ sunt officio Ecclesiastico, quoniam Dominus ordinavit, eos, qui Evangelium enunciant, de Evangelio vivere, & beneficium Ecclesiasticum est jus recipiendi sustentationem ratione officii, & servitii non aliter, &c. Dato hoc pro constanti, impossibile est residere, & residendo servire in duobus locis, quia est contra principium naturale, ut patet ad sensum, &c. Ergo impossibile est de jure communi tenere duo beneficia, & quem intitulari in pluribus titulis Ecclesiasticis: ita Panormitanus, &c.* & infra: *licet hoc perniciosissimum Christianæ Reipublicæ, Ecclesiæque universalis statui, animarumque saluti, fore censeo, idque rationi naturali obviare, ac saluti Ecclesiæ, constitutionibusque, plurimorumque Sanctorum Doctorum opinionibus contradicere. Quid enim rationi naturali adversum magis, quam quod unus, & idem homo, varia Ecclesiæ stipendia in variis, & distantibus sæpe locis, & quibus varia imcumbunt onera, in seipsum suscipiat? Quæ est enim humana Respublica, quæ suos Judices, Rectores, Tabelliones, & alios officiales, stipendiis in absentia frui, & vagari permitat? Sola domus Dei, Ecclesia Sancta, tali inordinatione suo privatur ministerio, & debitis privatur obsequiis*: Eminentissimus Cardinalis Toletus de instruct. Sacerdotum, & peccatis mortalibus lib. 5. cap. 80. ibi: *Videtur contra rationem naturalem, nam unum membrum corporis, unum debet habere officium, unde Gregorius ita statuit, ut singuli singula haberent beneficia, & cap.* 81. ubi ait, suppalpari sibi, nec bene suæ conscientiæ consulere, qui prætexunt dispensationes; quia *quando causa non est in bonum Ecclesiæ, non est bona dispensatio, nec est homo securus coram Deo*: Sacri muricis ornamentum Robertus Bellarminus in Admonitione ad Nepotem, & ad Clemẽtem Octavum de officio primario Summi Pontificis, ubi D. Thoma Duce, benefi-

neficiorum omnium multiplicitatem, ait *non solum esse contrariam juri Canonico, sed etiam juri naturali*: licet majorem enormitatem hoc crimen in duplicibus contineat, (explosam autem fuisse *pluralitatem* a D. Thoma, quia obstat residentiæ, jam vidimus) Navarrus in summa Latina *cap.*25. *nu.*125. *&* 129. in Manuali *cap.*25. de peccatis Cleric. quoad beneficia *num.* 125. *usque ad* 129. qui etiam vestigia premit D. Thomæ: Lessius de justitia, & jure *lib.* 2. *cap.* 31. *de Beneficiis disputat.* 27. *num.* 130. *&* *dub.* 28. *num.* 151. ibi: *Quia est contra jus divinum naturale, ut unus habeat plura beneficia, nisi aliqua justa ratio id excuset, atqui Pontifex non potest dispensare in iis, quæ sunt juris divini naturalis, nisi interveniat justa causa*: Paulus Layman *lib.* 4. *Theolog. Moralis tract.* 2. *de Ecclesiasticis benef. cap.* 8. *de pluralit. assert.* 1. ubi ait, *id cum naturali jure pugnare*: Panormitanus *in cap. dudum* 2. *de elect.* qui ex his rationibus decidit, qui dispensationibus confidunt, tutos esse, *quoad Ecclesiam militantem, non tamen quoad Triumphantem*, ac proinde ait: *& sic non videtur dispensatio quoad Deum*.

Quibus annectendi Petrus Cantor *in verbo abbreviato cap.* 31. 32. 33. *&* 34. Thomas Cantipratanus *lib.* 1. *Apum cap.* 19. Dionysius Carthusianus *in tract. de benefictor. plural.* Guillelmus Peraltus in *in summ. de virtut. & vitiis*, quod opus magnifecit S. Carolus Borromeus *tract. de avarit. cap.* xc. Guillelmus Parisiensis *tract. de vitiis, & pecc. cap.* 9. *& de collat. benefic. cap.* 6. Natalis Alex. *lib.* 2. *Theol. regul.* 27. 28. 29. 30. & Claudius la Place in toto ejus cultissimo, ac doctissimo libello *de singul. benefic.* cujus fragmenta hic adtexere omittimus, quia oporteret, integras ejus lucubrationes exscribere, cum totus sit in probando, non posse reditus ex beneficiis decerpere, qui non resideant; non solùm ex jure humano ecclesiastico, sed etiam ex ipsa naturæ lege, & divina auctoritate. Iure igitur in Concilio Viennensi, ex insignioribus Episcopis in eo assidentibus, quidam declamationem adversus *pluralitatem* beneficiorum, quam in sua annalia retulit Raynald. anno 1311. n. 61. ita auspicatus est: *Cum*

tam

tam secundùm jura divina, quam humana, singula ecclesiastici juris officia sint singulatim singulis committenda personis, sicut in uno corpore multa membra, &c. Et verba quidem ille faciebat de beneficiis duplicibus. Sed ut ait Thomasin. rectissimè par. 2. lib. 3. cap. 8. *quæ ab illo tela vibrantur ejusmodi sunt, quæ omnium prorsus beneficiorum pluralitatem configant.*

Alludebat piissimus Antistes, alludebat Thomasinus, ad Gregorii verba antea recitata, quibus scripsit, Ecclesiæ venustatem fœdari, si unum habens beneficium, in sua Ecclesia non maneat, si quis duobus, aut pluribus augeatur beneficiis; eo quod in duabus Ecclesiis simul residere, sacraque curare non possit. Detruncatur insigni facinore, mutilaturque, Christi corpus sive Ecclesia, resectis ab ea, ac abscissis tot membris, quot privatur ministris, qui vineam Domini excoluissent, eamque fuissent operati, Sacerdotiis ut par erat, admoti. Cum autem Christus Auctor sit, & Institutor sacrorum Ecclesiæ ministeriorum, parensque, & conditor status Ecclesiæ corporisque; & hoc quidem, tanquam partibus, laicis constet, ac Clericis, qui sunt membra nobiliora, ac præstantiora, ut ait Claudius la Place cap. 3. § 3. argum. 3. dubitandum non est, quin scelus illud, quod nunquam satis quis exagitaverit, perveniat, ut ait idem la Place: *ad Juris usque divini, & institutionis Christi violationem*: quod repetit loc. cit. fol. 235. dicens: *Corpus Ecclesię non posse temerè immutari, aut rescindi, mutilari, aut diminui, quin violetur simul jus divinum, atque institutio Christi, qui eam fundavit, plantavitque per Apostolos, & de latere suo in thalamo Crucis eduxit sibi sponsam*: & tale argumentum pertinere ait sæpè, non modo ad beneficia Hierarchica, sed etiam ad cætera alia institutionis humanæ. Hujusmodi deturpationi, ac exectioni indolescebat Guillelmus Parisiensis lib. 1. de collat. & pluralit. benefic. cum ita ajebat lamentabundus: *Respice, inquam, multitudinem hujusmodi hominum, & videbis quanta portione detruncetur per eos corpus Ecclesię, & videbis, quod alius detruncat Ecclesiam duobus membris, alius tribus, alius pluribus usque ad incredibilem numerum.* Et infra: *Iam*

ergo

ergo manifestum fecimus, quod dixeramus, quia id, quod habet Ecclesia substantialius, videlicet corpus suum, ita detruncat ista pestis, ac mutilat, id quoque, quod habet acceptius, scilicet honorificentiam cultus divini, taliter mutilat, ac detruncat, quo patet quam perniciosa sit pestis ista Ecclesiæ Dei; ideo exterminanda est totis studijs, ac viribus ab eadem, tanquam ignis devorans ipsum corpus Ecclesiæ, ac membra ipsius, atque ut pestis idololatriæ, avaritiæ, & damnandæ ambitionis, vastans, & auferens ex magna parte honorificentiam cultus divini. Expressiùs, quod ita discerpantur, ac dilanientur artus Divinæ Sponsæ, id ex absentia beneficiariorum ex defectu residendi,& ex pluralitate,intantum, inquantum obest residentiæ,provenire; ingemiscens fatetur la Place loc.cit. num.5. *Sed diminutum queror, ac mutilatum totidem membris præstantioribus, nobilioribusque Sanctissimum Christi Corpus, atque Ecclesiam ejus dilectissimam Matrem nostram, honore,ac veneratione dignissimam, quot illi diversas Ecclesias particulares, & beneficia absentes possident; habuisset enim in unoquoque istorum beneficiorum Ecclesia ministrum unum honorifice,& laudabiliter residentem, strenuè, & religiosè Deo, & populo Dei personali functione sacris operantem, ac incumbentem; his abs te Ecclesiæ demptis, ac rescissis, his ipsis tua opera,& nequitia deficientibus, ac desideratis, his Deo carente, ac populo ejus destituto propter te, ac per te, inhumanissime Beneficiarie, quid ergo aliud egisti, nisi totidem membris honestis, nobilibus, & valde necessarijs, Sanctissimum Christi Iesu, Dei,ac Domini nostri Corpus quovis parricida tetrius mutilâsti, ac discerpsisti.* Vix fletui, ac lacrymis temperare possumus, cum eas mente animoque recolimus,in quas idem la Place erumpit voces: *ego verò (si quis locus mihi conceditur dicendi quid sentiam) cum attentiùs immanitatem istius detrimenti, ac injuriæ considero, quod Ecclesia Christusque patitur, ut hoc argumento expositum est,in membris sibi abscisis, ac resectis,Christus utique in dextera Patris hac impietate vehementer affligi, mihi videtur:* & in summa dicti argumenti 3. *Cumque nihil habeat Ecclesia Dei substantialius, & charius corpore,Cleroque suo,mirum ni Christo ipsi doleat maximè ista in corpus suum,Sponsamque sibi dilectissimam, grassatio, & carnificina,*

nā, meritoque adhuc, imo acerbius in dextera Dei sedens ad istud spectaculum, sensumque doloris gravissimum conqueratur, & dicat, attendite, & videte si est dolor, sicut dolor meus.

Sed age, effugia quædam, quorum umbra se putant posse delitescere, quibus posse a se impune humana jura, ac Divina proteri nimium sibi indulgentes, falsò credunt aliquot Beneficiarii, ipsis præcludamus. Quatuor ea sunt, quantum ex Auctoribus licuit colligere. Primum quod ii, qui Romæ resident, censendi sint ubique residere. Secundum, quod Beneficiarii, licet absint ab Ecclesiis, possint absq; illarum detrimento in functionibus necessariis obeundis aliorum vicaria opera uti. Tertium, quod jamdiu longa consuetudo necessitati residendi in beneficiis simplicibus præscripserit. Quartum quod huic consuetudini faveat Concilium Tridentinūm, ejusque verba magno illi sint fomento.

Nihil hæc habent firmamenti, quò possint segnes, ac ab antiquis moribus decrrantes Beneficiarii, dum nulla justa suffragante causa, suas Ecclesias despiciunt, inque suo ministerio perseverare negligunt, injuriam canonum obumbrare.

Non est quod desultores Clerici, aut Beneficiarii, & suæ militiæ desertores, ad illud toties decantatum recurrant, quod nimirum residentes in Ecclesia Romana, censeantur ubique residere: facilis enim est responsio. Subtilitates hæ sunt juris Canonici Interpretum, de quibus ne quidem inter eos convenit, immò qui sanioris judicii sunt, eas non approbant: sed nihil prosunt hæ subtilitates apud Deum, ut considerat Eminentissimus Cardinalis Cajetanus in 2. 2. qu. 185. art. 5. *Et si instetur, quod residentes in Ecclesia communi, qualis est Romana, censentur ubique residere; respondetur, quod si hoc est verum fictione positivi juris, quod Juristis relinquo, non tamen est verum quoad Deum*: cui adhærent, & ejus dictum summis laudibus efferunt, Sotus *de justitia, & jure lib. 10. quæst. 3. art. 5. versic. si autem necessitas universalis Ecclesiæ*, & Prosper. Fagnan. *cap. ex parte de Cleric. non resid. num. 85.* Nullius

pon-

ponderis sunt hæ commentitiæ distinctiones in veritatis, ac divinorum judiciorum statera, ex sententia Thomassin. par.4. lib.2. cap. 33. n. 9. *doctrinam illam, residentes Romæ, ubique terrarum residentes censeri, pervagatam quidem forsan esse inter recentiores Canonum Commentatores, at nullo prorsus eam esse pretio, momento nullo in divini judicij trutina.* Et Natalis Alexander Theol. lib. 2. regula 36. *Nec est, quod dicatur residentes in Ecclesia communi, qualis est Romana, censendos esse ubique residere; etsi enim id fortè verum sit fictione juris positivi; non tamen verum est quo ad Deum.*

Et notandum est, Cajetanum *loc. cit. vers. cum verò negotium*, loqui de his, qui ob utilitatem universalis Ecclesiæ, utque ei serviant, suamque operam præstent, Romæ commorantur: & tamen exemplum proponens in Episcopo, hactenus inquit, eum posse hac de causa a residendo excusari; quatenus ei impositum munus, ab alio quam ab Episcopo, expleri nequeat, secus si possit expleri, ut puta si aliquod officium exercendum sit, qualia pleraque sunt in Romana Curia: & demum concludit, qui hæc, & similia prætexunt, ut se a residendo eximant, nullam habere excusationem legitimam, & canonicam, & esse in Ecclesia Dei, velut monstra in natura. *Est tamen hic opus distinctione, an negotium hujusmodi universalis Ecclesiæ sit necessariò exigens Episcopum, ut ire ad Concilium generale, vel ad Synodum Provincialem, quæ etiam se habet ad Ecclesiam Episcopalem, ut totum ad compartem, constat quod rationabilis est absentia; sed si negotium universalis Ecclesiæ, non necessariò exigit Episcopum, puta quia persona Episcopi habet officium, quo oportet ipsum universalis Ecclesiæ servitio perpetuò personaliter Romæ deservire v.g. est Secretarius Sedis Apostolicæ, vel Auditor Rotæ, aut hujusmodi, non excusatur a residentia quoad Deum; & ratio diversitatis est, quia partes dupliciter ordinantur ad bonum totius: primum absolutè, & sic secundum naturalem statum primum ordinantur ad bonum totius, sicut manus, pedes, & reliqua membra hominis absolutè quidem ordinantur secundùm suos naturales status ad bonum hominis, cujus sunt partes; in casu au-*

tem, quod totius bonum periclitatur, partes etiam perdendo naturales suos actus, ordinantur ad bonum totius: secluso autem casu necessitatis, seu periculi totius, natura totius non requirit defectum in parte aliqua, sed nititur singulas personas salvare in suis naturalibus statibus, sic autem proportionaliter oportet fieri in toto, & partibus Ecclesiæ politicæ, secundum rectam rationem, ita quod qualibet particularis Ecclesia ordinatur ad universalis Ecclesiæ bonum, & servitium absolutè quidem, salva cuiusque Ecclesiæ perfectione; in casu autem necessitatis ordinatur ad bonum universalis Ecclesiæ, etiam cum sui detrimento; & quia servitia quædam, ut ire ad Synodum, sunt manifestè in articulo necessitatis Ecclesiæ universalis, vel provincialis, servitia autem, quæ Romæ in huiusmodi officijs exhibentur, nulla necessitate communiter exigunt, ut Episcopi incumbant talibus officijs, sed sunt tales in Ecclesia, velut monstra in natura.

Quod si locum obtinet in his, qui ut se Ecclesiæ universali utiles præbeant, in Vrbe moram ducunt; quid dicendum de iis, quos ibi detinet semper inexpleta honorum cupiditas, nullamque aliam degendi occasionem obtendere possunt, quam ut beneficia beneficiis accumulent, & dignitates dignitatibus. Contra hos se cohibere non potuit Cardinalis Turrecremata, quin exclamaret, *utinam etiam de Romana Curia hac in parte observaretur, in qua plures Episcopi conveniunt non devotionis gratia, sed ambitionis spiritu propulsati, ut ulteriora quærant, aut beneficia addant beneficijs, aut honores honoribus, utque officia, & lætationes quærant, quæ curæ animarum commissarum afferunt plurimum impedimenti. Utinam Summi Pontifices considerarent, quanta negligentia circa animas committitur ex absentia Prælatorum ab Ecclesijs suis.*

Quid hac in re ab aliis præstandum esset, exemplo docuit Eminent. Cardinalis Bellarminus, qui cum triennio dumtaxat Ecclesiam Capuanam, cujus erat Antistes, rexisset; prohibitus a Summo Pontifice, ne Roma abesset, ut narrat *epist.* 147. licet ejus industria, doctrina, ac eruditio tanto usui futura esset Ecclesiæ, ob Novatorum errores confutandos, cum in sua Ecclesia residere non pos-

possset, ea se abdicavit; nec ei veniam, aut dispensationem assiduitatis petere, licet ex causa justissima, in mentem venit: *quia verò tolerare non poteram absentiam ab Ecclesia, meæ pastorali curæ commissa, existimavi in conscientia eam debere alteri resignare, qui suo muneri satisfaceret; atque ita divina providentia meum videns imperfectum, me onere liberavit.*

Quod, ne amplius in disceptationem vocari possit, efficit Concilium Tridentinum. Siquidem ex antiqua Ecclesiæ politia, Cardinales non poterant creari Episcopi, exceptis sex Romanæ Metropoleos suffraganeis: ea nimirum de causa, quod satis esset difficile, ut in Ecclesiis suis residerent. Unde Michael Roussellius in historia Iurisdictionis Pontificiæ *lib.* 2. *cap.* 10. cum ex Auctore vitæ Stephani IV. retulisset anno 768. duas ab illo fuisse editas constitutiones, quarum una jussit, ut omni dominica die a septem Episcopis Cardinalibus hebdomadariis, in altari Beati Petri celebraretur; eum locum mendosum esse suspicatur, & pro *Episcopis*, vocem *Presbyteris* sufficiendam: eo quod non poterant Episcopi, derelictis Diœcesibus suis, contra Canonum prohibitionem, Romæ (quod Cardinalium peculiare erat) commorari. *Sic vides non solum Presbyteros, & Diaconos Cardinales, sed & Episcopos, quod tamen mirum, si Episcopi Romæ assiduè essent derelictis Diœcesibus suis; id enim contra Canones: an itaque error istic, ut pro Episcopis, Presbyteris legendum sit? & quomodo Episcopi Cardinales sine titulo? placet enim Divum Hieronymum non fuisse Cardinalem, quia titulo caruerit.* Cum autē posterioribus temporibus aliud in usu fuisset positum, eo colore, quod Cardinales essent in obsequio Summi Pontificis pro rebus, quæ Ecclesiæ universæ utilitatem respiciunt, qua de causa videbatur eos esse a residendo excusandos; hanc excusationem Tridentina Synodus sustulit d. sess. 23. c. 1. *Etiam si Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales sint, obligari ad personalem in sua Ecclesia, vel Diœcesi residentiam, ubi injuncto sibi officio defungi teneantur, nec abesse posse nisi ex causis, & modis infrascriptis, &c.* ut omit-

tam

tam bullas Summorum Pontificum Urbani VIII. ac Gregorii XIII. quibus declaratum fuit, eos subjectos decretis, ac pœnis adversus Prælatos non residentes statutis, quatum non oblitus fuit Fagnanus *lib. 3. decretalium par. 1. pag. 60. & seq.*

Confirmat autem conjecturam suam Roussellius eo quod in *cap. 2. de Clericis non resid.* refertur ex gestis Romanorũ Pontificum in Synodo Romana, quam habuit Leo IV. consilio Lotharii, & Ludovici Imperatoris; in qua cum proposuisset Summus Pontifex: *Anastasius Presbyter Cardinalis noster, quem nos in tit. Beati Marcelli Martyris, atque Pontificis ordinavimus, contra statuta Patrum, propriã Ecclesiam deserens, ecce jam per quinquennii tempus, in alienis Parochiis, velut ovis errans, habitare præsumpsit*, ubi Parochia sive Parœcia, ut multis aliis in locis propriè dicitur, quæ hodie vulgo διοίκησις, ut ait Cujac. *ad titulum decretalium de Clericis non residentibus in principio*: fuit omnium consensione juxta caput tertium Sacri, & œcumenici Concilii Antiocheni, a ministerio amotus: quam Historiam narrant Anastasius Bibliothecarius anno 853. in Leone IV., & Baronius tom. 10. annalium ad eundem annum 853. & de ea in tertia dissertatione redibit sermo.

Vt præteream, hoc perfugium, quod nimirum qui Romæ, vel in Romana Curia resident, ubique residere censeantur, his, qui eo se posse latitare inani spe ducuntur, eripi ex dicta Constitutione Bonificii 8. cap. fin. de rescriptis in 6. ibi. *sive in Ecclesiarum suarum altera residerent, aut in Romana Curia moram traherent, &c.* cum tamen ibi agatur etiam de beneficiis simplicibus citra curam animarum. Ex quo loco tria colliguntur: primò, his, qui eo prætextu a suis Ecclesiis abesse vellent, dispensatione Summi Pontificis opus fuisse; secundò indulgentias, sive dispensationes ex hac causa conceptas, tanquam eas, quæ maximum Ecclesiis detrimentum afferrent, fuisse abolitas; tertio ex dispensationibus, etiam ex hoc capite obtentis, ea mala enasci,

quæ

quæ Bonifacius in eo textu enumerat, & nos ex ipso supra commemoravimus.

Translata Avenionem Pontificum sede, cum pietas, ac vetus, & sancta disciplina, non paulatim, & sensim, sed apertè dilaberetur: strictissimæ residentiæ lex omnibus beneficiis incumbens, fucatis quibusdam, & conquisitis causis variè elusa, ut notat Fleury instit. au droit ecclesiast. par. 2. cap. 28. *Le seiour des Papes à Avignon fit encore pis: puisque eux mesmes, & les Cardinaux montroient l'exemple de ne point resider: aussi en dispensoient ils volentiers, jusque a donner des indults perpetuels de ne point resider, & de recevoir tous les fruits des benefices, en absence, comme en presence.*

Huic disciplinæ laxationi hic quæsitus color. *Le pretexte etoit, que ceux qui servoient l'eglise universelle aupres dela persone du pape, ou dans les emplois qu'il leur donnoit; etoient pour le moins aussi utiles a l'eglise, que s'ils eussent servy dans les lieux de leurs benefices.*

Sed quantum hoc abhorreret ab Ecclesiæ institutis, & in quantam perniciem Hierarchici status proruperit, ostendit his verbis idem Fleury: *Mais dans les primiers siecles l'etat, & l'eglise universelle ne laissoient pas d'etre aussi bien servis; sans avoir besoin de ces dispenses. En effet on n'a que trop, vù les mauvaises suittes dela non residence, le peuples sans instruction, le Clergè inferieur sans discipline, le vices impunis, le service divin negligè, & abandonè, les eglises sans ornemens, & souvent sans reparations, les pauvres sans secours.*

Nec justa est excusatio Beneficiariorum, qui vicaria aliorum opera in obeundo munere suo utantur, cum ipsi eo fungi debeant, ac indignum sit, ut ait Innocentius Secundus in Synodo Romana, *can. 10. caus. 21. quæst. 2. c. ult.* nosque alibi notavimus, *conductitiis presbyteris Ecclesiam committi.*

Exemplo Christi hunc Vicariorum usum expungit Claudius la Place de singularitate beneficiariorum cap. 5. antid. §. 10. excusat. 3. ab Ecclesia, *quam*, ait, *non per Vicarium Christus, aut Angelum, sed per se ipse redemit, &*

pro-

proprio sanguine sanctificavit; ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra, disciplina pacis nostræ super eum, & livore ejus sanati sumus. οὐ πρέσβυς, οὐδὲ ἄγγελος, ἀλλ' αὐτὸς ἔσωσεν αὐτοὺς, διὰ τὸ ἀγαπᾶν αὐτοὺς, καὶ φείδεσθαι αὐτῶν. *non legatus, neque Angelus: sed ipse salvavit eos, eo quod diligeret eos, & parceret eis.*

Perniciosissimum usum indignantur Patres, inter quos D. Bernardus ajebat, *qui per Vicarium inservit, per Vicarium remunerabitur*: indignatur Damasus Papa ep.4. quæ ejus nomine circumfertur tom. 1. Concil. pag. 164. *Curam vobis adeo* (illius verba sunt) *demandatam negligitis; qui talia sumunt videntur mihi meretricibus esse similes, quæ statim ut pariunt, infantes aliis nutricibus tradunt educandos, ut suam citius libidinem explere valeant; sic & isti infantes suos, idest populos sibi commissos, aliis educandos tradunt, ut pro suo libito Curiis sæcularibus inhient, & ad Principes, & ad eorum favores confugiant, & quod unicuique visum fuerit liberius peragant; pro talibus enim animæ negliguntur, oves pereunt, morbi crescunt, hæreses, & schismata prodeunt, Ecclesiæ destruuntur, Sacerdotes vitiantur, & reliqua mala proveniunt: non enim ita Dominus docuit, nec Apostoli instituerunt, sed ipsi qui curam suscipiunt, ipsi peragant, nam Dominus ovem perditam diligenter quæsivit, ipse invenit, ipse propriis humeris reportavit. Si Dominus pro ovibus tantam curam habuit, quid nos miseri dicturi sumus, qui etiam pro populo nobis commisso curam impendere negligimus, & aliis educandum tradimus?*

Ex hoc fonte innumera scatere mala, ex hujusmodi Vicariorum institutione consequi perversionem totius ordinis Ecclesiastici, nemo cordatus, ac sobrius negaverit: *Væ autem illis*, exclamat D. Bonaventura loco superius citato, *qui habent plura beneficia per Vicarios distributa: ipsi tollunt lanam, sed de ovibus non curant.* Similia habet Lugdunensis Archiepiscopus Guillelmus Peraltus tom. 2. de Avarit. cap. 11. §. 2. sub initium: *ridiculum est matrimonium contrahere spe ponendi Vicarium, & qui hæc facit videtur incidisse in illam maledictionem Deuteron. 18. Uxorem habebis, & alius dormiet cum ea. Quærimus de Vicario illo utrum sit*

pastor,

pastor, *vel mercenarius. Si mercenarius est, latro est, sicut prius ostensum fuit. Cum ergo dicit aliquis: bene possum habere hoc beneficium, quia ponam ibi Vicarium, penè idem est, ac si dicat: possum illud habere, quia ponam ibi latronem, qui furetur, & mactet, & perdat. Ioannis* 10. Nec dissentit Lessius lib. 2. de Benef. cap. 34. dubio 29. num. 154. *Respondeo non sufficere* (ut faciant per alios) *nisi causa majoris momenti cogat eos ad tempus abesse; nam contra rectam rationem est, ut tu officium cum emolumentis habeas, & alius præstet onus, nisi major aliqua ratio cogat te abesse. Confirmatur, quia quicumque accipit aliquod officium, obligat suam personam ad proprias illius officij functiones, tacitèque promitit, se illas subituram, quantum res feret, & nisi putaretur id facturus, non ei daret.* Et Alphonsus Guerrero loc. cit. *Quid prodest populo Christiano doctrina tua, si oves Christi tibi commissas, imperito mercenario cum tenui salario pascendas committis? quantum hæc consuetudo obstet Canonicis institutis in isto capitulo aperte monstratur.* Nec aliter Papiensis Cardinalis Iacobus epist. 547. & 548. ad Cardinalem Mantuanum: *Adde publicum odium merito in nos ex tanta infamia comparatum, lamentari Ecclesias vides, quod his cumulis egenorum panem eripimus, dolere populos, quod veneranda pastoribus loca plena nunc mercenarijs vident.*

Ex rationibus, quibus id comprobatum habemus, duæ sunt efficacissimæ: altera, quia in his, in quibus ratio propriæ cujusque industriæ habita fuit, non potest quis per alium facere, quod per seipsum tenetur, ut post Henricum Canisium argumentatur la Place loco citato: altera, quia cum æterna naturæ lex, & Concilia, & Summi Pontifices, nervis omnibus contendant, ut dignior semper ad beneficia promoveatur; otiosa esset, ac inutilis hæc regula, si posset in locum beneficiarii Vicarius subrogari, ut considerat Fagnanus *cap. ex parte de Clericis non resid. num.* 53.

Plura de hac re Ioannes Echius *homil. 2. de S. Stephano*, & Claudius Espencæus *digress. lib. 3. cap. 21. lit. B.* qui ait, Coadjutorum in sacro commilitio præ senio vel valetudine, vel hostium incursu, vel Diœcesis amplitu

I dine,

dine, aut alia canonica ratione cooptandorum ritum, nō excusare hanc, quam persequimur monstrositatem, ibi: *nihilo excusat magis hodiernum in conductitijs mercenarijs, & Vicarijs abusum, nam ne Vicariorum quidem nomen vix in novo jure Canonico, nedum nulla penè in veteribus Concilijs mentio.* Et cap. 22. refert, laudandum Iodochi percelebris sacri Oratoris dictum: *Memini Dominum Iodochum, magni tum nominis Concionatorem, juvenis audire, vicariam quidem salutem, personalem verò perniciem futuro illis seculo polliceri palam solitum. Adibunt, ajebat concionabundus, hujusmodi per Vicarios paradisum, in persona inferos*; Et lit. D. aliud suggerit Peralti apophthegma: *nam ubi antea Peraltus non minus verè, quam facetè dixit: valdè ridiculus fuerit, qui uxorem ducat frigidus, aut maleficio vitiatus, ejus vicaria modo opera fœcundandæ fiducia*; advertens etiam suis temporibus ex hujusmodi flagitio, non meliores extitisse fructus, quam eos, quos Damasus enumeravit, *nec minus horrendam tum morum in populo, Cleroq; vastitatem, tum gliscentium hæresum contagionem.*

Sed opus non est Auctorum loca, ac testimonia consectari in re clarissima, & quæ definita est Concilio Lateranensi III. can. 13. quo pronunciatum fuit, beneficia non esse concredenda, nisi Clericis idoneis, qui in loco resideant re, & exitu per seipsos, non per Vicarios, ibi: *Cum igitur Ecclesia, vel ecclesiasticum ministerium committi debuerit: talis ad hoc persona quæratur, quæ residere in loco, & curam ejus per seipsum valeat exercere; quod si aliter fuerit actum, & qui receperit, quod contra Sanctos Canones accepit, amittat; & qui dederit, largiendi potestate privetur.* Quæ verba habentur *cap. 3. de Cleric. non residen.* Idque ex eodem Concilio Lateranensi refertur in rescripto Alexandri III. ad Archiepiscopum Eboracensem in appendice ad dictum Concilium par. xv. cap. 1. *Relatum est nobis ex parte tua, quod cum in Laterano Concilio sit statutum, ut personæ tali Ecclesia, vel ecclesiasticum beneficium conferatur, quæ resideat in locum, & curam ejus per se valeat exercere*: unde translatum fuit in *cap. 4. d. t. de Cleric. non resid.* quorum canonum verba còtendere, ut vicariam alterius cujus-

cun-

cunque operam excludant, nos commonefacit Cujacius ad titulum de Cleric. non resid. *quod praeterea ex Concilio Lateranensi definitur in cap.3. convenienter ijs, quae praecedunt his verbis, ut ministerium beneficiumve ecclesiasticum ei committatur, qui in loco residere possit (mallem permanere, & perseverare in ministerio suo, nam residere est desidis, & ignavi hominis) quique possit, & per seipsum ejus loci curam agere, nec indigeat vicaria alterius opera; idem inquam repetit Alexander III. in cap.4. ut addat ea verba, qui possit residere per seipsum, ea verba esse accipienda cum effectu, ut Auctores juris civilis monent, saepe verba edictorum, vel verba legum esse accipienda cum effectu,* l.1. §.ult. quod quisq. jur. in alium statuer. l.ult. §.penult. ne quis eum qui in jus vocatus: *verba itaque Concilij superioris, Synodi superioris, esse accipienda cum effectu, nempe ut talis constituatur in Ecclesia minister, non qui possit residere simpliciter si velit, sed & qui resideat.*

Atque utinam Beneficiarii (de his qui sunt nequam loquimur, pios semper excipimus) non residentes, omninoque aliud agentes, quam quod est officii, sacrique sui ministerii; idoneum subrogarent, qui ipsorum suppleret vices, & nostro hoc infelicissimo seculo non eveniret, quod luctu dignum, ac probrosissimum ingemit Claudius la Place dict.cap.5. §. 10. excusat. 3. *illic enim obvius, ut plurimum quisque vagus, & ignotus Presbyter adhibetur curandis ovibus Christi, qui suam operam vilius locaverit;* vel potius, quod tantum angebat virum clarissimum, his verbis dolorem suum testantem: *Nemo etenim est, qui nesciat, eos beneficia, reditusque ecclesiasticos locare, & majus pretium offerentibus addicere consuevisse, non aliter, ac quosvis patresfamilias praedia sua, nihil pensi habentes, quam idoneus ad functionem sacram, spiritalemque hic redemptor sit, in quem omne onus, quotquot subire eos oportebat rejiciunt; atque ita haec patrantur, ut quamvis publicè nota sint hoc seculo, ficta, tamen magis, quam facta olim posteritas existimatura sit.*

Nequidquam etiam obganniunt Adversarii, ac telum illud imbelle, & sine ictu toties retusum, iteratò ingerunt. Consuetudo jus est, a longo jam usu beneficia-

rii, quos simplices vocant, Ecclesiis suis repudium miserunt; jure igitur faciunt. Profectò ego præeuntibus optimis, cordatisque Viris ita accepi: ejusdem potestatis esse figere leges, atq; refigere, minimè esse permittendum libidini populorum, quibus parendi necessitas incumbit, in jus Imperii contra officium invadere, ut qui aperto consilio in leges nihil possunt, tacita consensione eas ferre, novare, antiquare, omnia denique possint, dum velint. Et in civilibus quidem negotiis, legem consuetudine non vinci, notius est, quam ut hic admonere oporteat: id enim affirmatissimè Constantinus scripsit *l. 2. C. quæ sit longa consuet.* Desuetudine verò leges exolescere non diffiteor, ut scitè cum Connano distinguit Gifanius, sequuti Stephanum Græcum interpretem, quem laudat Balsamo in Photii Nomoc. *tit. 1. cap. 3.* *δύνατον μὲν γὰρ ἐκ τῆς ἀσυνηθείας μὴ κεχρῆσθαι νομίμῳ, οὐ μὲν καὶ ἐναντίως κεχρῆσθαι.*

Sed utcunque hoc statuant rei civilis periti, patibilis enim jactura est, ubi qui primi legem rumpunt, improbè fecere, posteriores inculpatè, qui tardius sequuntur, rectè etiam agere: imo optimo publico, vel antiquum jus pessumdedisse, vel novum simulacrum, sub moris nomine erexisse videntur, ut appositè dixerit Publius Syrus

Vitium prius fuit observatio, nunc mos est.

In rebus tamen, quæ ad Religionem faciunt, si quid Ecclesia sciens, prudens statuerit, nulla desuetudine, nulla temporis longævitate, nullo nomine, nullo colore unquam fiet, ut id abolitum jure dicatur, neque rimam ullam reperire est, modò nobis ipsis suppalpari nolimus, qua sanctissimorum Canonum observatio diffluere possit. Peccant sanè primi eorum violatores. Quis inficiabitur? posteriores, non tantum nullam queunt obtendere excusationem, quin deterius peccant, ex sententia Alexandri III. in Conc. Turonensi: *Quia diuturnitas temporis, non diminuit peccata, sed auget, cap. 8. de Simonia.* Frustra autem dixeris ibi agi de Simonia, quæ Divinis

ad.

adverſatur decretis, quæ nulla vel præſcriptione, vel conſuetudine labefactari poſſunt. Fruſtra inquam: agitur enim de Prioratibus, & Capellaniis, quarum rerum mercimonium, ex complurium Theologorum ſuffragio, non Divina, ſed humana lege prohibetur, qua de re Suarez *tom.1. de relig. lib.4. cap.24.*

Item Clemens IV. apud Alteſerram de Ducibus, & Comitibus cap. 4. *Si conſuetudinem allegas, te*, inquit, *& prædeceſſores tuos accuſas potius, quam excuſas, cum perverſæ conſuetudines, dici debeant corruptelæ. Veritati* (inquit Tertullianus libro de virginibus velandis cap. 1.) *nemo præſcribere poteſt, non ſpatium temporum, non patrocinia perſonarum, non privilegium Regionum; ex his enim ferè conſuetudo initium ab aliqua ignorantia, vel ſimplicitate ſortita, in uſum per ſucceſſionem corroboratur, & ita adverſus veritatem vindicatur. Sed Dominus noſter Chriſtus veritatem ſe, non conſuetudinem cognominavit, ſi ſemper Chriſtus, & prior omnibus, æquè veritas ſempiterna, & antiqua res: viderint ergò, quibus novum eſt, quod ſibi vetus eſt. Hæreſes non tam novitas, quam veritas revincit. Quodcumque adverſus veritatem ſapit, hoc erit hæreſis, etiam vetus conſuetudo.* Quod ſi ait Tertullianus de conſuetudine, quæ ex ignoratione rerum, vel ex ſimplicitate initium accepit, quid dicemus de noſtra depravatiſſima corruptela? *Non enim* (inquit Claudius la Place d. tract. cap.5. antidot. §.2. argum.2.) *ab ignorantia ſolum, aut ſimplicitate aliqua initium ſortita eſt, ſed ab injuſtitia, & improbitate nequiſſima, ab avaritia, & cupiditate turpiſſima, a detrimento maximo Eccleſiæ, a manifeſtiſſima fraude canonum, juriſque, tam naturalis, quam Divini, cui nulla conſuetudo præſcribere poteſt.* Idem Tertullianus d. lib. cap. 3. *exurge igitur veritas, exurge, & quaſi de patientia erumpe; nullam volo conſuetudinem defendas.*

Eâdem ſententiâ diſcipulus ejus Sanctiſſimus Cyprianus epiſt. 74. ad Pompejum poſt medium: *Conſuetudo*, ait, *impedire non debet, quominus veritas prævaleat, & vincat; nam conſuetudo ſine veritate, vetuſtas erroris eſt: propter quod relicto errore ſequamur veritatem, ſcientes, quia & apud*

Eſdram

Esdram veritas dicit, sicut scriptum est, veritas manet, & invalescit in æternum, & vertit, & obtinet in secula seculorum: benedictus Deus veritatis. Et epist. 73. ad Iubajanum ad medium: *Frustra quidam, qui ratione vincuntur, consuetudinem nobis opponunt, quasi consuetudo major sit veritate, aut non id sit in spiritualibus sequendum, quod in melius fuerit a Sancto Spiritu revelatum*, ubi *Pamelius num.* 50. qui etiam videndus d.epist.74. num.33.

Addendæ & aliæ Patrum sententiæ, quarum pondere deterrimus ille usus, quo malitiam suam velari posse confidunt, sui loci desertores Beneficiarii, penitus obruatur. *hoc planè verum est,* ait Divus Augustinus lib.4. de baptismo cap.5. *quia ratio, & veritas consuetudini præponenda est; sed cum consuetudini veritas suffragatur, nihil oportet firmius retineri:* qui sibi constat lib. 3. *veritate manifestata, cedat consuetudo veritati: planè respondeo, quis dubitat veritati manifestatæ debere consuetudinem cedere?* Et contra Donatistas cap.6. *nemo consuetudinem rationi, & veritati præponat, quia consuetudinem ratio, & veritas semper excludit.*

Testimonio in hanc rem Cypriani utitur Gregorius sive Magnus, sive Septimus, can. si consuetudinem distin. 8. *Si consuetudinem fortassis opponas, advertendum, quod Dominus dicit: Ego sum veritas, & vita. Non dixit: Ego sum consuetudo, sed veritas, & rectè, ut Beati Cypriani utamur sententia, quælibet consuetudo quantumvis vetusta, quantumvis vulgata, veritati omnino est postponenda, & usus, qui veritati est contrarius, abolendus est.*

Quænam igitur consuetudo honestare unquam poterit Clericorum non residentium desidiam, ac proterviam? Non hæc consuetudo appellanda est, sed potius totius Ecclesiasticæ Hierarchiæ perversio, disciplinæ labes, ac pernicies. Pro nihilo ducta Concilia, ludibrio habitos Canones, quænam temporis longinquitas excusare poterit? *Si quis*, inquit Willelmus Parisiensis Episcopus, de collat.beneficior. cap.6. *objecerit nobis ex Ecclesijs, in quibus non compellitur fieri residentia, dicimus, quia non est libertas ex fundatione, aut constitutione, sed magis ex longa consue-*

sue-

suetudine, *& Clericorum malitia usurpata* : cui subscripsit Thomassinus par.2. lib.3. cap.9. num.11. *inaniter prætexebant aliqui, his beneficijs suis nullam indictam fuisse residentiæ legem; at refellebat eos Guillelmus, eam non residendi licentiam, non aliqua lege niti, sed consuetudine, & quidem vitiosa, cujus etiam pauca essent exempla*. Nec aliter sentit, quod obiter dictum velim, hac in re idem Guillelmus de dispensationibus: *quod si objecerit nobis de dispensationibus Apostolicis, respondemus, quod illæ supra nos sunt, & quod diligentius considerata irrita sunt; & de omni dispensatione facta idem sentimus: nec interpretari præsumimus : è contrario tamen indubitanter sciendum est, quod Romanus Pontifex, quantumcunque largam dispensationis gratiam videatur facere in beneficijs, cum aliquibus personis, tamen non dispensat cum avaritia, cupiditate, vel ambitione earum; non enim intendit pascere, vel nutrire pestes vitiorum de bonis temporalibus ecclesiasticis, quæ plenè novit ad sustentationem Servorum Dei, in ejus servitio certificata esse Domino, & oblata*. Idem censuit de præfata consuetudine Bellarminus in admonitione ad Clementem Octavum; *usum, autem illum a multis introductum, eadem Tridentina Synodus abrogavit, ut omittam, quod ea, quæ mala sunt, nec certa, & justa circumstantia adsit, nulla consuetudine bona fieri possunt*: Navarrus in manuali cap.25. de peccat. Cleric. quoad beneficia num.121. *peccat mortaliter, qui in suo beneficio non residet, nulla ipsum ab ea causa excusante, quia omne beneficium, quamlibet tenue, jure communi requirit residentiam; consuetudo absentandi se sine causa nihil valet, juxta Innocentium, & omnes, neque cum ea fraudanda Ecclesia obsequio sibi debito* : Longinus in historia Polonica lib.3. anno 1054. *noli sequi consuetudinem periculosam, noli te per Papæ dispensationem excusare, &c. de numero ministrorum Ecclesiæ propemodum medietas est resecata*.

Et quidem non immeritò hæc opinio, ut Beneficiarii simplices non possint pravæ consuetudinis scuto se obtegere, pervicit, obtinuitque apud graviores, nobilioresque interpretes Juris Pontificii, tum ex unanimi veterum Patrum sententia, tum etiam quia, ut ait Florens ad

tit.4.

tit. 4. lib. 1. Decretal. de Consuetud. *Consuetudines, quæ vel contra jus Canonicum etiam positivum introducta sunt, vel quæ vergunt in gravamen Ecclesiæ, aut ejus libertatem imminuunt, rejiciendæ sunt cap. 1. 3. 4. & ultim. dict. tit. Itemque quibus nervus, & vigor Ecclesiasticæ disciplinæ disrumpitur;* Comprobatur *in cap. 2. de Consuetud.* Daciæ consuetudo, qua si quis donare vellet prædium Ecclesiæ, glebam de eo sumptam, offerebat Episcopo, aut in altari reponebat, testibus præsentibus, quæ donandi forma vulgo *Scotatio* dicebatur. Nempè hic usus nulli obviam ibat Canoni; ideoque eum, deficiente lege inductum, custodire oportebat. Sed non ea vis consuetudinis, ut possit Canones infringere: ideo *in cap. 3. de Consuetud.* reprobatur consuetudo Pictaviensis, sive Pataviensis, *ut ex Registro epistol. Innocent. edito Colon. fol.* 275. qua etiam de causis Ecclesiasticis, ii, qui adstabant, ut ut literarum rudes cognoscebant, ac judicabant, quod olim ad Ligerim observatum fuisse testatur auctor Queruli, sive Aululariæ Plautinæ: *ibi*, inquit, *sententiæ capitales de robore proferuntur, & scribuntur in ossibus: illic rustici perorant, & privati judicant. Nos igitur*, ait Innocentius dict. cap. *attendentes quod consuetudo, quæ Canonicis obviat institutis, nullius debeat esse momenti*: in cap. 4. damnatur consuetudo Ecclesiæ Constantinopolitanæ, ex qua a simplicibus Presbyteris Sacramentum Confirmationis conferebatur, contra vetus Ecclesiæ institutum, & decreta Summorum Pontificum ibi: *Ad excusandas excusationes in peccatis, & sui erroris fomentum, solam consuetudinem prætendentes, cum diuturnitas temporis peccata non minuat, sed augeat, quæ tanto graviora existunt, quanto infelicem animam diutius detinent alligatam.* Cui similis consuetudo fuit abolita in Concilio Senonensi celebrato anno 1527. can. 38. *Quoniam Abbates nonnunquam attentant munus confirmationis conferre, idque vindicant ex consuetudine præscripta ad se pertinere; nos attendentes, &c. consuetudinem hujusmodi, quæ potius corruptela dicenda est, reprobamus.* Præterea cap. 5. consuetudo rejicitur, qua Ecclesia quædam in urbe Cenomanensi

nensi se exemptam prætendens tempore generalis interdicti, sacrum justitium non servaverat, & non modo a divinis nō destiterat, sed ea celebraverat, pulsatis campanis, & apertis januis, quod ne quidem exemptis licet. Innocentius III. *lib.* 10. *Reg. ep.* 12. Juretus ad Ivonis Carnotensis epistolas: *Nos igitur*, verba textus sunt, *auditis hinc inde propositis, & cognito quod ex tali consuetudine, si qua foret, disrumperetur nervus Ecclesiasticæ disciplinæ: ipsam de consilio fratrum nostrorum penitus duximus irritandam, cum non consuetudo, sed corruptela potius sit censenda.* Ex cap. 7. nullius roboris est consuetudo, qua Prælatus proprio Marte, ac superiore inconsulto dignitatem deponit, & ad aliam transilit, ibi: *Cum igitur hæc non tam consuetudo, quam corruptela meritò sit censenda, quæ profectò sacris est Canonibus inimica, ipsam mandamus de cætero non servari.* Et cap. penult. Rupellæ consuetudines juri repugnantes abrogantur: *Nos itaque saluti, & utilitati vestræ providè consulere cupientes, tenore præsentium declaravimus, non teneri ad hujusmodi consuetudines, tanquam juri contrarias observandas*: de quo textu Cironius, Sagahun. *cap. final. de Consuetud. num.* 24. Et generatim *cap.* 1. omnes consuetudines in detrimentum Ecclesiæ, ejusque libertatis: quemadmodum generatim, ait Justinianus *nov.* 134. *cap.* 1. *τὰ γὰρ κακῶς ἐπινοούμενα οὐδὲ μακρᾷ συνηθείᾳ βεβαιοῦσθαι βουλόμεθα, quæ improbè excogitata sunt, ea nec longa consuetudine confirmari volumus.*

Et ne a Beneficiis abscedamus, *cap.* 1. *de Consuetud. in* 6. excinditur vetus consuetudo Ecclesiæ cujusdam, qua Canonici duos personatus, dignitates, præposituras, duas administrationes, aut duo beneficia perpetua simul cum præbenda, licitè obtinere absque dispensatione Sedis Apostolicæ poterant: *cum*, ut ibi dicitur, *Sacris sit inimica Canonibus, & de ambitionis radice processerit.* Cap. ex sequentibus de Institut. probatur factum Episcopi, qui mucronem Ecclesiasticæ censuræ distrinxerat, ut consuetudinem extirparet, ex qua Clerici beneficia absque consensu Episcopi Diœcesis recipiebant: *nos cogitantes*, ut in textu dicitur, *quomodo id a Sanctorum PP.*

est institutione alienum, & Ecclesiasticæ contrarium honestati, &

Ex quibus postremis verbis, vides etiam Ecclesiasticam honestatem pro jure esse: de qua re in 2. *different.* & in *Clementina, ne in agro, finali de statu Monach.* cautum est, ut Monachi in Prioratibus residere teneantur, non obstante quacumq; consuetudine. Quotiescumque autem consuetudo improbatur, nulla temporis diuturnitate induci potest, *authent. Navigia*, & ibi omnes, *C. de furt.* Et sicut statutum, a quo licet arguere ad consuetudinem, per quod inducitur diminutio divini cultus, nullas vires habet, *cap. penult. de Constitut.* ita nec valida est consuetudo.

Ex quibus rationibus Cujacius in utroque jure tractando ambidexter, probat, non valere consuetudinem, si qua in Ecclesia aliqua invaluerit, ut unus plures præbendas habere possit, *quia*, inquit, *pugnat hæc consuetudo omninò cum Concilio Oecumenico*, & est aperta textus definitio *in cap. literas de concession. preb.* ubi contra præbendarium pronunciatum est; qui tamen allegabat generalem consuetudinem.

Pari sensu quod dicitur *in cap. ultimo de Consuetudine*, debere hanc esse rationabilem, ita exponit Innocentius: *rationabilem dici, quæ non obviat Canonicis institutis*. Et consuetudinem, quæ est contra præceptum Ecclesiæ, non mereri consuetudinem dici, sed corruptelam, scribit Gabriel. *in 4. dist. 16. qu. 3. art. 3. dubio 6.*

Planè si recti, ac justi sunt Canones, si bona, & salubris eorum observatio; prava, & exitialis eorum violatio sit oportet. Alioqui cur putemus Ecclesiam tam sedulò Canonum lectionem imperasse? aut cur ne illi ignorentur tantopere fuisse sollicitam, si non ab ignoratione tantùm, sed ab diserta abolitione nihil esset timendum? Illud autem palam est in Concilio Aurelianensi 4. cap. 6. *Parochiani, Clerici a Pontificibus suis necessaria sibi statuta Canonum legenda percipiant, ne ipsi, vel populi, quæ pro salute eorum decreta sunt, excusent postmodum ignorasse.* Eadem inculcat Synodus Matisconensis 1. can. 9. & Cœlestin. 1.

nulli

nulli Sacerdotum liceat Canones ignorare. can. 4. dist. 38.

Cum dixisset Gregor. Nonus cap. ult. de consuet. juri naturali nullo modo consuetudine derogari posse, subdit: *licet etiam longævæ consuetudinis non sit vilis auctoritas, non tamen est usq; adeò valitura, ut vel juri positivo debeat præjudicium generare; nisi fuerit rationabilis, & legitimè sit præscripta:* cui textui convenienter Auctores passim asserunt: vim esse aliquam consuetudinis contra legem, si summa ratione nitatur, & frequenti usu firmata fuerit; nunquam autem præferri rationi, aut legi, si contra rationem sit inducta. Janus a Costa *in Summar. ad tit. de consuetud.* Florens *ad eundem titulum*. Quod & nihil dubii habet apud Theologos. Divus Thom. 1. 2. quæst. 97. art. 5. *Si maneat ratio eadem, propter quam lex primo utilis erat, non consuetudo legem, sed lex consuetudinem vincit.* Natalis Alex. *Theolog. moral. lib. 3. artic. reg. 22.* & alii passim. Quæ nam sit consuetudo rationabilis jam diximus: *rationabilis est communis consuetudo, quæ a jure probatur*, ait Ioannes in Summ. Confession. lib. 2. tit. 6. *irrationabilis autem* (inquit Gerson. contra propriet, reg. August. 3. parr.) *vel iniqua non præscribit: Innocentius dicit, quod rationabilis illa dicitur, quæ non obviat Canonicis institutis, aut quam jus sustinet; irrationabilis autem, quæ contra Canonum instituta, & a jure improbatur*. Sed demus, posse aliquatenus deferri consuetudini, etiam in rebus, quibus Canon resistit, quod nimis absonum est, non id locum sibi poterit vindicare, si Canonis ratio, ac utilitas perduret; si consuetudo Canone justior, & utilior non sit: quæ duo paucis complectitur Natalis loc. cit. *Abusus igitur adversus Canones invalescens, improbè, & ab improbis tantum jus putatur; a probis autem corruptelæ, prævaricationis, præsumptionis loco habetur: præsertim si legis utilitas, ac ratio maneat; tunc enim secundum S. Thom. 1. 2. q. 97. art. 5. consuetudini semper præponenda est*. An ulla ratio suadere poterit, ut qui non militat, stipendiis fruatur, ut Ecclesiarum proventibus ditescant, patrimonio pauperum saginentur, qui nunquam eas invisere, operâque suâ fructum aliquem afferre, cogitarunt?

 Quid

Quid plura! In ipsum jus divinum, ac naturale vim facit ea, in qua tantoperè Beneficiarii sibi placent, consuetudo. Nil autem magis pervagatum, quam iis juribus nulla consuetudine posse prescribi, nulla temporis vetustate ea posse lædi. Divus Thom. *quodlib.* 9. *art.* 15. Natalis Alex. *loc. cit.* Navarr. in Manual *cap.* 25. *de peccat. Cleric. quoad Benefic. num.* 125. & 128. aliique Doctores a nobis supra cumulati. Commune est Doctorum placitum, nulla consuetudine posse elui, ac elevari eam deformitatem, quam continet possessio plurium Beneficiorum; quod ex eo proficiscitur, ut jam ostendimus, quia unus duabus in Ecclesiis ministerii provincia sibi demandata, fungi nequit, ut patet ex divo Thom. *loc. cit.* Natali ibidem, Navar. *d. loc.* Claud. la Place, & aliis supra adductis, Thomasin. *par.* 2. *lib.* 3. *cap.* 9. *n.* 14. moventur Auctores prædicti, quod ea consuetudo adversetur juri divino, ac naturali, licet Cujacio, ut diximus, satis sit quod repugnet Concilio Oecumenico.

Postquam probavit Franciscus Genettus, eis, qui ex suo patrimonio habent quo se tueri possunt, non licere, redituum Beneficiorum quicquam in prophanos usus insumere, tract. 1. de Benef. cap. 11. q. 14. quærit, *nonne consuetudo generalis in Ecclesia, conferendi beneficia Clericis tam divitibus, quam pauperibus sine ullo discrimine, excusare videtur eos, qui ex reditibus Beneficiorum viventes, patrimoniales reditus cumulant, ut ditiores fiant?*

Sed statim respondet, a Beneficiariis frustrà consuetudinis opem implorari: *cum usus bonorum Ecclesiæ per modum eleemosinæ, & sustentationis, de Iure divino esse videatur, nulla ei potest consuetudo derogare; nec Clerici, sub prætextu talis consuetudinis, ea bona ad alios usus convertere possunt, Quod quidem ex S. Thoma probari potest, qui loquens de iis quæ propter administrationem Sacramentorum offeruntur (quorum certè, juxta omnes Doctores, Clerici magis Domini sunt, quam Beneficiati redituum Beneficiorum) sic loquitur, &c.*

Idem tradit gravissimus Auctor *quæst.* 18. de consuetudine ubique ferè vigente, ut possint Beneficiarii

de

de bonis ex beneficiorum reditibus comparatis, testari, licet a superioribus Ecclesiasticis non modo sit tolerata, sed sæpè in usum deducta: *Consuetudo in varijs Orbis Christiani partibus vigens, juxta quam Beneficiati de omnibus bonis suis, sine exceptione ulla, testantur: non ne Canonum sanctiones abrogasse, aut eis derogasse videtur?* ℞ *Cum hi Canones non solum jus aliquod positivum, & humanum, verum etiam naturale, & divinum contineant: licet dici possit, hanc consuetudinem a superioribus Ecclesiasticis toleratam, dum eam vident, sequuntur, & ipsimet in praxim deducunt, derogare posse juri positivo in hac materia, ut explicatum fuit supra tom. 1. tract. 1. cap. ult. nihilominus certum est, illam consuetudinem non posse derogare legi naturali, aut divinæ in sacris Canonibus contentæ. Unde licet eadem consuetudo permittat Beneficiatis in pluribus Regionibus, ut disponant tum moriendo, tum vivendo, de bonis ex reditibus Beneficiorum comparatis; dici tamen verè non potest juxta talem consuetudinem, posse Beneficiatos eadem bona ad usus profanos destinare, & propinquis Patrimonium pauperum dare.* Et infra: *nihilominus hæc consuetudo, & abusus, ac corruptela meritò dici posset, si permitteret Beneficiatis, ut moriendo bona darent per Ecclesiam acquisita, alijs quam ipsi Ecclesiæ, aut pauperibus: ac proindè nunquam derogare posset legi naturali, aut divinæ, aut contra eam præscribere, qua cavetur, ne Beneficiati ea dissipent bona, quæ non ad eos, sed ad Deum propriè pertinent, nec de illis ad usus profanos disponant.*

Eædem rationes, immò solidiores, conficiunt, nihil tribuendum consuetudini, sive potius turpissimæ corruptelæ, qua desidiosi Beneficiarii credunt, sibi blandientes, potuisse omnem suarum Ecclesiarum curam abjicere, ut centies urget d. suo tract. Claud. la Place præsertim cap. 5. antidot. §. 2. refut. arg. 2. ubi ait, non posse Beneficiarios ostendere *cur generali consuetudine jus naturale, divinum, atque Ecclesiasticum violari, justè & securè debuerit, potueritve. Denique cur præstet ita fieri: quam singulis Ecclesiæ ministerijs sacris, ac Beneficijs, totidem ministros, more majorum, & lege Ecclesiastica, naturali, divinaque addici: quam ibi rite ministrando singulos sua stipendia mereri, sanctæque*

que

que institutioni sui beneficij, & conditionibus ad illud perfruendum appositis, atque ab Ecclesia, & approbatis, & acceptis, fideliter, & religiosè secundum Deum satisfacere: Ne somniando quidem, sibique plaudentes, atque abblandientes id unquam efficient. Non est laudabilis, & honesta: vitiosissima, iniquissima est ista consuetudo: corruptela est improbissima, & perniciosissima. Deus est, & natura, & Ecclesia, qui condemnant: quis eam justificabit? ò tempora! ò mores! consensere jura peccatis (quod dixit Beatus Cyprianus) & cœpit esse licitum, quod publicum est. Nec verò tantummodo cœpit: adulta est pestis illa pluralitatis, vim sibi legis, & Canonicæ sanctionis impudenter arrogat: nec in iniquitate sua solem, & publicam lucem hominum reformidat, aut veretur, aut erubescit. Quam sapientius, & honestius in profana Roma sentiebant Ethnici Jurisconsulti? l. filius ff. de cond. Inst. quæ facta, &c. Et passim clamitabant: Perversa consuetudo non est servanda. Et c. 3. veræ sententiæ §. 2. arg. 3. ubi postquam dixisset, Bonacinam secū in hac re sentire; *quanquam argumento Beneficiariorum simplicium respondens excusationem suo peccato prætexentium ex consuetudine communi, quæ omni memoria vetustior sit; qua dicunt vita in usu esse, ut etiam sine stimulo conscientiæ, omnes beneficia simplicia habentes in illis non resideant: Nobiscum ille cogitur sentire contra consuetudinem istam sane pravam, & damnandam, quod minime excuset, quia juri naturali (inquit) saltem secundario adversatur; non potest autem induci consuetudo contra jus naturæ, nisi adsit justa, gravis, & sufficiens causa, cujus gratia, & pondere, neglectus, & obmissio residentiæ compensetur, & cohonestetur.* Subdit: *denique juri positivo humano, longa consuetudine derogari potest: divino, naturalique non potest. Quare quia non solùm humano jure positivo, sed etiam naturali Beneficia simplicia residentiam (ut vidimus) requirunt; pace tamen Bonacinæ dixerim, & auctorum ejus, non magis videri dispensationem dari posse in Beneficijs simplicibus, quam duplicibus, sine justa, & gravi causa: nimirum ex ea parte, quæ juris est naturalis, & ex virtute justitiæ obligat: sicut in onere Breviarij;* quod non nemo videt; & infra: *in obduratam autem istorum Beneficiariorum conscientiam, qui nullo metu tremendorum Dei judicio-*

diciorum terrentur, rationisque sibi oculum, ac mentem in hac re non propter Christum, & charitatem Fundatorum sui beneficij, sed sui dumtaxat commodi gratia, excæcarunt; cum B. Cypriano exclamare libet: consensere jura peccatis: & cæpit licitum esse, quod publicum est: rationem tamen consuetudo impedire non debet (ait idem Martyr) & Dei veritatem, non hominum consuetudinem sequi oportet. Denique consuetudo frustra rationi opponitur, quemadmodum dixit B. Augustinus, multo minus talis corruptela. Discant tandem se, infideles isti, atque ingrati beneficiarij plurales, in gravi peccato esse, quod non resideant, nec stent, qui stipendia illius per se accipere, & absumere nihil verentur: veritate revelata, consuetudinem sibi cedere oportet, ex B. Augustino, &c. Denique tam simplices isti, quam duplices Beneficiarij ex hac parte, graviter peccant non residendo: quia faciunt utrique contra præceptum juris naturalis in materia gravi: propterea comprobatam habemus generalem istam propositionem: omnia beneficia, ne quidem simplicibus exceptis, sub gravi ex natura sua peccato, obligare ad residentiam, personalemque ministerij sui functionem, ex eo quod beneficium axiomate juris, luminisque naturalis evidentissimo, detur propter officium.

Addimus & nos Augustinum in Enchirid. cap. 86. *Nostris temporibus multa mala ita in apertam consuetudinem devenerunt, ut aut parva, aut nulla esse credantur, quæ magna, & horrenda sunt; usque adeo, ut non solum non occultanda, sed etiam prædicanda, & diffamanda videantur*, & in Serm. 4. Dominic. Advent. *Nolite peccata contemnere, in quibus forte jam consuetudinem fecistis: omne enim peccatum consuetudine vilescit, & fit homini quasi nullum; illico ut obduruit, jam dolorem perdidit, putre est, nec amplius dolet; quod autem non dolet, non pro sano habendum est, sed magis pro mortuo computandum. Cum ulcus pungitur, & dolet, aut sanum est, aut adhuc spem habet sanitatis; cum autem pungitur, & non dolet, pro mortuo habendum est, & de corpore præscindendum*, & Gerlonium loco citato: *Inanis ergo est hæc excusatio in prædictis, & frivola, quæ prætenditur propter consuetudinem malam; quasi diceretur, quod abolita sunt præcepta legis, quoniam a majori parte hominum non servantur, quoniam non servare ea, a longè est consuetudo.*

Ad-

Addimus; & a Divo Augustino in Psalm. 21 verba illa, *quoniam circumdederunt me Canes multi*, ita explicari, *idest prò consuetudine, non pro veritate, latrantes multi*: quam interpretationem sequitur Arnald. de frequent. commun. in præfat. n. 39. *Si enim magnam vim in animis hominum, consuetudo habere videatur, ut ab ethnico homine contra Christianos, & à Christianis contra ethnicos scribentibus est dictum: cogitandum vicissim, Christum notissimo illo psalmo, ubi suę seriem passionis exponit, interprete Augustino, prędicare, cruci se affixum, probrisque, & contumelijs coopertum, quod veritatem contra consuetudinem assereret, nec enim illi ab inimicis aliam ob causam illata nex, nisi quod veritatem, & Dei leges scripturis traditas adversus traditiones illorum, doctrinasque humanas tueretur; quemadmodum ipsum in Evangelio sæpius exprobrantem audimus.*

Neque recentiores Canonum Interpretes, quibus eos quò velint ducere, ac detorquere magna industria est, quique plerumque vitiis temporum indulgentes in gratiam, ac assentationem loquuntur, in hujus consuetudinis patrocinium assumi possunt: horum enim aliqui eam omninò, ac absolutè rejiciunt, tanquam onerosam Ecclesiasticæ disciplinæ, ut Archidiaconus, Ioannes de Lignano, aliique, quos affert Borrellus: alii quò possit ei aliquatenus deferri, non solum exigunt, ut per vicarium idoneum religionis ministerium exhibeatur; sed etiam ut justa causa subsit, ob quam in Ecclesia Beneficiarius non permaneat, quæ alia non est, nisi necessitas ejusdem, vel utilitas: Augustinus Berous *cap: cum omnes de Constit. n. 6. in fin.* Antonius de Butrio *n. 31.* Hostiensis ibi, *& de concession. præb. cap. extirpandæ.*

Verum utcumque hæc se habeant, illud inter omnes constat, nullam consuetudinis vim esse, si Clerici vagentur; quo casu ex solo hoc capite, aut crimine, posse eos ordine moveri, aut a beneficio ejici, docent Innoc. *cap. ex tua de Cleric. non resid.* Felin. *d. cap. cum omnes* Ioan. de Selva *de benef. part. 4. qu. 2. n. 8.* & alii, quos consulto omittimus; & si Ecclesiæ patiantur ministrorum defe-

ctum

ctum: quemadmodum respondit Gregor. IX. Patriarchæ Antiocheno Apostolicæ Sedis Legato *cap.16. cum ad hoc. de Cleric. non resid.* quod pertinet ad Clericos Ecclesiæ Antiochenæ, quibus licet a Romano Pontifice, vel a Patriarcha indultum fuisset, ut eis abesse Antiochia sine fraude liceret, forte ut conjicit Cujac. *in d. cap.* propter Sarracenorum Antiochiæ quotidie insidiantium incursiones, qui tandem ad extremum Antiochiam Christianis eripuerunt; indulgentias rescindit Gregorius, & Clericos revocari jubet: *cum ad hoc sint Ecclesiastica beneficia deputata*. Et infra. *Sanè nobis innotuit, quod Ecclesia Antiochena, multis ex servitoribus ejus absentibus, est fere destituta ministris. Unde mandamus, quatenus non obstantibus apostolicis indulgentijs, & prędecessorum tuorum licentia, absentes Canonicos, & assisios revoces ad residendum in Ecclesia supradicta; & si non venerint, tu de ipsorum beneficijs, dum absentes fuerint, ipsi Ecclesiæ facias congruè deserviri in utilitatem ejusdem, quod ex præfatis beneficijs superfuerit convertendo.* Ubi hæc habet Cujac. *& rescindi illas indulgentias ait, propter penuriam Clericorum, quæ tunc temporis Antiochiæ erat non modica, ut in l. non gradatim* §. 1. *de mun. & on. dicitur: quoties penuria est, ut ait, eorum, qui magistratum suscipiunt, immunitatis ad aliquid infringi, ut Aristoteles 3. Politicorum, spurios Civitate donari; & l. 3.* §. *spurios de Decurionibus, spurios Decuriones creari, propter penuriam* δι' ἔνδειαν τῶν γνησίων, *& Plutarchus quodam loco,* διὰ ἐρημίαν ἀνδρῶν βελτιόνων. Iustissima de causa ductus fuit Summus Pontifex, ut eas indulgentias retractaret, quia, ut ait Gonzalez d.cap.n.4. *Privilegium concedi non potest in præjudicium Divini cultus, cap. ex parte de constitut. nec etiam juramentum est servandum, quando incipit esse damnosum Ecclesiæ, cap. sicut, cap. ex literis de jurejur. cap. 1. de his quæ fiunt a majori parte*. Quibus assentiuntur Gregor. Lopez *l. 4. Glos. 6. tit. 7. par. 1.* Petr. Greg. *tract. 6. de constit. & benef. cap. 7.* & alii, quos congerit Barbos. *in d. cap. de assisis*, quorum tex. meminit, ut id obiter moneam, agitur in constitutionibus Ecclesiæ Nicosiensis, *cap. 31. de assisiorum officiis tom. 11. Concil. par. 2. fol. 2383. & fol. 2428.*

in aliis constitutionibus ejusdem Ecclesiæ editis a Ioanne Archiepiscopo anno 1221. *cap.3.4. & 5.*

Ut consuetudine non præscribatur legi, juxta omnium sententiam, sufficit actus quicunque, qui secundùm legem fiat: At verò in re nostra, quotiescunque in Conciliis, etiam post decimumtertium seculum, de hoc tractari contigit, semper integrata fuit residentia, etiam in beneficiis simplicibus, adeout jure dixerit Claudius la Place d. tract. cap.3. ver. sentent. §.4. arg. 2. *Sed & si necesse esset de non abrogato veteri jure disputare, possumus ostendere non usquequaque pravam illam, improbabilissimamque consuetudinem invaluisse; nec in ipsa Ecclesiam, aut conquievisse, aut connivisse: omnino dissimulante Ecclesia, jura illa vetera antiquata fuisse, dici a nemine potest; aut viguisse adeò, & vigere istam corruptionem desuetudine coercitionis, censuræ, ac vindicationis ecclesiasticæ; ut viris probis interim placuerit, placeatque, ut ipsis approbantibus, nec pro virili reclamantibus obtinuerit, atque obtineat.*

Quam autem omni ævo incubuerint Concilia in hanc consuetudinem expugnandam, ac penitus exscindendam, liquet ex Concil. Coloniensi celebrato anno 1310. can. 10. quo vetitum fuit, ne pluribus beneficiis donarentur monachi, aut moniales, neve iis quamdiu absentes essent, præbendarum fructus consequi liceret: *nec monachis, vel monialibus prædictis tempore absentiæ suæ fructus cedant suarum præbendarum, quia sic viderentur aliquid proprij possidere.* Cum tamen hujuscemodi beneficia a simplicibus nihil distarent, si fides adhibenda est Thomasino par. 2. lib.3. cap.8. num.5. *Ea certè loca monachorum, & monialium in cœnobiis instar erant beneficiorum simplicium, quibus eadem, ac cæteris beneficijs Canonicæ leges præscribebantur; atqui & residere tenebantur monachi, & incompatibiles erant eorum sedes: ea ergo antiquissima etiam fuerat beneficiorum simplicium conditio, inolevitque paulatim licentia, &c.* Burdegalensi anni 1255. can. 1. Concilio Ravennate 4. habito anno 1317. rubric. 9. cujus verba sunt hujusmodi: *quorumdam Clericorum desidiam, & periculosam negligentiam radicitus extirpa-*

pa-

pare volentes, qui in eorum Ecclesia residere negligunt, in grave præjudicium animarum ipsorum, & scandalum plurimorum, propter quod Ecclesiæ sæpius divinis defraudantur officijs, cultusque divinus minuitur, quem summo cordis desiderio augeri desideramus, hoc sacro approbante Concilio citamus, &c. omnes Clericos nostræ Provinciæ, cujuscunque ordinis, dignitatis, & status, & conditionis existant, quatenus infra sex menses, &c. redire debeant ad continuam residentiam faciendam in eorum Ecclesijs, eodem sacro approbante Concilio statuentes, & ordinantes, quod si quis, vel si qui Clerici absentes hanc nostram monitionem contempserint, vel in futurum se absentaverint ab eorum Ecclesijs ultra quindecim dies. &c. ipso jure sint privati beneficijs omnibus, quæ in nostra provincia obtinent: Ex constitutione Vrbani V. anno 1365. edita contra habentes plura beneficia, etiam sine cura animarum, ex eo quia in duabus, aut pluribus Ecclesiis residere nō poterant: *ex quo hujusmodi Beneficiatis, nequeuntibus in diversis beneficijs residere, diminutio divini cultus, hospitalitatis defectus, ecclesiasticæ libertatis, & jurium perditio, ac rerum lapsus, prædiorum destructio, ædificiorum, & ipsarum Ecclesiarū ruina, vitiorum pullulatio, animarum pericula, &c. veniebant.* Cujus iussu, ut cernitur ex eadem cōstitutione, & patet ex ipsius Vrbani literis ad Tholosanum, & Narbonensem Archiepiscopos eodem argumento datis, testaturque Raynaldus, non pauca fuere coacta Concilia adversus Clericos pluribus beneficiis præditos, & ex hac causa non residentes: Ex Concilio Andegavensi anno 1365. can. 16. ibi: *Cęterum cum personæ ecclesiasticæ in suis beneficijs teneantur personaliter residere, & maximè si curam habeant animarum.* Quod verbum *maximè* notandum est, quippe quod multum conferat ob explicanda verba Concilii Tridentini, & eliciendam Patrum sententiam circa simplicia beneficia: Concilio Veterensi anni 1367. can. 18. *Cum singula officia singulis sint committenda personis, & unum officium vix dignè valeat aliquis adimplere, &c.* ubi etiam reiicitur consuetudo contraria tanquam corruptela, *consuetudine aliqua etiam juramento vallata non obstante: cum dicenda sit potius corruptela.* Adeo ut etiam in Cypri insula, quip-

pe quæ Romanæ Sedi pareret, etiam in beneficiis simplicibus residentiæ lex servaretur, ut ex Constit. Joannis Archiepisc. tom. 11. Conciliorum part. 2. fol. 2424. cap. 1. & constitutionibus ejusdem Anni M. CCCXXI. cap. 4. fol. 2429. *Cum adhoc sint Ecclesiastica beneficia deputata, ut idoneè in divinis officiis Ecclesiæ serviatur, & ad ipsum ministerium talis queri persona debeat, que per seipsum illud valeat exercere; quare unusquisque in ea vocatione manere debet, in qua est ritè locatus, ac jure debet altari servire, qui de altario victum quærit.* Et cap. 5. quo præcipitur, ut Beneficiarii suum ministerium exerceant per seipsos, & non per substitutum.

Fortasse excipiant. Si ita est, non regulæ regulis, non Canones Canonibus mutari poterunt: quod usu, experientiaque non falsum modo, sed & perniciosum deprehenditur. Sic enim Ecclesia semper in more habuit, ut pro rerum vicissitudine, & oportunitate veteribus plerisque etiam Apostolici ævi institutis rescissis, quæ in præceptum non abierunt; nova quædam stabiliret, ut de esu immolatorum, de trina immersione Baptismi, & hoc genus aliis; Præterea nemo ambigit, servari quædam in Ecclesia, quæ tamen ostendi nequeat a quonam Concilio, vel Pontifice introducta sint, ut jejunium Quadragesimæ, Pascha, Sabbathi cultus in Dominicam translatio, &c. ut disputat Io. Major *in 4. dist. 17. q. 1.* quò sciamus, eandem esse vim Canonis, & consuetudinis.

Sed hæc temerè dicta, nullo negotio diluuntur. Scimus non semper eadem Ecclesiæ conducibilia esse, sed in tempore: non aliter, atque in navis administratione, alia usui sunt in secunda, alia in adversa tempestate, cum ipse Deus ex iis, quæ in vetere Testamento statuerat, nonnulla mutarit in novo, ut loquitur Innocentius III. *in cap. 8. de consanguinitate.* At id Ecclesiæ, summive Pontificis, qui ei preest, consilio, & auctoritate, non Ecclesiasticorum arbitrio, & licentia faciendum: Ecclesiæ inquam, in idem convenientis, ubi charitas, quæ conjungit, unum omnibus inserit sensum, non effusæ multitudinis, ubi

Phi-

Philautia, quæ disperdit, quæ sua sunt quærere suadet. Humanæ corruptionis est a severitate in molliùs vivendi genus assiduè contendere. Quid inconsultius, quam nervum ecclesiasticæ disciplinæ iis diffringendum permittere, qui eo maximè constringuntur? qui si Canones fenio confici possint, annos de suo sint apposituri?

Falsò autem prædicant Apostolicam Constitutionem, qua immolatorum esus vetatur desuetudine abolitam esse; quasi verò nunc liceret Idolothytis vesci. Quanta est garriendi impunitas? Desueverunt Idola, sicque re ipsa sublata, Canon in usu esse desiit, nec ullus est fidelis, qui ejus unquam observationem integrari desiderat. Sed si, quod abominamur, iterum vetus erumperet superstitio, quis nisi perditus asseveraret, posse immolata gustari? *V.* 1. *Corinth.* 10. *à vers.* 14.

Sed & de trina immersione non veriora proferuntur. Non illa annorum veterno deflaccuit, sed ab Ecclesia studiosè abrogata est in odium Donatistarum, & ad evertendum scandalum, ne Baptismus iterari videretur. Concilium Tolet. 4. can. 5. *propter vitandum schismatis scandalum, vel hæretici dogmatis usum, simplam teneamus Baptismatis mersionem*. Idem causatur Gregorius M. *lib.* 1. *epist.* 41. Sanctus Thomas *3. p. q.* 66. *art.* 8.

Debiliora sunt, quæ addebantur de Quadragesima, Pascha, & sanctificatione diei Dominicæ ad id conficiendum, posse homines, comparato sibi usu, aliorum animis laqueum injicere, cum illa nullum habeant Canonem authorem. Etenim Jejunium Quadragesimæ quidam Telesphoro tribuunt, sequuti Eusebium in Chronico. Alii ab Apostolis institutum, Ecclesiæ universæ traditum existimant, cum Hieronymo *in epist. ad Marcellam*, & *S. Leon. serm.* 6. *ad* 9. *de Quadragesima*. Festum quoque Paschæ ab iisdem fuisse celebratum, argumento est, quod primis Ecclesiæ seculis, quæstio agitari cæpit, utrum dies Paschæ, quilibet esse posset, an solus Dominicus, ut constat ex Irenæo *epist. ad Victorem, ex Concil. Nicæn.* 1. & quæ ante illud habita sunt, & *constitut.*

Ani-

Aniceti Pont. immò ab ipso Christo, qui cum sacram exhibuit Cœnam, Pascha Judaicum exemit, ut ait Chrysostomus *Homilia de proditione Judæ*. Tandem Dominicæ cultum ab ipsis Apostolis nos accepisse, fatendum est. S. Augustinus serm. 251. *Dominicum diem Apostoli religiosa solemnitate habendum senserunt*. Erat enim dies Domino consecrandus, at non Sabbathum, ne judaizare viderentur, quo nomine Colossenses, & Galatas severissimè Paulus arguit: quod Sanctorum Patrum locis innumeris confirmat Bellarmin. *lib. 3. de cultu Sanctorum cap. 11.* In summa una Augustini regula *lib. 4. de Baptismo cap. 24.* obstrepentium ora comprimet: illa omnino sine dubio ex Apostolica traditione descendere, quæ in universa Ecclesia observantur, & in nullo Ecclesiæ Concilio instituta inveniuntur. Quod igitur in Ecclesia constanter retinetur, id licet Auctor ignoretur, auctore non caret; neque ideo ad receptas vulgi consuetudines confugiendum est, quibus nulla obligandi Posteros vis potest inesse. S. August. *can. jam itaq. caus. 1. q. 4.* quanquam nobis bellum non sit cum omnibus consuetudinibus, etiam justis, & traditiones, Concilia, Canones non oppugnantibus; ut eæ sunt, quæ objectabantur, quas etsi admiserimus posse induci, & posteros ab iis ligari, nihil id nostræ officit sententiæ: sed de iis, quæ Canonibus sunt adversæ, eorumque spiritum suffocant, a quibus posse illos vinci, præcipuè si eorumdem ratio, ac utilitas perseveret, nemo bonus existimabit.

Jam nec illud obtendere juvabit ad protegendas laxas consuetudines, quod videtur Ecclesia eas scientiâ, & conniventiâ probare. Nam aliud longè est, quidquam ab Ecclesia tolerari, aliud probari, ut *ex cap. jam dudum de præbendis*, in quò Io: de Betunia a Præpositura Siclinensi arcendum esse pronunciatum fuit, quod plura beneficia possideret; licet ab eo obiiceretur, beneficiorum pluralitatem ob temporum vitia fuisse toleratam, *cum multa* (ait Summus Pontifex d. cap.) *per patientiam tolerentur, quæ si deducta fuerint in judicium, exigente justitia non debent*

bent tolerari. Optimè Cujac. d. cap. *& quod posset quis opponere Romano Pontifici in plerisque aliis vitia tolerari, propter quæ Io: possessione Præpositure detrusus est, maximè ut obtineant, plura beneficia, id Pontificem non movit, quia, inquit, per patientiam multa tolerantur, quæ si deducta fuerint in judicium, exigente justitia, non debent tolerari, quæ patientia tamen, dissimulatio, vel conniventia prò dispensatione non est cap. 3. de Cognatione spirituali.* Qui idem repetit cap. 28. de multa, lit. E. *unde si dispensatio ægrè, vel non admodum probata, nec ex dissimulatione quoque Romani Pontificis, justa excusatio sumitur præsumptione tacita dispensationis:* qua de re etiam videndi Sanchez, aliique a Barbosa relati. Quæ tolerantur, improbantur; unde notat Glos. per patientiam non fieri dispensationem, *cap. mulieri de Jurejurand. cap. super eo de Cognat. spirituali;* sed ad avertendum offensionis incommodum, ita feruntur, ut in tranquilliorem diem resecanda differantur. Hujus rei testis est M. Gregor. qui ad Augustinum Anglorum Episcopum scribens de laicorum consuetudine, quà in Dominicis Quadragesimæ carnibus vescebantur, sic habet. *Unde nec a tali consuetudine averti possunt, & ideò cum venia suo ingenio relinquendi sunt, ne fortè pejores existant, si a tali consuetudine probibeantur, ut enim ait Salomon, qui multum emungit, elicit sanguinem.* D. Augustinus explicans illud ad Galatas, *timeo, ne sine causa laboraverim in vobis: Exclamare*, inquit, *compulsus sum, væ peccatis hominum, qui sola inusitata exhorrescimus, usitata verò pro quibus abluendis filii Dei sanguis effusus est, quamvis tam magna sint, ut omnino claudi contra se Regnum Dei faciant, sæpe videndo omnino tolerare, & sæpe tolerando etiam facere cogimur. Quare*, ajebat Arnaldus de freq. comm. part. 2. cap. 18. *videndum etiam atque etiam ne in hac re, aut similibus confundamus, ac permisceamus leges ipsas cum iis, quæ præter leges inducta sunt, institutiones primas cum laxamentis, ac accomodationibus subsequentium temporum: postremò, ea quæ impellente, & quasi extorquente necessitate fiunt, cum iis quæ sponte, ac libera voluntate perficerentur; quod enim pro remedio, ac etiam necessitate temporis statutum est, ut ait egregius Pontifex* (Innoc. I.

ep.

cp. 22.) constat primitus non fuisse, quia aliud est ordo legitimus alia usurpatio, quam ad præsens fieri tempus impellat. Ad eos autem, quibus Christiani gregis custodia credita est, pertinet arguere,& increpare magis,quam pœnas intendere: ad Principes verò, qui cum Regni administratione Ecclesiam tuendam susceperunt, imperio etiam, & coercitione adniti, ne operibus infructuosis tenebrarum Fideles communicent. Certè qui minus habent virium ad homines in officio continendos,iis maximè tolerantia convenit, ut ille ait,

Durum, sed levius fit patientia,
Quidquid corrigere est nefas.

Ecclesiasticos ex Chrysostomi sententia *lib. 2. de Sacerdotio cap. 3.* suadere,& preces fundere,non vim afferre oportet, & dum sua utuntur auctoritate,aut jurisdictione;præsertim cum vitia invaluere, *ἔλεος, συγκατάβασις, οἰκονομία, συμπάθεια* convenit. Basilius in epist. ad Amphilochium, Zonaras, & Balsamo ad can. ult. 6. Synodi in Trullo. At Princeps, qui non sine causa gladium portat, Dei minister, vindex in iram malè agentibus, nihilo deterreri debet, quin sacros canones delicatorum turba pessumdatos, jussù, atque animadversione auctoritati suæ restituat. Urendum, secandum est, ubi diuturnum ulcus leni non proficit medicina, & quando perversitas in legem, licentia in morem, contumelia in jus evasit: quid expectandum est, nisi ut armentur jura gladio ultore?

Et sanè si verum amamus, illa distinctio beneficiorum simplicium,& duplicium,illa,quæ nobis obtruditur consuetudo, ex quadam remissione Ecclesiasticæ disciplinæ, ac corruptione, originem traxit, ut scriptum reliquit Thomasin: p. 2. lib. 3. cap. 7. n. 5. *Adde, quod ea distinctio duplicium, & simplicium Beneficiorum, quoad residentiam, non aliunde ortum duxerit, quam a torpore, & oscitantia Pastorum, vel a Clericorum supinitate. Supra enim prolixa congerie testimoniorum ex Sanctis Patribus corrasorum ostensum est, omnibus prorsus Beneficijs illigatam fuisse residendi legem. Quod illud jam vinculum solutum sit, non potest nisi in incuriam ho-*

hominum, & *officij negligentiam causa conferri*. *Qui primi huius Juris relaxationis authores fuere*, *ij labis immunes esse non potuere*, *ut qui legem hactenus vigentem vilipenderent*.

Sed age, liberaliùs agamus, & quoniam nostra ætas severitatis jugum non patitur, ne licentiores animæ immodici rigoris nos insimulent, demus ultro, posse Ecclesiæ statuta diuturnis moribus obsolescere; tamen nemo sani syncipitis inficiabit, obtinere id tantùm in adiaphoris, vel ritualibus, non etiam in iis, quæ ad mores pertinent. Itaque Petavius, qui prò consuetudine causam agere instituit adversus Arnaldum, *lib. 2. de pœnitentia publica cap. 1. & seqq.* rem ita definit, ut cærimonialia, quæque spectant ad modum, quo Sacrorum ministros muneribus suis fungi deceat, aut ad ritus indifferentes, Jurisque humani; nequaquam sint immutabilia, sed possint per se obsolescere, non observata: quæ verò ad mores referuntur, & mutari nequire, neque his præscribi, aut derogari contraria consuetudine posse: quæ mala necessariò habenda est, nisi velimus legem Dei æternam, qua bonum, & malum ex rationis norma discreta sunt, tempori obnoxiam facere.

Et verò exempla ipsa, quibus causam suam instruit Petavius, de veteribus quibusdam statutis abolitis; præmodum confirmant, non tędio ullo, aut infrequentia hominum ea evanuisse, sed nova regula, & sanctione: vel si sensim, sine sensu exoleverunt, rituale quidpiam, indifferensue, aut leve iis comprehensum esse, putandum est. Abstinentiam a suffocato, & sanguine, commendarunt olim Apostoli in comitiis Hierosolymitanis. Id in Ecclesia diu retentum apud Græcos usque ad tempora Leonis Philosophi, ut indicat ejus novella 58. apud Latinos jampridem obsoletum, referunt Græci commentatores in can. 67. Trullanæ Synodi; nescio quam verè: in Conc. enim Aurelianensi 2. Can. 20. anathemate damnatos legimus, qui ea comedissent; hoc autem incidit in ann. 533. In Africa ante hæc tempora, nullo usui fuisse testatur Augustinus *lib. 32. contra Faustum c. 13*. Quamob-

M rem

12

rem existimemus Ecclesiam adeo somniculosè Apostolorum imperia persequutam? Agebatur nimirum de re indifferenti, de reliquiis judaismi, quarum observantia, fideles nihilo meliores efficerentur.

Quæ subiicit de secundis, & tertiis nuptiis, gravissimè olim eas in Ecclesia exceptas fuisse, damnatis ad publicam pęnitentiam digamis, asperiusque trigamis, ex 7. epist. can. Basilii ad Anphilochium, & plerisque Græcorum Conciliis, quæ hodie sine ulla censura centies iterari possunt, & hæc ad ritualia referuntur. Neque me fugit, totum de pœnis publicis negotium, varie in Ecclesia pro tempore procuratum; & modo remissiùs, modo acerbiùs cum fidelibus actum: neque crimina tantum, sed interdum levissima quædam, & vix culpæ dicendæ, luctuosis operibus mulctatæ, ut homicidium fortuitum, vel in defensione admissum, qua de re disputat Morin. *lib. 1. de pænit. cap.* 4. ne quid dicam de diversis Patrum affectionibus; quam enim supra modum nuptias aversati sunt Tertullianus, & Hieronymus? cujus hæc sunt adversus Iovinianum: *non damno digamos, imo nec trigamos, plus aliquid inferam: etiam scortatorem recipio pænitentem.*

De trina immersione proximè dictum, eam non consuetudine, sed sanctione antiquatam. Quod autem ex Canonum præscripto Baptismus olim non nisi statis diebus administrari potuit, nunc omnibus horis, me a proposito non divellit; nam & hic ritus est merus, neque ut ceremoniæ perpetuum usum obtineant, flagitamus. Circa dies autem Baptismi non solum mores, sed & constitutiones veterum comperimus esse diversas: aliter enim statuit Laodicena Synodus *Can.* 45. aliter Syricius Papa *Can. non ratione de consecrat. distinct.* 4. aliter Concilium Antissiodorense *can.* 18. Quod ne longum faciam, responsum volo argumentis, quæ ab Iejuniorum observātia varia in veteri, ac nova Ecclesiæ disciplina petūtur.

His animadversis, illud superest examinandum, an residentia Clericorum in suis Ecclesiis a tota vetustate obnixè expetita, usuque observata usque ad postrema

hæc

hæc secula, quibus tanta acephalorum, & aberrantium Clericorum colluvies emersit; sit inter cerimonias, ac ritus referenda, an verò iis regulis accensenda, quæ mores formandos, vitæque sanctimoniam respiciunt: Nemo autem negaverit inter has connumerandam, quibus eversis fluxa omnia, & incerta, & immanis solutio disciplinæ, & misera Ecclesiæ vastitas adferatur, ut Sponsa illa, quæ non habet rugam, neque maculam, teterrimis vulneribus fœdata conspiciatur.

Ad hoc referri potest tota disputatio D. Bernardi *in libro de præcept. & dispensat. c. 2. & 3.* & ejus Theologiam illustrantis Boni Merbesii *summæ Christian. 1. p. q. 19.* qui ex his quæ posuimus fundamētis, infert, prensationē Sacerdotiorum cōtrariam Dei vocationi ad capessenda Ecclesiæ munera necessariæ, multis Canonibus prohibitam: ab uno, quempiam, Sacerdotio, ad alterum, vel pinguius, vel honorificentius transvolare, quod undecim Ecclesiæ Canonibus constat vetitum esse, ita ut id nemo Sacerdos ignorare debeat: Ecclesiæ munera affectare proprii commodi causa, id est quæ sua quærere, non quæ Jesu Christi; *quam doctrinam* (ipsius verba sunt) *ut pernicialem, legi naturali contrariam, omnes damnavere leges, omnes Canones proscripserunt, & Sanctus Bernardus his verbis acerrimè carpsit, dum, qui proximos, ait, eo quærit, aut tenet animo, eoque intuitu, ut hujus vitæ habeat necessaria, evangelizat, ut manducet, & perverso nimis ordine cælestibus terrena mercatur:* tantam turpitudinem in se continere, ut nulla consuetudine, aut temporis diuturnitate, vel peccantium frequentia, eam possint exuere, *sed fremant licet, ac disrumpantur hujusmodi homines, non propterea divinas Canonū regulas convellunt; nam licet tolerentur multæ corruptelæ, quæ passim aluntur mollioribus nonnullorū sententijs, ut puta teterrima simoniæ labes, sollicita, & nefanda beneficiorū captatio, frequens ad ea consequenda concursatio, proprij commodi in regendis Ecclesijs consectatio, & alia id genus monstra, quæ Ecclesiam ipsam populantur, & excruciant, nunquam tamen sapientiorum Theologorum calculis approbari poterunt, neque ullus unquam prohibere poterit*

 quo-

quominus stent, & vigeant Sacrosancti Canones ad ea exterminanda constituti, & eorum infractores æternis ignibus in altero seculo torqueantur; usque adeo verum est, Canones maximè juxta divinum jus, & naturale conditos, a nemine impunè posse violari. Nam & beneficiorum profana emptio, & venditio, eorum beneficiorum ambitus, & prehensatio, & in obeundis Ecclesiæ muneribus privatæ utilitatis studium, & affectatio, tantæ sunt improbitatis, & malitiæ, ut semper fuerint, semper sint, & semper futuræ sint nefariæ, perniciales, & sacrilegæ; utpotè quæ nullis unquam supervenientibus circumstantiis, & causis ne ab ipso quidem præpotente Deo honestari valeant.

Quid igitur de Beneficiariis dicemus, qui Sacerdotia captant, iisque inhiant absque residendi animo, lucri tantum sectandi causa, & ut Ecclesiarum facultatibus ditentur; nihil in earum utilitatem, aut divinum cultum operæ suæ conferentes. In ea temporum conditione sumus, ut in dubium adducere cogamur, an Beneficiarius in beneficio manere debeat; cum tamen de pulsata turba sit nemo qui dubitet, an janitor ad fores assistere, an gubernator clavo præsto esse debeat, ut dicebat Sotus *de Resid. cap.* 5. ut ambigatur, an ipsum in jus naturale, ac divinum, impetus fieri absque ulla peccati labe, ac pœnæ formidine possit.

Finem faciemus adversus pravam consuetudinem pugnantes, quam eversum ivit, præter jam laudatos auctores, Udalricus Argentinensis apud Dionysium Chartusianum lib. contra pluralitatem, Hosii Cordubensis Episcopi verbis in Concil. Sardicensis, cui præses fuit can. 1. *Non tam mala consuetudo, quam perniciosissima rerum corruptela,* βλαβερωτάτη τῶν πραγμάτων διαφθορὰ, *ex ipsis fundamentis penitus extirpanda est.*

Jam verò injuriam maximam faciunt clarissimis Tridentinæ Synodi Patribus, qui eos putant, animo non fuisse alieno, a simplicibus Beneficiariis onere residentiæ levandis; & ea corruptela, cujus persequentissimi hostes fuere, auctoritate sua confovenda: qui tantum ab hoc abfuere, ut eis prima cura fuerit, veterum Canonum

usum

usum redintegrare, & mores, qui ante inclinationem, ac resolutionem disciplinæ, quæ cum sensim diffluere cœpisset, penè eo tempore erat interversa, floruerant, instaurare, quos omnes si revocare non potuit tot hæresibus profligandis, tot erroribus prostrandis, tot abusibus corrigendis intenta, quantum temporum conditio patiebatur, vitia evellere, quæ tantum incrementum cœperant, omni studio fuit connisa, & in restabiliendam residentiam etiam in simplicibus beneficiis adeo conspirarunt ejus decreta, adeo in hanc rem fuere diserta, atque aperta, ut qui hoc non pervideant, oculis suis pulverem ex industria iniicere, atque offundere videantur.

Atque ut mittam a S.Synodo omnes antiquas traditiones, velut postliminio in Ecclesiam fuisse reductas, summumq; desideriū eam pluribus in locis professam fuisse, disciplinæ purissimo illo nitori restituendæ, quo claruit antequā Canonum ignoratio, morum remissio, ac solutio illum inquinasset: vetustos omnes canones de moribus, & officiis clericorum sess.22.decr.5.de reform.qui in desuetudinem abiissent, in usum revocari jubet, studiosissimè statuens, *ut quę alias a Summis Pontificibus, & a Sac. Conciliis de Clericorum vita, honestate, cultu, doctrinaque requirenda, ac simul de luxu, comessationibus, aleis, lusibus, ac quibuscumque criminibus, nec non secularibus negotiis fugiendis, copiosè ac salubriter sancita fuerant, eadem in posterum iisdem pœnis, vel majoribus arbitrio ordinarii imponendis observentur*. Quod ad ostendendum quanto ei studio fuerit, pravas consuetudines ab Ecclesia expungere, perpendit Arnaldus de freq. commun. par. 2. nu. 21. & in præfat. fol. 51. n. 21. *cæterum quo studio antiquos Canones retinendos, observandosque Ecclesia censeat, sacra Synodus significavit, cum etsi quibus convocata fuit temporibus, insignes in Clerum pravitates, & corruptelæ invasissent, quarum pleraque ipsa delinquentium, non solum multitudine, verum etiam illustri dignitate concessæ, licitaque viderentur, ut bulla Pij IV. testis est, Canones nihilominus universos de Clericorum vita, & honestate antiquitus editos sess. 22. de reformat. cap. 1. ijsdem, quæ in superioribus Concilijs decreta fuerant,*

rant,

rant, vel majoribus etiam pœnis observari jussit: illud perspicuè innuens, quibuscunque, & quocunque numero obstrepentibus, valere eos Ecclesiam velle, contrariasque consuetndines, quacunque tandem ratione irrepserint, pluriumque ut tum contigit, auctoritate firmatæ, temporis etiam diuturnitate convaluerint, non tamen veros illi mores, & usus, sed abusus, & aberrationes videri. Et ad rem nostram Claudius la Place *de singular. benefic. c. 3. veræ sent.* §. 4. *argum.* 2. qui eo decreto, canones residētiam, statuentes, & pluralitatem beneficiorum damnantes, non obstantibus quibuscunque consuetudinibus; censet fuisse renovatos. Quod studium etiam apparet ex suprema illa oratione, qua Antistes unus universi Consessus nomine, operæ tam benè, ac feliciter impensæ gratulabatur, *quid fuit a majoribus nostris omissum, quod cum ad rectè sentiendum, tum ad præclarè agendum pertineret? Medicamentum quidem salutare compositum, ac paratum jamdiu habemus; verum si morbum debet expellere, sumendum est, ac per venas in omne corpus diffundendum. Poculo hoc salutis nos primum inebriemur charissimi.*

Quod maximè offendebat animos eo tempore, erat mutata disciplinæ forma, ac facies in beneficiis; ex hoc præcipuè hæretici, ac novatores, probra, ac calumnias in nos jaciendi occasionem venabantur. Ex hoc tantæ in Ecclesia tragœdiæ excitatæ. Cum suos Oratores instrueret Carolus IX. qui vice sua debebant Concilio interesse, id per eos supra cætera Sacrosancto Concilio, ac Sūmo Pontifici commendatum voluit, ut sordes quibus commaculata fuerat disciplina ob spretam residētiam in beneficiis, ab ea abstergerentur: *Cumque plura sint beneficia, in quibus cōtra beneficiorū omnium institutionem, invaluit depravata consuetudo, ut qui ea possident nullo teneantur concionandi, Sacramenta administrandi, aut alio onere Ecclesiastico, Episcopus cum consilio Capituli his beneficijs curam aliquam spiritualem imponat, aut si utilius videatur, ea beneficia vicinioribus Parochialibus Ecclesijs uniat; beneficium enim sine officio esse, neque debet, neque potest.* Cujus rei obliti non fuere Natalis, Van Espen *in univers. Eccl.* Jus. *par.* 2. *tit.* 18. *n.* 31. eamque refert Pallavicinus.

Se-

Sedulò igitur hoc curatum est in Sancta Synodo, & inveterato abusui undique remedium quæsitum.

Sed cum eò res devenissent, ut nec vitia, nec remedia ferri possent, satis habuit, quantum prò tempore licuit, labantem disciplinam fulcire, ac sustentare, ita tamen, ut quod attinet ad rem nostram ex ejus decretis, & jactis ubique fundamentis, quivis possit deprehendere, nihil ipsi antiquius fuisse, quam ut residentia in simplicibus beneficiis omninò restitueretur.

Ac in primis quidem, ut tantam corruptelam, quæ nervos totius Ecclesiasticę disciplinę infregerat, sacrosancta Synodus omnino tolleret, ac deleret, *sess.23.c.16.* quod in aliis Conciliis præsertim Chalcedonensi cautum erat, ne quis in duabus Ecclesiis ordinari posset (quod & in muneribus civilibus, ac profanis, Imperatorum leges prohibent, *l. Lucius ad municipalem, l. ult. C. de assessoribus, l. 5. C. qui militare possunt*) ne posset ordinari nisi necessarius, aut utilis esset Ecclesiæ, eique adscriberetur, ibique certis fungeretur muneribus, ut nemo Clericus posset incertis sedibus vagari, & alia ejusdem Concilii placita, quæ ob morum dissolutionem neglectui habebantur, ac exolescere cœperant; instauravit: quo loci expressim profitetur vestigiis Chalcedonensis Concilii insistere. *Cum nullus debeat ordinari, qui judicio sui Episcopi non sit utilis, aut necessarius suis Ecclesiis, Sancta Synodus vestigiis sexti Canonis Concilij Chalcedonensis inhærendo, statuit, ut nullus in posterum ordinetur, qui illi Ecclesiæ, aut loco pro cujus necessitate, aut utilitate assumitur, non adscribatur, ubi suis fungatur muneribus, nec incertis vagetur sedibus; quod, si locum inconsulto Episcopo deseruerit, ei sacrorum exercitium interdicatur.* Addit Concilium, quod ex conjunctione, & colligatione inter Clericum, & Ecclesiam, inter Clericum, & Episcopum, consequitur, non posse Clericum peregrinum ab ullo Episcopo suscipi, & ad sacra celebranda admitti sine literis commendatitiis proprii, & legitimi Episcopi, juxta sanctionem ejusdem Concilii Chalcedonensis, necnon Nicæni, & Sardicensis; *nullus præterea*

rea

vea Clericus peregrinus, sine commendatitijs sui ordinarij literis ab ullo Episcopo ad divina celebranda, ac Sacramenta ministranda admittatur : Ubi Concilium vocat commendatitias literas, quæ dantur Clericis, ut possint in aliena Diœcesi divina celebrare, quas differre a dimissorijs ex canone 11. Concil. Chalcedon. putant aliqui, quasi commendatitiæ fuerint, quæ dabantur iter arripientibus, aut peregrinantibus, ne circa eorum orthodoxam fidem in externis regionibus ulla emergeret suspicio: quarum exemplo Iulianus, ut narrat Sozomenus lib. 5. cap. 15. & 16. *τὰ συνθήματα τῶν ἐπισκοπικῶν γραμμάτων* formas literarum Episcopalium inter Gentiles instituit, ac in usu posuit: dimissoriæ verò, quæ solis Clericis tradebantur, quibus innotesceret, eos ex consensu Episcopi sui fuisse dimissos, ut ex decreto Sisti refert Anastas. quo sensu, Clericos commendatitias afferentes, non posse ab alio Antistite recipi, & alienæ Ecclesiæ inseri, nisi etiam dimissoriis essent instructi, notat Balsamon. ad canon. 10. Synodi 7. licet in Conciliis, & apud auctores soleant permisceri, & confundi, ut supra diximus cum Cujacio, dimissoriæ, & commendatitiæ: a quibus perperam separans Cironius, pacificas *in Paratitl. ad tit. 4. 5. decr. de Clericis non resid. ειρηνικὰς* definit, quibus sacris interdictis, vel hæreticis in consortium Ecclesiæ admissi fuerint ex Tertull. adversum Praxeam *in princip.* & Soz. *lib. 5. cap.* 10. cui favere videtur Balsam. in can. 11. Synod. Chalcedon. nam & pacificæ erant, quibus commendabantur fideles aliò commeantes, quas propterea Tertullianus vocat contesserationes hospitalitatis, *de præscrip. cap.* 20. & etiam quas accipiebant Clerici a suis Ecclesiis emigrantes, ut antea tetigimus, quod contentiones inter Episcopos auferrent in ordinibus conferendis: quod scripsit etiam alibi Balsamon. Malè etiam idem Cironius recedit a Cujacio; qui in can. *extraneos* 71. distinct. legit *ἀγνῶτας*, non *ἀναγνώστας*, cujus lectionem comprobat Iustellus ex manuscriptis Bibliothecæ Regiæ, & Matthæo Blastare.

Decretum autem Tridentinæ Synodi renovatum fuit a

Con-

Concilio Mediolanensi 4. *Clericos quoscumque certæ Ecclesiæ, piove loco adscriptos, si ab Ecclesia, cui adscripti sunt Clericali statione, sine Episcopi facultate, eaque literis exarata, discesserint; suorum ordinum munere, ex ejusdem Concilii Tridentini Sanctione, Episcopus interdicat*. Certè si hoc decretum, quod verbis, quæ ex Conciliorum fonte, & sacrorum Canonum hauserant, a Patribus fuit conceptum, non insuper haberetur, aurea Ecclesiæ redirent secula, pristinum Ecclesiastica disciplina, quod ad obligationem residendi in quibuscumque beneficiis, vigorem recuperaret, nihilque aliud expetendum esset, ob antiquorum Canonum severitatem in hoc negotio revocandam. Ut egregie censuit Pater Thomasinus part. 2. lib. 3. cap. 34: num. 14. *Eo decreto monemur resumere statutum illud Concilij Tridentini, quod nos penè effugerat, & quo priscus vigor antiquioris circa residentiam disciplinæ restaurari posset, si religiosè observaretur; nimirum ubi Tridentinum Chalcedonensi canoni pristinum vigorem restituere satagit, ut nemo ordinetur nisi ad necessitatem, & utilitatem alicujus Ecclesiæ, cui statim alligetur, & ipsa sua mancipetur ordinatione, ad obeundas in ea functiones ordinis, & ad residendum tam scrupulosè, ut non nisi annuente Episcopo discedere fas sit, ut interdicendi protinus sint functionibus ordinis, quicumque aliter discesserint. Non pœnitebit illud rursus inculcasse, ut antiquę disciplinę vigor, decorque totus refloresceret, si statuto huic sedulò obtemperaretur. Non beneficiarij modo omnes etiam simplices, sed & Clerici omnes residentiæ adstringerentur: Clerici supervacanei, & otiosi nulli essent: nulli errones, nulli functionis sacræ inanes, nulli ministerij, & beneficij expertes; quandoquidem illi ipsi, qui titulo patrimonij ordinarentur unius tamen certæ devincirentur Ecclesiæ ministerio, unius Episcopi obsequio, sicut jam inde a primis ineuntis Ecclesiæ seculis, tam multi Clerici sanctissimi, & Parochijs præerant, & decanatus, atque Archidiaconatus administrabant, aliaque Ecclesiastica beneficia, qui suo se tamen sumptu, & patrimonij censu alebant: additur denique Tridentino id, quod sponte sua sequitur ex illa conjunctione Clericorum cum Episcopis, fore, ut sine literis Episcopi proprij, nec ejus diœcesi possint migrare, nec in aliam*

N quam-

quamvis immigrare. Et part. 2. lib. 1. cap. 9. ubi post relatum decretum Tridentinæ Synodi, quo Canones Chalcedonenses recuderat num. 8. ita loquitur: *Primigenia hæc omninò est Ecclesiæ doctrina, & disciplina de titulo ordinationis, hæc tituli patrimonialis ad usum rectissimum, & ad titulum beneficij revocatio; hæc tituli beneficii in primævam naturam restitutio, & in antiquissimam residendi, & sacris muniis defungendi obligationem; si enim in mores religiosius inveheretur decretum hoc Tridentinum, plus momenti esset in titulo ad salutem animarum promovendam, quam ad corporis alimenta: posset patrimonialis ipse titulus, instar haberi beneficii, cum is esset proventus Clerici, æternum Ecclesiæ obsequiis mancipati; & quidem qui olim inter Clericos ad culmen perfectionis ferventius enitebantur, Ecclesiæ gratis ministrabant: similiter & nunc, qui patrimonii titulo ordinantur complures suo sumptu vitam tolerant, seque interim totos Ecclesiæ utilitatibus impendunt. Si vigeret decretum Tridentinum, Clerici, qui sub titulo beneficij ordinantur, residerent utique omnes, & sacras obirent functiones: jam nulli essent vagi, & acephali Clerici; Canone enim isto continentur Clerici omnes, non majores tantum*. Quod idem de hoc decreto Sanctæ Synodi judicium fuit Gentiani Herveti in orat. habita ad Episcopos, & Archiepiscopos Galliæ, & Hallier de sacris electionibus, & ordinationibus cap. 3. artic. 2. §. 5. *cum enim, ut postea fusius docebimus, hæc regula ecclesiastica servaretur, quam cum Gentiano Herveto existimo totius disciplinæ ecclesiasticæ restaurandæ basim, ac summam, ne quis absolutè, idest sine titulo ecclesiastico ordinaretur, neve quis titulum, cui adscriptus esset, unquam nisi consentiente Episcopo suo desereret; hinc fiebat, ut Clericum ab aliquo Episcopo ordinatum, nullus alius Episcopus sibi arrogare posset, nullus ab Ecclesia sua removere, nullus alteri addicere præsumeret.*

Decretum hoc Concilij Tridentini, ut ait Thomasin. loc. cit. *admiserunt, approbaruntque Concilia provincialia complurima, Rhemense anno 1564. Avenionense anno 1594. Rotomagense anno 1581. Burdegalense ann. 1583. & 1624. Turonense anno 1583. Aquense anno 1585. Tholosanum anno 1590. his adde edictum Aurelianense artic. 12. 13. & 14. & Blesense ar-*

tic.

tic.17. B.Carolus in Conc.4. Mediolanensi illud sanxit, ut qui ad ordinarij Episcopi dimissorias a quovis alias ordinatus esset, accederet quamprimum ad proprium Episcopum, ut Ecclesiæ alicui ab eo addiceretur.

Si decretum hoc servaretur (iuvat repetere) nihil amplius, ut rectè ajunt Auctores citati, esset desiderandum in ecclesiastica politia. Sed cur illud non servatur, cur despectui habetur? An aliud Concilium insequutum est, quo fuerit illud abrogatum, ac abolitum? Non equidem. Hominum improbitas optimè constituta evertere, ac convellere nititur. An hoc dissimulare debuit piissimus Rex, & invictissimus, & pati, ut quod serpebat malum, ac quotidie magis invalescebat, viresque assumebat, denique labem afferret.

Sed si exactè perpendamus verba Trid.Syn. videntur Patres idem in mente habuisse, & cum multitudinem beneficiorum juxta canonum statuta vetuerunt, *can.17.sess.24.* Ex Concilio Lateranensi habito sub Alexandro III. ut ex *cap.3.tit.de Cleric.non resid.* nemo pluribus parochiis præfici potest, aut pluribus dignitatibus Ecclesiasticis una in Ecclesia potiri: quod confirmatum fuit Concilio Lateranensi generali habito sub Innocentio III. *cap. de multa tit. sequenti cap. dudum de Electionibus cap. literas de concessione præbendæ, & cap.2.de officio Vicarij.* Quod locum obtinet in dignitatibus etiam, quibus non est annexa cura animarum, & generaliter in omnibus beneficiis, ut perspicuum est, tam ex dicto Concilio Lateranensi 3. quam ex *can.1. & 2. 21. quæst.1.* ubi quod dicitur *nullus Clericus duplici titulo duarum Ecclesiarum fungi potest*; explicat Cujac. cap.3. de Clericis non residentibus *idest in duarum Civitatum Ecclesiis ministerium Religionis impendere non potest.* Qui hanc rationem addit: *negotiationis enim ut ibi dicitur, & αἰσχροκερδίας, turpis lucri hoc est proprium, & a Christiana Religione alienum est, & omnino avaritiæ certissimum argumentum, si quis affectet præbendas plures, plura beneficia, ministeria, dignitates, Episcopatusve plures. Quinimo nemo duobus monasteriis, ut Abbas præesse potest, c.unum* 21.q.1.

 usur-

usurpare hic liceat vocem illam de via collectam Graecorum, ἓν πρὸς ἓν, una Ecclesia, unius Sacerdotis, ut est scriptum in c.15. infra tit. proximo.

Sed cum excogitatis quibusdam distinctionibus, beneficiorum compatibilium, & incompatibilium, canonum dispositio eluderetur, & ex his, quæ ab avaritia, & cupiditate fuerunt invectæ, ea Ecclesiæ deformitas fuisset exorta, quam ita vir eruditissimus lamentatur, *qua ex re tanta Ecclesiæ deformatio exorta est, & proprie dixerim πανολεθρία, ut nulla vis humani ingenii ad eam indignitatem exprimendam sufficiat. Prodigiosa sane res est in Ecclesia hæc beneficiorum cumulatio, quæ sine delectu passim recipitur, nec minus mihi monstrosi videntur, qui tot personas in Ecclesia sustinent, quam Briareus ille, qui manus centum habuit, ut est in fabulis, aut Geryon, quem trium fuisse corporum perhibent*: cum sæpius tentatum fuisset in variis Conciliis hanc pestem ab Ecclesia Dei avertere, & quia eò infirmitates, & mala pervenerant, adeoque inveteraverant, ut iis si quis vellet medicinam facere, rem aggredi penè disperatam, videretur, ab incepto destitissent; ne diutius lethalis iste morbus in perniciem Ecclesiasticæ Hierarchiæ grassaretur: Oecumenica Trid. Synodus, cum *sess.7. can.2.4., & 5.* eos qui plures Episcopatus, vel curas possiderent, condemnasset: huic rei ultimam manum imposuit *sess.24. can.17.* in quo generali constitutione mandavit, ut ne cui liceret, nisi unum beneficium possidere, si eo vitam tolerare posset: si verò non esset sufficiens, priori aliud tantummodo simplex addi posset, majori numero omnino interdicto, a qua lege nec ipsi Eminentissimi Cardinales essent excepti. Præstat verba, quibus conceptus fuit canon ad normam Nicæni, & Chalcedonensis efformata, subjungere: *Cum Ecclesiasticus ordo pervertatur, quando unus plurium officia occupat Clericorum, sanctè sacris Canonibus cautum fuit, neminem oportere in duabus Ecclesiis conscribi, &c. Statuit, ut in posterum unum tantum beneficium Ecclesiasticum singulis conferatur, quod quidem si ad vitam ejus, cui confertur, honestè sustentandam non sufficiet, liceat nihilominus*

nus aliud simplex sufficiens, dummodo utrumque personalem residentiam non requirat, eidem conferri. Post quam definitionem Mediolanense concilium 4. anno 1576. declaravit, si quis habens unum simplex beneficium, quo se tueri valeat vel è simplicium, vel è duplicium numero, aliud, vel simplex, vel duplex recipiat; statim cum a primo excidere, quòd Sacrum Concilium, ne utrumque retineri queat, expresse inhibeat, eo adiecto in Concil. 5. item Mediolanensi, ut obtinente aliquo duo beneficia, licet ex eorum reditibus se sustentare non possit, ei ad tertium non pateat aditus, ut ex actis Ecclesiæ Mediolanensis pag. 148. 269. 274. 98. est perspicere. Constat autem Sacros Canones, & Concilia eò potissimum beneficiorum coacervationem, seu multitudinem aversari ac execrari, quòd absurdum sit, uni duo munera committi in Ecclesia, *can. singuli* 89. *dist.* & quia quis non potest in pluribus Ecclesiis residere, ut asserunt Joan. Dartis, Petrus Gregorius, Thomasinus, Claudius la Place, aliique supra adducti, & cæteri omnes, qui de re beneficiaria pertractarunt, sæpissime.

Quamvis autem iis verbis, dummodo utrumque personalem residentiam non requirat, videatur Concilium, distinctionem inter beneficia duplicia, ac simplicia innuere; tamen absit, ut quis credat eam ab ipso fuisse probatam: ita monente Claudio la Place cap. 3. veræ sententiæ §.4. argum. 1. *Quo loco tametsi videri utcunque possit, distinctionem beneficiorum supponere inter ea, quæ residentiam postulent, & ab ea, quæ sint libera, qua toties desidiosi Clerici etiamnum Sanctis Canonibus pravè illudunt; quod tamen ab ea mente longe abfuerit, ut illam probaret, crederetue ulla esse a residendi obligatione immunia, si primæva illorum institutio attenditur; sed solum ea utendo ob iniquitatem temporum, & duritiam cordis plurimorum, aliquid tamen tolerandum censuerit, quod alias opportunius corrigi pariter oporteret: prout & in aliis plerisque observari potest: habemus expressum in Concilio 4. &c.*

Nemo melior Interpres S. Conc. Trid. quam D. Carolus Borromæus, quem, jure Arnaldus *de freq. comm. in*

præf.

*præf.n.*23.ait, non modo Synodi gravissimum testem, sed & ad eam Pii Quarti avunculi auctoritate absolvendam, præcipuum adjutorem; ut sacræ Synodi mens, & consilium in tanto viro, quem idem agebat spiritus, clarissimè cerneretur: *Sub Concilij Tridentini finem*, inquit de eo Ripamontius in vita ipsius lib. 2. pag. 111. *statuit ingredi Apostolicæ perfectionis iter, vitaque institutis exprimere ea, quæ literis, & decretis comprehensa essent.*

Cumque Concilium eo accurante, ad finem fuisset perductum: *Egit* (prosequitur idem Ripamontius pag. 107.) *cum Pontifice Carolus, ut ex Cardinalium numero deligerentur, qui sua auctoritate, controversias, quæ religione, vel inscitia, vel pravitate interpretantium oriri possent, in quotidiano decretorum usu dirimerent. Delecti sunt octo, atque in eo numero Carolus fuit; gravissimam hanc actionem susceperat, ut Pontificatu ipso, administrationeque Ecclesiæ Mediolanensis omnia Concilij Tridentini decreta, disciplinamque repræsentaret, usu rerum talem, qualis hodie volumine inclusa circumfertur. Denique universam provinciam inspiciebat, num ad Concilij Tridentini præscriptum, sicut ab initio destinarat, convenienter, & aptè cuncta formarentur.* Quod & refert Giussano lib. 1. cap. 11.

Quare summa cum ratione ait Arnaldus loc. cit. *Concilij Tridentini decretorum, & sinceram intelligentiam, & verum usum, ac praxim a sanctissimi illius Archiepiscopi vita, & factis esse repetendam. Qui enim ambigere liceat, mentem ne illius Synodi, ac sensum assecutus sit, penitusque perceperit, quam & spectavit dum haberetur, & perficiendam explendamque curavit, cujus Episcopos audivit, atque affatus est sæpius; cujus Cathechismo conficiendo præfuit, cujus interpretes Cardinales, & deligendos providit, & in ijs ipse delectus est? Quis vero dubitet, quam Synodi mentem intelligentia penitus perspectam, fideliter factis impleverit, cum eam primum moribus, expresserit, ac vita, cum Ecclesiæ suæ administrationem universam ad decretorum illius amussim exegerit: cum sæpius id sibi imprimis propositum esse testatus sit; cum idipsum Summi etiam Pontifices publicè agnoverint, cum denique idem frequentius ab illius vitæ scriptoribus sit proditum.*

Ille

Ille autem non modo quoad vixit, ut ait Claudius la Place cap. 3. veræ sent. §.4. arg. 3. *egregia virtutis exemplo, ac documento in proflagatissimis Ecclesiæ temporibus verè magnus Sacerdos, docuit, factoque comprobavit, nemini licere in duabus conscribi Ecclesiis, nemini licere plura etiam simplicia possidere beneficia, nemini licere ab unico suo abesse beneficio, aut ibi non per sese ministerio sacro defungi*; sed etiam sequutus Tridentinæ Synodi consilium, quo Patres decrevere, ut Concilia Provincialia Episcoporum tertio quoque anno haberentur, opus a se inceptum, & ob cordium duritiem, ac temporum iniquitatem incompletum, eis explendum tradentes: id in pluribus sacris Conventibus suæ Provinciæ declarandum curavit, ut in dicto Concilio Mediolanensi 4. tit. de Benef. collat. & provis. §. beneficium: *Beneficium etiam simplex obtinenti, quod ad vitæ sustentationem satis est, si alterum simplex, aut Ecclesia etiam Parochialis, aliudve beneficium, cujusvis generis illud sit, possessionem pacificam adeptus est, aut si per eum stetit quominus duobus mensibus, quos a die, quo alterum collatum est, præstituimus, illam adipiscatur; primum ipso jure vacare censeatur, cum ex Tridentini Concilij sententia unum, & alterum item, ab illo simul retineri nullo modo liceat.*

Quibus verbis id Episcopos in iis Comitiis satis ostendisse, nullum esse beneficium utcumque simplex, quod residentiæ legibus non subjaceat, advertit la Place dict. cap. 3. veræ sententiæ §.4. argum. 1: *Pensate verba singula, jurisque novi vim atque auctoritatem, qua juris anterioris cavillatio illa ineptissima elevatur, quæ tantum in incompatibilibus patiebatur, primum jure vacare: Animadvertite etiam id generosissimos perspicacissimosque illos Episcopos in decreto Concilij Tridentini pervidisse; non obstante illa clausula, & conditione, dummodo utrumque personalem residentiam non requirat, quæ nobis remoram injecisse videbatur, quoniam rectè, sapienterque putarunt, nullum esse genus beneficii, quod ex institutione sua personalem sui muneris, ac ministerii functionem a possessore non requirat.*

Sed & hoc ex animo exoptasse sanctam Synodum, ut

non

ne esset beneficium sine officio, ac ministerio, licet ad degeneres, ac remissos mores se se inflectere, atque accomodare coacta sit, ex aliis locis cognoscitur; tum ex eo, quod *sess. 23. de Reformat. cap.* 18. constituit de puerorum Collegiis, in quibus cum dixisset eos esse alendos, *quorum indoles, & voluntas spem afferat, eos Ecclesiasticis ministeriis perpetuo inservituros*, cum Episcopis commendasset, ut hos partim, cum eis oportunum videretur, Ecclesiarum ministerio addicerent; hac de causa jussit, ut ex beneficiis simplicibus aliquot iis Collegiis applicarentur: *nec non beneficia aliquot cujuscumque qualitatis, & dignitatis fuerint, vel etiam præstimonia, vel præstimoniales portiones nuncupatas, etiam aute vacationem, sine cultus divini, & illa obtinentium prejudicio* (hæc verba *sine cultus divini, &c.* demonstrant, Patres pro certo habuisse, etiam simplicibus Beneficiariis nihil magis cordi esse debere, quam divinum cultum, ejusque augmentum, ac amplificatiorem) *huic Collegio applicabunt, ac incorporabunt:* tum etiam ex eo, quod præscribitur *sess. 23. cap.* 15. ut Ecclesiis Cathedralibus, ac Collegiatis insignibus, in quibus præbendæ tenues sint, ut sustinendo decenti Canonicorum gradui non sufficiant, pro loci, & personarum qualitate, aliquot beneficia simplicia, non tamen regularia, uniantur: quod etiam remedium, ut adhiberetur voluit, ob egestatem Ecclesiarum parochialium sublevandam *sess. 21. cap.* 5. Quibus decretis quodammodo justissimis postulatis Caroli IX. pro integratione residentiæ in simplicibus quoque beneficiis satisfecisse, scripsit Van Espen Juris Eccles. p. 2. tit. 18. n. 32. *Synodus Tridentina hisce æquissimis postulatis aliquatenus satisfecit, dum unionem hujusmodi beneficiorum, tanquam primum medium, quo Ecclesiis Parochialibus tenuioribus provideri posset, assignavit sess.* 21. *cap.* 5. *& sess.* 23. *cap.* 18. *de Reform.. Item beneficia simplicia Seminariis applicari, & incorporari voluit, atque sess.* 24. *cap.* 15. *de Reformat. ad augendas tenues præbendas in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis declaravit, quod licet Episcopis, cum consensu capituli aliquot simplicia beneficia, non tamen regularia, illis unire.*

Rursus

Rursus eadem sancta Synodus *sess. 21. de Reformat. cap. 1.* hanc generalem regulam statuit; *Cum beneficia ad divinum cultum, atque Ecclesiastica munera obeunda sint constituta.* Ex quibus verbis, non posse alicui beneficium competere, nisi propter ministerium, seu spiritale officium, quod exhibere debet Ecclesiæ, cujus ex bonis sustentatur, colligunt Natalis Alexander *Theol. lib. 2. c. 6.* & Franciscus Genettus antea a nobis laudati.

Præterea, ex eo quod Concilium Tridentinum consuetudinem, licet supra hominum memoriam, non residendi in beneficiis curatis, tanquam corruptelam abolendam pronuntiaverit, idem dicendum in beneficiis simplicibus, argumentatur Claudius la Place *cap. 3. vera sententia* §. 2. *argum. 3.* eadem ratione in utrisque vigente: *Addo verò idem sentiendum esse de hac consuetudine, quod Concilio Tridentino visum est de simili consuetudine immemoriali sentiendum, pro non residentia in gratiam beneficiariorum Curatorum; nam decreto de residentia edito, ubi perhibuit excusationē nullam ab Episcopo admitti, quovis privilegio, statuto, auctoritate, & consuetudine immemoriali confirmatam: istam potius censendam esse corruptelam declaravit, quam consuetudinem.*

Meram esse hallucinationem Fagnanus censet *in cap. admodum de renunciat.* id quod scribunt recentiores quidam: Clericos non habentes beneficia, posse quò velint abire, nec licere Episcopo eis literas commendatitias denegare, cum decreto Tridentinæ Synodi contradicat: *Cavendum est a modernis Collectoribus, dum dixerunt, Presbyteris, ac Clericis non habentibus beneficium in titulum personalem residentiam requirens, licitum esse ire quò volunt, & ordinarios teneri eis literas commendatitias concedere, quod est contra Tridentini decretum.* Quid igitur de habentibus beneficia statuemus?

Tandem ne longius faciam, teneri ad residendum Beneficiarios etiam simplices, & ad sacra ministeria exercenda per semetipsos, non per vicarios, verbis expressis statuit Sacrosanctum Concilium sess. 7. de refor. cap. 3. *Inferiora beneficia ecclesiastica, præsertim curam anima-*

rum habentia, personis dignis, & habilibus, & quæ in loco residere, ac per seipsos curam ipsam exercere valeant, juxta constit. Alexandri III. in Lateranensi, &c. conferantur. Omnia enim inferiora beneficia, residentiæ legi subjicit; licet eam magis in iis, quæ curam animarum adjunctam habent, expetat. Quod ex verbo, *præsertim*, satis est intelligere, adeo ut Canon iste duas Beneficiariorum simplicium excusationes, uno ictu conficiat, ac perimat; & qua beneficiis tantum duplicibus onus assiduitatis inesse, & qua se, tametsi alicui ministerio præstando essent adscripti, posse munus illud explere per substitutos sibi suadent. Ut præteream, cum Tridentina Synodus mandaverit, ne quis posset Clericatu initiari, nisi certæ Ecclesiæ addiceretur, & constituerit simul, non posse quem ad sacros ordines promoveri, nisi prius legitimè constet, beneficium ecclesiasticum absq; ulla controversia ab eo possideri, qui se verò ex proprio patrimonio sustentare queant, vel pensionem obtineates, nullo modo institui, nisi pro Ecclesiarum necessitate, aut commoditate, ideoq; ut ait Fagnan. cap. Episcopus de præbendis, & dignitatibus: *hodie solum beneficium sit titulus legitimus ad sacros ordines, patrimonium verò non nisi dispensativè*: qui ita a Sacra Congregatione Eminentissimorum Cardinalium Concilii Interpretum, declaratum refert, ut etiam tradunt Van Espen *in jure ecclef. par. 2. tit. 9. de sacr. Ord. num. 13. & Natalis Alexand. seculo 16. Eccles. hist. & in Theolog.* consequens omninò est, ut a Beneficiariis assiduam in suis Ecclesiis stabilitatem exegerit.

Cum autem nemo, ut diximus, mentem eorum, qui decreta Sanctæ Synodi Tridentinæ condiderunt, melius tenere, ac introspicere potuerit, quam divinissimus vir S. Carolus Borromæus, qui consiliorum illius conscius, ac particeps fuit, & cujus acta, & Concilia frequenter habita, eò spectarunt, ut præfatæ Synodi jussa perficeret, ejus decreta asservari curaret, morumque reformationi, ex quorum corruptela tot hæreses pullulaverant, coronidem imponeret, ac proinde ex il-

lius

lius gestis, Conciliisque ab ipso celebratis, vera, ac sincera interpretatio Canonum ultimæ Oecumenicæ Synodi petenda sit, nullus superest ambigendi locus. Si quidem postulatam fuisse residentiam a dictis Conciliis, etiam in beneficiis simplicibus; non modo ex capitibus prolatis fit manifestum, sed etiã ex primi Conc. *titulo communia de Ministr.§.quod si aliqua,& seq. cæteris etiam*, in quibus præcipitur, ut Beneficiarii leges impleant in beneficiorum institutionibus præstitutas, & Episcopus etiam simplicibus beneficiis pristina munia restituat, aut si qualia fuerint non constet, pro fructuum ratione ministeria attribuat, ac onera adjungat: *Quod si aliqua dignitas, personatus, aut officium in Ecclesia fuerit, cui neque ab institutione, neque jure communi, neque a proprijs constitutionibus, quæ probatæ sint, neque his decretis proprium munus in divinis officijs sit attributum, aut quod sit non constet; Episcopi duobus adhibitis de Capitulo, quorum alter a Capitulo deligatur, assignent singulis dignitatibus, & officijs proprium munus, quod cum sententia Sacrorum Canonum, & cum propria Ecclesiæ probatis constitutionibus, pro ratione loci magis congruere judicabunt. Cæteris etiam beneficijs, quæcunque jam ab ecclesiasticis officijs immunia reperiuntur, sive Clericatus, sive Canonicatus, sive etiam simplicium nomine appellentur, ijs Episcopus pristina munera restituat. Ac si non constat satis, qualia ea essent, pro fructuum ratione onera imponat, aut missas, divinaque officia celebrandi, aut si Clericatus, simpliciave beneficia sunt, minorum etiam ordinum functiones obeundi, ac divini cultus propagationem. Nec verò tamen vetamus, quin talia beneficia unire Episcopo liceat, ex facultate sibi communi jure, Concilioque Tridentino permissa.*

De his Synodis facturi operæ pretium videmur, si afferamus, quid perscripserit Claudius la Place cap.3. veræ sent.§.4. argum.1. *de Synodis verò, decretisque illis Synodorum Mediolanensium tali præside, & procuratore Carolo Borrhomæo meritò dicitur, ab initio fuit sic. Beatus ille servus, quem cum venerit Dominus ejus, invenerit sic facientem; adeò videlicet fideliter, prudenterque super familiam ejus vigilantem, & dantem illis cibum in tempore, dantem illis in tempore tritici mensuram: hoc est dispensantem singulis de familia demensum, sportulas, &*

O 2 dia-

diaria pro voluntate, & imperio Domini, non ad oculum tantum servientem. Qui etiam videndus cap. 5. antid. 38. refut. arg. 8. ubi etiam ait, jure veteri nullam fuisse simplicium beneficiorum a cæteris distinctionem, jure novo nihil esse, quod ipsa a residentia eximat; *tantummodo hac exemptione per consuetudinem pravam, pessimamque corruptelam introducta gaudere*, contra quam decertat, *tanquam abhorrentem a jure omni naturali, divino, & Ecclesiastico.*

Conducit etiam non parum ad explicationem Synodi Tridentinæ, Concilium Coloniense secundum anni 1549. cum eodem tempore utrumque elaboraverit, ut disciplina instauraretur. Quam liquidò autem ab eo designatum fuerit, non posse simplices Beneficiarios se a residendo subtrahere, visum est proximè.

Quocirca jure quidem optimo graviores Auctores, qui monumenta sua ediderunt post Concilium Tridentinum, Beneficiarios quamvis simplices ad residendum in Ecclesiis suis cogendos, arbitrati sunt: e quorum numero contenti erimus laudasse Cardinalem Toletum in summa *lib. 5. cap. 81. num. 2. §. 3.* Navarr. in manuali, *cap. 23. n. 15. §. 11. & cap. 25. n. 129.* Claud. la Place, quem toties compellavimus, toto dict. tract. & Van Espen *jur. Ecclesiast. univ. par. 2. de pecul. Cler. cap. 2.* qui etiam probat, Beneficiariorum obligationem non in eo tantum sitam, & locatam esse, ut horas recitent canonicas, sed etiam ut assidui sint in aliis spiritalibus functionibus peragendis. *Ex dictis patet, quam ineptum sit quorundam glossema, quo officium, propter quod datur beneficium, interpretantur de officio horario, ac si sola officii Canonicalis recitatione etiam privata, totum officium, propter quod beneficium datur, absolveretur; quasi recitatione horarum, quæ unius horæ spatio penè integra persolvitur, operarius dignus cibo suo haberi queat. An qui una, alterave hora Ecclesiæ, legendo, & canendo serviunt, & reliquo tempore vel otiantur, aut secularibus negotiis se implicant, ministri, atque operarii Ecclesiæ vocabuntur, ac digni reputabuntur, qui ut operarii cibum ab Ecclesia accipiant? Hoc itaque glossema ineptissimum est, & ab Ecclesiæ mente, quammaxime alienum, quæ per*

offi-

officium intelligit omnia ea, ad quæ singuli Beneficiati juxta institutionem beneficii, & vocationem suam tenentur: ut ea persolutione verè dici queant operarii digni cibo suo, sive proventibus, quæ propter officium dantur. Interim, quia hominum cupiditati admodum favet, mirum quanta aviditate receptum sit. Thomasinum, Fleuri, aliosque supra relatos.

Quanquam, ut dicam quod sentio, recentioribus Interpretibus, aut Theologis, sive *Casuistis*, qui suarum doctrinarum illecebris, carni, & sanguini plerumque lenocinari solent, nimis deferendum non sit, ut ajebat Dionysius Carthusianus de vita, & reformatione Cleric. *& securius, necnon salubrius creditur, ac paretur dictis Sanctorum, per quos loquutus est Spiritus Dei, quam scholasticorum quorundam, qui suo magis quam expedit credunt, & innituntur ingenio, & in eis illuminatio tanta non fuit.*

Igitur tantum abest, ut Concilium Tridentinum Beneficiariis simplicibus, residendi in suis Ecclesiis gratiam faciat, ut ipsos ejus legibus subdi, luculentissimè, ac exertè sexcentis in locis pronunciaverit. Quod si non ita statuisset, & id prætermissum fecisset, si qui velint Beneficiarii officium suum deserere: *ipsos ego* (ait Claudius la Place dict. cap. 5. antid. 38. refut. argum. 8.) *provocabo ad Tribunal conscientiæ, ad Tribunal æterni judicis vivorum, & mortuorum, ad forum poli, & jure tum naturali, ac divino, tum Ecclesiastico quoque vetere, quod abrogari nulla consuetudine contraria potuit, ipsos conveniam, & furti, ac sacrilegii arguam, ac convincam, &c. ..* & infra: *respondet quoque Guillelmus Parisiensis ad hoc argumentum, verbo illud confutans: si quis objecerit nobis (inquit) de Ecclesiis, in quibus non compellitur fieri residentia: dicimus, quod non est libertas ex constitutione, & fundatione; sed ex longa consuetudine, & usurpata Clericorum malitia. Quis velit sapiens non in tuto animam suam collocare, ut de salute æterna periclitetur? Quis tantum non amens audeat apertè juri naturali, divino, atque Ecclesiastico Christianus factus repugnare? ita tamen ut interim spem suam in Deo collocatam habere se dicat. O æternitas!*

Quamobrem cum Princeps non modo corporis, substantiæque nostræ custos sit, quasi a Deo ob vim, atq; in,

iniuriam a subditis propulsandam, tantummodò imperium ei traditum fuerit;sed etiam religionem,cultusque divini incrementum ad suam sollicitudinem revocare debeat, & externæ pristinæ Ecclesiasticæ disciplinæ vindex esse,& assertor:ac proinde,si aliquis usus,aut consuetudo introducta fuerit,qua sacri canones,& concilia violentur,ac infringantur;jure saltem patrocinii,ac tuitionis Regiæ,nō modò possit,sed debeat partes suas interponere,ut in tertia dissertatione palam faciemus: jure merito officio suo convenire existimavit Invictissimus Rex noster, ut ei, non consuetudini, sed potius morum corruptioni,ex qua in hoc Regno tanta rerum extitit confusio, se opponeret; præsertim cum Ecclesias sciret, non modo ministrorum penuria laborare, sed etiam iis penitus destitui,ac omninò desertas esse,non extantibus, qui sacras, ac spiritales functiones, & ministeria exerceant; ita ut nemo bonus sit, qui earum vicem non doleat: & hæc aliaque incommoda, quorum sine horrore reminisci non possumus, eo potissimum ex fonte profluere, quod hi, qui sacris stipendiis fruuntur,Conciliorum, & Canonum statuta, susque,deque habentes,munus suum implere ne cogitent quidem. Regiis edictis apud Hispanos jussi fuere Episcopi,ut publicis judicibus sisterent vagantes,& transfugas Clericos, qui suas Diœceses dereliquissent,ut certo tempore eos ad proprios Episcopos ablegarent,sicuti constat ex Can.III.XIII.Concil.Toletanis *si dicat quis simplici animo alterius Clericum se suscepisse,nec nosse eum fugitivum existere, tunc evidens innocentiæ suæ puritas approbanda est,quando eum,quem suscepit, & infra octo dies juxta legum sanctionem, judici præsentaverit, & infra tempus legibus constitutum,illuc fugitivū reduxerit,unde per fugam vagabundus exivit.* Enimvero potentissimus CAROLUS TERTIUS Decessorum suorū pietatem nō modo æquavit,sed longe eos post se reliquit. Hoc est se præstare Canonum custodem, & patronum, ut ait Antonius Ciarlas de Ecclesiastica auctoritate optimè meritus, *de libert. Eccles. Gallic. lib.* 10.*cap.*1. qui cum Puteanus plura glomerasset exempla,

pla,quibus a Gallis Principibus Ecclesiastici ad residendum fuere compulsi; *Quidni*, ait, *hoc Principi liceat exemplo Iustiniani Novell.6.cap.2.* Laudandum fatetur idem Auctor Principum zelum, *in præstanda exequendis legibus Ecclesiasticis auctoritate*, quòd credendi sunt hoc facere, tanquam Sanctorum Canonum executores, & num.5. *res est aliunde*, inquit, *tam justa, tamque necessaria, ut Principum illam procurantium zelum excitare Ecclesia censeatur.* De qua re non est cur hic agere maturemus, cum de ea agendum sit in tertia dissertatione latissimè.

Permovit & Augustissimum Principem, ut officii sibi a DEO Optimo Maximo commissi non oblivisceretur, Ecclesiarum squalor; cum subjectorum clamoribus ad eum perlatū fuisset, sacrarum ædium, Beneficiariis nullam curam agētibus,& quod in earum reparationem, ac restitutionem convertendum erat, in suos usus, ac voluptates vertentibus,quædam prope esse ut excisæ corruant, sed magna ex parte jacentes, & constratas conspici;itaut non jam templa,sed templorum rudera nobis se offerant, & tam miserando spectaculo perculsi, qui pietatem colunt, lacrymas tenere vix possint.

Neminem fallit,quod & nos supra perstrinximus, a sacris canonibus constitutum fuisse, ut ecclesiastici reditus in quatuor distribuerentur partes, ut dicitur *causa 12. q.2.can.26.* sive portiones,ut *can.23. 25. 27. 28.* & *30.* Quod inductum antiquo decreto Sylvestri in Concilio Romano ad magnam Synodum consequenter habito, putavit Bosquetus ad epistolas Innocentii Tertii; sed cum illud spurium esse jampridem a doctis viris fuerit animadversum, rectiùs alii id deducunt ex decreto Gelasii, quod *canonicam quartarum dispositionem* vocat Gregorius I. *lib.3.indict. 12. epist. 11.* Quare Summus Pontifex, Episcopo consecrato dabat epistolam, qua ei præscribebatur, ut quantum ad reditus, & oblationes fidelium hujusmodi fieret divisio, Ecclesiæ Romanæ consuetudine recepta,can.26. quæ epistola dicitur præceptum in literis ejusdem Gregorii ad Augusti-

num

nimi Anglorum Episcopum can. 30. & formata in ordine romano romani Correctoris d. can. 26. Erat nempe mandatum, sive formula, instar mandatorum, quæ Præsidibus in provinciam proficiscentibus, dabantur a Principe, eorum, quæ ab ordinato Episcopo essent agenda; cujusmodi habemus exempla in jure Orientali hoc titulo *ἐντάλματα διδόμενα τοῖς χειροτονουμένοις*. Harum autem partium quartam Ecclesiarum restaurationi fuisse attributam, adeo notum est, ut verbis non indigeat, ut d. q. 2. can. vobis, vers. & quatuor portiones, can. vii. turanæ, can. concesso ibi: *Reditus, & oblationes fidelium in quatuor partes dividet, quarum unam sibi ipse retineat, alteram Clericis pro officiorum suorum sedulitate distribuat; fabricis tertiam; quartam pauperibus, & peregrinis habeat fideliter erogandam*: & subditur, *quarum rationem divino redditurus examini*: can. 27. in quo additur, oportere, ut hujusmodi præcepti implementum, ex ipsa instauratione aperta, ac manifesta locorum sanctorum appareat: *Ea vero, quæ ecclesiasticis ædificiis attributa sunt, huic operi veraciter prærogata, locorum doceat instauratio manifesta sanctorum*: cujus rei hæc ratio subnectitur, *quia nefas est, si sacris ædibus destitutis in lucrum suum Præsul impendia his deputata convertat*; can. de reditibus, ibi: *duæ ecclesiasticis fabricis, & erogationi peregrinorum, & pauperum profuturæ*, c. Præsul 13. q. 2. c. mos, & alibi passim.

Illud animadversione dignum, hanc partem, quæ hoc canone dicitur adscripta Ecclesiarum reparationi, can. insequenti, qui sumptus fuit ex Concilio Toletano, expromi, esse assignatam *Cœmeteriorum, & titulorum restaurationibus* (nam tituli Ecclesiæ sunt) & enim, de qua agimus partitionem, fieri secundum præcepta Apostolorum, *ut prima pars secundum Apostolorum præcepta, titulorum & cœmeteriorum restaurationibus diligenter attribuatur; secunda Clericis; tertia cunctis pauperibus; quarta advenis*. Qui canon postremis in verbis videtur ab aliis aliquantulum discrepare, nisi dicamus cum Joanne Duaci commentariorum in decretum *parte 2. causa 12. qu. 2. lit. 4.* partem, quæ in hoc assignatur advenis, intelligi portionem Episcopi,

quæ

quæ in can. 30. dicitur: *ei dari, ejusque familiæ propter hospitalitatem, & susceptionem.*

Notatu etiam dignum, hanc distributionem, non tantùm ad antiquos ecclesiasticorum bonorum proventus pertinuisse, sed etiam ad novos. Vnde cum in Ecclesia Syracusana aliud servaret Episcopus ex consuetudine, quam in ea vigere causabatur; hanc consuetudinem tanquam pravam reprobat Gregorius can. 29. mandans, *ut quartæ secundum distributionem, quam vocant canonicam, dispensentur,* hac adjecta ratione: *incongruum namque est, unam eandemque Ecclesiæ substantiam duplici quodammodo jure censeri, idest usurpationis, & canonum.*

Id quoque non adeo pervulgatum, Episcopo eam partem fuisse relictam, operi & fabricæ designatam, non modo ex reditibus matricis, & Cathedralis Ecclesiæ, ut opinatur Filesac. *ad tit. de offic. judic. ordin.* sed etiam aliarum omnium Ecclesiarum, Concil. Tarrac. c. 8. in quarum numero erant & positæ in suburbanis parœciis; etiam cum ruralibus Presbyteris redituum ecclesiasticorum sors assignata, nec amplius oblationes, & reditus in Civitatem deferebantur. Reparationis cura omnis penes Episcopum residebat, licet posterioribus seculis ea fuerit Archidiaconi, qui Episcopo rationem reddebat, aliquando penes fideles laicos, qui ab opere Ecclesiæ, Operarii, & quod matriculam, vel *βιβλίον*, hoc est Ecclesiæ titulos servabant, matricularii, Concil. Bracar. 11. cap. 11.

Eleganti verborum compendio videtur Carolus Magnus hanc necessitatem erogandi fructus omnes, qui ex facultatibus Ecclesiasticis obveniunt, in hos, quos diximus usus, complexus fuisse, Capitularium lib. 7. cap. 152. 227. ***Unde pauperes recreari, Ecclesiæ restaurari, Clerici vivere, Episcopi recipi, & peregrini pasci debent.*** **Ubi adjungitur, Clericis majores, aut minores distributiones sufficì debere, prout majorem, vel minorem operam Ecclesiis impendunt.** ***Clerici omnes qui fideli Ecclesiæ vigilant, atque serviunt, stipendia sanctis laboribus debita, secundum servitij sui meritum,***

vel ordinationem Canonum, a Sacerdotibus consequantur. Idem fusius habetur Capitularium lib.7.cap.190. *Instruendi sunt Presbyteri, quatenus noverint decimas, & oblationes pauperum, & peregrinorum, & hospitum esse stipendia. Qualiter vero dispensari debeant, canones sacri instituunt: scilicet, ut quatuor partes ex omnibus fiant: una ad fabricam Ecclesiæ relevandam: altera pauperibus distribuenda: tertia Presbytero cum suis Clericis habenda: quarta Episcopo reservanda: & quicquid exinde Pontifex jusserit prudenti consilio est faciendum*. Quod alibi inculcatur, sed brevius, dum dicitur divisionē faciendam esse, *juxta præceptum proprij Episcopi, secundum Canonicas Sanctiones, atque decreta Beati Gelasij Papæ*. Plerique enim canones ex his, quorum verba recitavimus, sunt Gelasii, quem, ut pridem diximus, suprascripta partitio agnoscit Auctorem, & non absimilis divisio, quod ad decimas attinet ut fiat, dispositum extat *in legib. Longobard. lib. 3. 4. tit. 3. l. 4*: de qua re Iacobus Gothofred. *ad l. 18. C. Theodos. de oper. public*.

Quanquam autem quarta portio decimarum, ac obventionum Episcopi beneficio cederet auctoritate canonica; attamen hoc ita restringendum esse, definitum fuit Concil. sexto Parisiensi habito anno 829. can. 31. si Ecclesiæ suæ inopia id exposceret, *quo casu* d. can. permittitur, *ut accipiat de memorata quarta sibi suisque, non quod avaritia, quod absit, suaserit, sed quod necessitas compulerit. Cæterum si accipiendi nulla necessitas urserit* (ut Concil. prosequitur) *nihil de memorata quarta accipiat, sed usibus Ecclesiarum, & pauperum Christi impertiendam secundum suam dispositionem relinquat*. Quod propterea videtur respexisse ad ea verba *ἐπὶ τούτῳ Canonis apostolici 41. al. 40*. & Antiocheni sub Julio I. 25. qui ambo referuntur *c. 12. q. 1. c. ex his autem, & c. Episcopus*.

Nec sum adeò rerum imperitus, ut ignorem, eam distributionem non in omnibus Ecclesiis Christiani Orbis eandem fuisse, nec semper ita exactè observatam; nam in Hispania (quæ suorum morum retinens, & tenax adeò ut proprium divini officii ordinem serò, & non nisi

nisi miraculis territa, ut fertur, derelinquere, & Romanum amplecti voluerit) tertia pars tantum basilicarum restaurationi tributa, can. 8. Synodi Tarracon. ubi hoc dicitur fieri *per antiquam traditionem*, Concil. Tolet. 4. c. 32. Bracar. 2. cap. 11. quemadmodum etiam tertia necessitatibus Episcopi cap. 25. Concil. Bracar. Gallia verò Romanam consuetudinem in omnibus sequebatur, ut ex Capitularibus, quorum verba adscripsimus, & Concil. Agrippinens. *cap. 6.* Sed tamen semper obtinuit, ut qui beneficia in Ecclesiis possiderent, ad eas reficiendas, & sarta tecta tenerentur, *ut constat ex cap. omnes de consecrat. distinct. 1. cap. fin. de his, quæ fiunt a majori*, & ex Conciliis, in quibus nil sæpius invenitur, ut ex Concilio Toletano 16. in epistola Regis Flavii Egilæ col. 1. Concilio Romano sub Eugenio 2. can. 25. ibi: *de destructis Ecclesiis, ut ab eis, qui eas possident readificentur, & si non sufficiant a Populo adjuventur*, Francoford. can. 26. *ut Domus Ecclesiarum ab eis fiant emendatæ, qui beneficia exinde habent*, Emerit. can. 16. ad fin. *omnes verò supradicti Presbyteri, qui virtutem habuerint, Episcopo suo placitum faciant, ut reparare Ecclesias sibi commissas intendant*, & ex Conc. Mogunt. cujus verba nobis exhibet caput primum de Ecclesiis ædificandis, & reparandis, *quicunque beneficium Ecclesiasticum habent, ad tecta Ecclesiæ restauranda, vel ipsas Ecclesias emendandas omnino adjuvent; & nonam, & decimam reddant*. Quæ verba etsi potius referenda sint ad eos, quibus jure beneficiario prædia fuerant ab Ecclesiis concessa, Feudorum instar, *ut ex legibus Longobard. Capitularibus* Caroli, & Ludovici, *& Conc. Valent. can.* 10, *& Arelat. 6. can.* 25. nihilominus ita ab omnibus intellecta fuere, ut ad eos, qui beneficia habent ob sacra ministeria peragenda, pertineant. Quod iisdem plene verbis proponitur cap. 4. d. tit. de Ecclesiis ædificandis, vel reparandis, ex Concil. Lexoviensi.

Nec est quod in re clarissima, ac etiam in ultima Tridentina Synodo statuta *sess. 7. de reformat. cap. 8.* amplius immoremur. Liceat tamen addere gravissimam

sententiam, Concil. Tullensis par. 2. cap. 11. quod cum juberet; *ut Ecclesia sarciantur, vel restaurentur in ædificijs ab ijs, qui earum rebus utuntur, aut ab unoquoque tale ex earum familia præbeatur adjutorium, per quod si fieri potest, readificentur*, eam subjicit rationem; *indignum est enim juxta historiam, Domino per prophetam reprobante, nos in Domibus laqueatis habitare, & Domos Dei esse desertas.*

Iam verò supervacuum est legentes monitos facere, Beneficiariorum obligationem non ad Ecclesiæ dumtaxat refectionem restringi, sed latiùs patere; quia nimirum ipsis incumbit, ut Ecclesiæ vestibus, aliàque sacrâ supellectile instructæ sint, & luminariis, ac ornamentis non deficiantur, cum id constet ex Concilio celebrato in Civitate Metensi sub Rege Ende can. 2. *Nemo seniorum de Ecclesia sua accipiat de Decimis aliquam portionem, sed solummodo, Sacerdos eas cum integritate accipiat in sui sustentationem, & ad luminaria concinnanda, & Basilicæ ædificia; vestimenta quoque Sacerdotalia, & cætera utensilia suo ministerio congrua, obtinenda: hæc omnia Episcopi de suis Ecclesijs, & cæteri attendere decreverunt*, & Concil. Papiensi sub Leone IV. habito anno 850. can. 17. *secundum Episcoporum dispositionem Sacerdotum, & reliquorum Clericorum usibus, cæterisque Ecclesiarum utilitatibus distribuenda sunt Decimæ*, & ex Baluz. Capitular. cap. 5. pag. 359. *& ad ornamentum Ecclesiæ primam eligant partem, secundam autem ad usum Pauperum, vel peregrinorum, tertiam sibimetipsis soli Sacerdotes dispensent*. Quod iisdem plene verbis legitur Conc. Gall. *tom. 2. pag. 249.*

Idemque tanquam constantissima Patrum doctrina affertur in Concil. Aquisgranensi habito anno 816. can. 116. *Res Ecclesiæ sicut a sanctis Patribus traditur, vota sunt fidelium, pretia peccatorum, & patrimonia pauperum. Fideles namque fidei ardore, & Christi amore succensi, ob animarum suarum remedia, & cælestis patriæ desiderium, suis proprijs facultatibus sanctam locupletem fecerunt Ecclesiam, ut his & milites Christi alerentur, & Ecclesiæ exornarentur, pauperes recrearentur, & captivi pro temporum opportunitate redimerentur.*

tur : & in Concil. 8. can. 15. ut ex Thomasin par. 3. lib. 4. cap. 8. fol. 438. quod hæc duo in pauca contrahit, *Ecclesiasticos reditus ad propriam Ecclesiæ utilitatem, & ob escam pauperum, & peregrinorum esse decernimus.*

His legibus sibi obtemperandum esse duxerunt sancti Præsules. Unde Flodoardus *lib. 8. cap. 21.* narrat de Fulcone Archiepiscopo, ab ipso partem redituum, qui ex Ecclesiæ prædiis redigebantur, *usibus Ecclesiasticorum ornamentorum, vel luminarium applicatam fuisse.*

Quocirca, cum invictissimus noster Princeps intelligeret, quod nunquam satis deflere, ac indignari poterimus; templa vix nomina, ac reliquias servare, & propriis non agnoscenda ruinis obrui, & majorem illis vastitatem Beneficiariorum avaritiam intulisse ea, quam dolet, exagitatque Concilium Turonense 3. can. 46. *Similiter, & de restauratione tectorum nobis necessitas incumbit judicare, quia non tantum domus Monasteriorum, sed & ipsæ Ecclesiæ propter tectorum inopiam ruinas minantur*; & Concilium Meldense can. 62. *hi, qui ex rebus Ecclesiasticis nonas, & decimas persolvere, & sarta tecta Ecclesiæ secundum antiquam auctoritatem, & consuetudinem restaurare debent, hoc non solum negligunt, verum & per contemptum dimittunt; atque Clericos fame, ac penuria, Ecclesiastica ædificia dissolutione annullari permittunt*, idque usuvenisse, quod scelestissimum arbitrati sunt Patres Concilii Tullensis, ut proxime diximus, Beneficiarios in Domibus laqueatis habitare, & Domos Dei esse desertas; cum tamen maxima ex parte hujus Regni Ecclesiæ beneficio Serenissimorum Regum, qui ei imperarunt, extructæ fuerint, & reditibus auctæ, ac ditatæ; quos proinde in eos, quos expressimus usus, impendi magis ratio exigit, ut eruitur ex Concil. Aurel. 3. can. 5. alias 7. apud Anton. Augustin. in Epitom. lib. 13. tit. 2. cap. 12. *De oblationibus, vel agris, quos Dominus noster Rex Ecclesiæ suo munere conferre dignatus est, &c. definimus, ut in reparationibus Ecclesiarum, alimoniis Sacerdotum &c. quidquid Deus in fructibus dignatus fuerit expendatur*: Jure merito tantam indignitatem amplius perpeti noluit,

cum

cum ad Principis pertineat officium, ut Ecclesiæ ætate, ac vetustate collabentes, reparentur, & destructæ restituantur, & abjurent senectam, ut Ennodius Ticinensis epistola ad Boetium, *abjurant priscam te Præsule tecta senectam*, cap. fin. 96. distinct. *Boni Principis, & Regis est Ecclesias contritas, atque scissas restaurare, novas ædificare*, & cap. sicut 23. quæst. 4. Quod Imperatorem Augustum præstitisse, prædicat Ovid. quem Templorum inventorem appellat;

Templorum positor, Templorum sanctè repertor,

quòd ut Sueton. narrat in ejus vita *cap.* 30. Ædes sacras vetustate collapsas, aut incendiis absumptas refecerit; quare Casaubonus mendosum putans Ovidii locum, prò *Repertor* reponit *refector*: & curam agere debeant, ne Sacerdotes, atque Beneficiarii pecunia conflata ex reditibus Ecclesiasticis in hanc rem destinatis, abutantur. Quapropter 4. *Regum cap.* 12. laudatur Joadis Regis pietas, qui cum suspectos haberet Sacerdotes, ne pecuniam interverterent, quæ ad tutelam Templi a Populo offerebatur, eam primum in arcam clausam inferri, deinde scriba suo præsente, fabris, ac cæmentariis erogari jussit, & eadem de causa *lib.* 1. *Regum cap.* 12. & 22. & Paralipomenon *cap.* 24. laudantur etiam Reges Ioab, & Iosias, quod ut Templum Hierosolymitanum restauraretur, omnem operam, studiumque posuerint. Quorum religionem cum imitari voluerit potentissimus Rex noster, exemplum Austriaca pietate dignum cum posteris reliquisse, nemo æquus rerum Judex inficiabitur.

Sed & piissimi Principis animum, ut eorum patrocinium caperet, veluti quibusdam admotis machinis, expugnarunt pauperum, ac egenorum clamores, & lachrymæ: qui portione sibi ex reditibus Ecclesiasticis debita defraudari ægrè ferentes, cuncta gemitibus complebant, & Beneficiariis avaritiam suam exprobrandi nunquam finem faciebant. Quis enim ferat, Clericos ac Beneficiarios tot divitiis abundare, ac affluere, egentes fame perire, & confici, cum tamen bona Ecclesiæ passim

passim in veteribus Canonibus dicantur Patrimonia pauperum, *can. quia justè 16. q. 1.* & suorum beneficiorum proventus constent ex oblationibus, quæ ob expianda crimina fiebant, quas propterea profanis usibus applicari, omnino sit nefarium. Audiant qui a veterum Ecclesiæ Ministrorum semita deflectentes, Ecclesiasticos reditus profundunt, ac dissipant, nulla portione pauperibus relicta, Ambrosium: *Aurum Ecclesia habet, non ut servet, sed ut eroget, & subveniat in necessitatibus. Quid est opus custodire, quod nihil adjuvat. An ignoramus quantum auri, atque argenti de Templo Domini Assirij sustulerunt? Nonne melius conflat Sacerdos prò alimonia pauperum, si aliqua subsidia desunt, quam si sacrilegus contaminat, & asportat hostis? Nonne dicturus est Dominus: cur passus es tot inopes fame mori? Certè habebas aurum, unde ministrasses alimoniam, &c.* canon. aurum 12. q. 2. audiant Hieronymum ad Nepot. *Gloria Episcopi est pauperum opibus providere: ignominia Sacerdotis est proprijs studere divitijs: item amico rapere quidpiam, furtum est: Ecclesiam fraudare sacrilegium est: accipisse quod pauperibus erogandum sit, & esurientibus plurimis, vel cautum esse velle, vel timidum, aut quod apertissimi sceleris est, exinde aliquid subtrahere, omnium prædonum crudelitatem superat,* can. gloria 12. q. 2. Contra hos exclamat Petrus Damianus, qui cum dixisset: *an ignoras quia ad hoc Ecclesijs prædia conferuntur, ut ex eis pauperes sustententur, indigentes alantur, & ex eis viduis, atque pupillis subsidium procuretur,* & cum adjecisset: *procedente tempore Ecclesiarum Rectoribus visum est, ut ipsa potius prædia traderentur, unde scilicet non modo Clericos sacris excubantes officijs Ecclesia pasceret, sed & refrigerij stipem diversis indigentibus, & inopia laborantibus, ministraret:* demum concludit, pauperum homicidam esse, qui quod eis debetur, subtrahit: *Perpende ergo quantorum homicidiorum in die judicij Reus erit, qui modo tot viduis, tot orphanis, diversisque pauperibus, unde vivere debeant, subtrahet. Si damnatur unus, qui vel unum perimit hominem ferro, qua sententia dignus est, qui bona Ecclesiæ profligando, complures interficit famis, & inopiæ gladio?* & Concilium

lium Mediolanense primum in anno 1565. ut ex actis Ecclesiæ Mediolanensis *pag.* 39. quod cum præmisisset, reditus Beneficiariis fuisse attributos, ut præter ea, quæ ad victum, & cultum eorum satis esset, suppeterent etiam, quibus divini cultus ornatus, ac splendor conservaretur, & pauperum inopia, & indigentia sublevaretur, in hæc verba definit: *Ex eo vero, quod supererit, si necessaria pauperibus alimenta denegaverint, intelligant se, quos non paverint occidisse, atque ob violatam sanctissimæ charitatis legem, mortale peccatum commisisse, quo sibi iram in die iræ thesaurizaverunt.* D. Bernardus epist. 2. ad Fulconem. *Conceditur ergo tibi, ut si benè deservis, de Altario vivas: non autem ut de Altario luxurieris, aut de Altario superbias, ut inde compares tibi fræna aurea, sellas depictas, calcaria deargentata, varia, griseaque pellicea a collo, & manibus, ornatu purpureo diversificata. Denique quidquid præter necessarium victum, ac simplicem vestitum de Altario retines, tuum non est, rapina est, sacrilegium est.* Et in declamatione in illud: *Ecce nos reliquimus omnia: Res pauperum non pauperibus dare, par sacrilegij crimen esse dignoscitur: sane patrimonia pauperum, facultates Ecclesiarum: & sacrilega eis crudelitate surripitur, quidquid sibi ministri, & dispensatores, non utique domini, vel possessores ultra victum accipiunt, & vestitum. Nec enim ordinavit Deus his, qui Evangelio serviunt, de Evangelio quærere, & habere delicias, vel ornatum: Sed vivere (ait Paulus) ex eo, ut videlicet sint contenti alimentâ corporis, non irritamenta gulæ, aut incentiva libidinis, & quibus tegantur, non quibus ornentur accipere.* Ut præteream Urbanum I. Iustinum Martyrem, Prosperum, Chrysostomum, aliosque.

Hac de causa potissimum instituta fuerunt beneficia, ut pauperum necessitatibus succurreretur: Hujus conditionis semper erunt, nec ea ulla temporum vetustate mutari poterit, ut habetur in Conc. 6. Parisiensi anno 829. can. 15. *Initio nascentis Ecclesiæ vota fidelium ante pedes ponebantur Apostolorum, eorumque judicio, unicuique prò ut opus erat, distribuebantur. Et licet crescente fidelium devotione copiosissimis, ac munificentissimis eo-*

rum

rum liberalitatibus sancta donata sit Ecclesia, eundem tamen usum Apostolorum successores in tractandis, & dispensandis Ecclesiasticis rebus se servare debere meminerint. Unde ajebat Christianus Lupus in Schol. ad 15. can. 8. Concil. *Quocirca licet illi (Beneficiarij) Sacerdotiorum suorum proventus faciant suos, non tamen pleni, & liberi, sed quasi Fideicommissarij ipsorum sunt domini, rigido justitiæ jure obstricti ad omne necessario victui, & simplici vestitui superfluum in pauperes elargiendum: res transit cum suo onere: quarta sua parte pauperes spoliare, neque voluit, neque potuit Ecclesia: absit hoc a piissima Matre, servare illa vult, & debet piam voluntatem fundatorum*; & Barbos. juris Ecclesiastici universi lib. 3. cap. 17. nu. 8. *Quartam pauperibus debitam nulla contraria consuetudine tolli posse, quin saltem in foro conscientiæ debeatur, quia inopia Pauperum semper est præsens*. Cum ergo adversus eos, qui ita Ecclesiasticas facultates dilapidant, ac perdunt, in canones insultantes, Regium auxilium expeterent miserrimi homines, pessime ab iis accepti, aures ipsis non erant occludendæ: præsertim, cum hujus Regni Ecclesiæ pene omnes a Serenissimis Neapolitanis Regibus a fundamentis excitatæ, amplissimis latifundiis, ac patrimoniis donatæ fuerint, qui potius in pauperes, quam in earum Præsules liberalitatem suam contulisse, censendi sunt, ut ait Divus Thomas in 2. ad Corinth. c. 12. lect. 5. *Videtur quod male fecerint Principes, & alij dando divitias Prælatis. Responsio. Dicendum est quod non dederint Prælatis de per se, sed propter pauperes, & ideo non dederunt eis, sed pauperibus. Prælatis autem dantur tanquam pauperum dispensatoribus*.

Unum superest propugnaculum, quo desertores Beneficiarii se se recipere solent. Factum negant, pauperibus scilicet subsidia deesse: neque enim in beneficiorum locis degere oportet, ut egenis alimonia tribuantur: nihil prohibet id præstari vicaria alterius opera. Quid? quod ubivis inopum *plus est fere*,

Quam olim muscarum est, cum caletur maxime.

Q Plane

Planè quod factum spectat, a nostra disputatione alienum est. Sed si odiosa facti quæstione seposita, in qua ipsi probandi onere premerentur, quorum negatio in meram abit affirmationem, conjecturis agendum sit: gravissima urgentur præsumptione, quod debitas agapas, eleemosynasque non erogent. Nam cum divinæ Domus mundities, atque elegantia, tum verò incolumitas, & integratio, quæ altera est beneficialis obligationis pars, quam cordi sit nepotibus istis, satis oculis deprehendant, qui Regnum peragrant; Quid de parte altera putandum sit, nõ sum divinus fateor, sed nec opus Oedipo ad hunc nodum solvendum esse arbitror. Caveant verò, nisi cordatis viris ludibrium debent, vero vultu in causam suam proferre vulgare illud: *Pauper ubique jacet*, quasi nulla sit necessitas in pauperes ejus loci, ubi Beneficium institutum est, debitam portionem largiri, sed idem liceat in quoscunque. Intercedunt enim leges: Intercedunt Canones. Siquidem extra dubium est, oblationes Deo factas, esse patrimonium Pauperum, nec alia fine donatores impulsos fuisse, admonent veteres tabulæ, quæ adscriptam semper clausulam produnt: *Per formam eleemosynæ Pauperibus assignatæ*, ut notat Marculfus lib. 2. formularum princip. ibiq; Bignon. in observat. narrat ex Gregorio Turonensi lib. 6. cap. 20. Chrodinum quendam cum domos, vineas, argentum Ecclesiis distribueret, his usum verbis: *Sint hæc Ecclesiæ data, ut dum de his Pauperes reficiuntur, mihi veniam obtineant apud Deum*. Qua de re plura Filesacus in querela Ecclesiæ Gallicanæ pag. 838. quod autem generatim testator pauperibus legat, civium suorum, municipumve, non exterorum inopiæ levandæ relictum censetur, *l. 39. §. ult. ff. de conditionibus, & demonstrat. l. 24. Cod. de Episcop. & Cleric.* & nos abundantiore calamo in secunda dissertatione exequemur.

De cætero, si quo sensu illud accipiendum sit, *Pauper ubique jacet*, audire velint, nihil auribus dantes dicemus:

mus: quia nusquam est, qui sublevet, erigatque. Et jacebit æternùm sanè, nisi Beneficiarii ad suam quisque Ecclesiam redire cogantur. Perdifficile enim est homines naturâ in vitia pronos, in avaritiam verò pronissimos, eorum miseriis angi, vel tangi, quorum res adversas, afflictasque non vident. Si quæ fidelibus oculis subjecta sunt, vix movent, & qui lapideo corde sunt, nulla rei acerbitate, non atro, horrendoque aspectu moventur, quid de iis sperandum est, quorum graves somnos nullus interturbat nuncius, sive ut Græci dicunt ἀποτείναντας τὼ πόδε καθεύδειν; ut ita quo ad commiserationem excitentur, neque habeant, neque expectent, neque curent neminem. Comperta hæc sunt, ac omnibus explorata. Dio Chrysostomus orat. Olymp. καὶ δὴ τὸ λεγόμενον ὡς ἐστιν ἀκοῆς πιστότερα ὄμματα, ἀληθὲς ἴσως. πολύγε μὴν δυσπειθέστερα, καὶ πλείονος δεόμενα ἐνεργείας. ἡ μὲν γὰρ ὄψις αὐτοῖς ὁρωμένοις ξυμβάλλει, τὴν δ' ἀκοὴν οὐκ ἀδύνατον ἀναπτερῶσαι, &c. Marcus Cicero ad Torquat. 6. epist. 1. *Nam etsi, quocunque in loco quisque est, idem est ei sensus, & eadem acerbitas ex interitu rerum, & publicarum, & suarum; tamen oculi augent dolorem, qui ea, quæ cæteri audiunt, intueri coguntur, nec avertere a miserijs cogitationem sinunt.* Claudat agmen S. Io: Chrysostomus, qui propiùs ad rem nostram tom. 5. serm. 25. διὰ τοῦτο καὶ πρὸ τῶν θυρῶν τῶν οἴκων τῶν εὐκτηρίων ἔστησαν τοὺς πένητας οἱ πατέρες οἱ ἡμέτεροι, ἵνα καὶ τὸν νωθρότατον καὶ ἀπανθρωπότατον αὐτὴ τῶν πενήτων ἡ ὄψις πρὸς ὑπόμνησιν ἐγείρῃ τῆς ἐλεημοσύνης. ὅταν γὰρ ἑστήκῃ χορὸς γερόντων, συγκεκυφότων, ῥάκια περιβεβλημένων, αὐχμώντων, ῥυπώντων, βακτηρίας ἐχόντων, μόλις στηρίζεσθαι δυναμένων, πολλάκις δὲ καὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς ἐκκεκομμένων, καὶ τὸ σῶμα ὅλον, ἀναπήρων, τίς οὕτω λίθινος, τίς οὕτως ἀδάμας, ὡς καὶ τῆς ἡλικίας, καὶ τῆς ἀσθενείας, καὶ τῆς πηρώσεως, καὶ τῆς πενίας, καὶ τῆς εὐτελοῦς στολῆς, καὶ πάντων ἁπλῶς πρὸς συμπάθειαν ἐπικλώντων αὐτὸν, ἀντιστῆναι, καὶ μεῖναι, πρὸς ἅπαντα ταῦτα ἀνένδοτος; διὰ ταῦτα πρὸ τῶν θυρῶν ἡμῶν ἑστήκασι παντὸς λόγου δυνατώτεροι, διὰ τῆς ὄψεως ἐπισπώμενοι πρὸς φιλανθρωπίαν τοὺς εἰσιόντας ἐκκαλούμενοι. *Hac de causa majores nostri, pro foribus Ecclesiarum, pauperes constituerunt, ut vel inhumanissimum, & segnissi-*

gnissi.

gniſſimum quemque, aſpectus ipſe egenorum, ad commiſerationem excitet. Vbi enim ſtat chorus ſeniculorum, incurvorum, pannoſorum, ſqualidorum, ſordidatorum, baculos tenentium, atque his ægrè ſe ſuſtentantium, nonnunquam oculis orbatorum, totoque corpore malè mulctatorum, quis tam ſaxeus eſt, quis tam adamantinus, qui ad eorum grandævitatem, imbecillitatem, cæcitatem, egeſtatem, habitus vilitatem, totque alia ad condolendum moventia, obdurare ſe, & inflexibilis queat permanere? Hac de cauſa pro foribus noſtris ſtant, ipſo aſpectu, magis quam ullis verbis poſſunt, ad beneficentiam provocantes eos, qui introgrediuntur. Sed nimiùm multa de re minimè dubia locuti ſumus.

DIS

DISSERTATIO SECUNDA

Alienigenas ab Sacerdotiis arcendos.

EXtant & posteriores nostri invictissimi Regis literæ, quibus expressit se in posterum non permissurum, ut hujus Regni Beneficia Exteris conferantur, qui propterea videtur Edictis suis, non tantum residendi necessitatem juxta Canones requisitam, & erogationem redituum Ecclesiasticorum in usus ab eo, cui instituti, ac destinati fuerant usu quamlongissimè abeuntes, sed etiam contemptam Canonum constitutionem indigenis beneficia deferentem, quæ ex Jure Divino, Canonibus, & traditione Apostolorum originem sumit, non minus eorum tempestate observatam, quam insequentium Sæculorum consuetudine firmissima, nec unquam interrupta comprobatam, ante oculos habuisse. Hæc autem inter se non dissonare, sed maximam potius affinitatem habere, nemo est, qui non intelligat: etenim ex rationibus certe innumeris, ob quas indigenæ præ aliis ad Beneficia sunt admittendi, hæc quidem inter validissimas, atque efficacissimas reponi debet, quod illi facilius residendi Præceptum implere possint, ut notavit Thomasin. *de benef. par.* 2. *lib.* 3. *cap.* 35. *num.* 1. cujus verba e re fuerit audire. *Ut facilius residerent Episcopi, eligendi erant ipsomet ex Ecclesiæ ejusdem Clero, in quem cooptari debebat flos civium delibatus. Cives quippe præferendi erant Extraneis in delectu faciendo ad ordines, ad beneficia, maxime autem ad Episcopatus; ut non alia cum illis esset patria, quam Ecclesia propria, hoc ei gemino nexu arctissimè devincirentur, & in ea residerent non faciliùs tantùm, & lubentiùs,*

gnissimum quemque, aspectus ipse egenorum, ad commiserationem excitet. Ubi enim stat chorus seniculorum, incurvorum, pannosorum, squalidorum, sordidatorum, baculos tenentium, atque his ægrè se sustentantium, nonnunquam oculis orbatorum, totoque corpore malè mulctatorum, quis tam saxeus est, quis tam adamantinus, qui ad eorum grandævitatem, imbecillitatem, cæcitatem, egestatem, habitus vilitatem, totque alia ad condolendum moventia, obdurare se, & inflexibilis queat permanere? Hac de causa pro foribus nostris stant, ipso aspectu, magis quam ullis verbis possunt, ad beneficentiam provocantes eos, qui introgrediuntur. Sed nimiùm multa de re minimè dubia locuti sumus.

DIS

DISSERTATIO SECUNDA

Alienigenas ab Sacerdotiis arcendos.

EXtant & posteriores nostri invictissimi Regis literæ, quibus expressit se in posterum non permissurum, ut hujus Regni Beneficia Exteris conferantur, qui propterea videtur Edictis suis, non tantum residendi necessitatem juxta Canones requisitam, & erogationem redituum Ecclesiasticorum in usus ab eo, cui instituti, ac destinati fuerant usu quamlongissimè abeuntes, sed etiam contemptam Canonum constitutionem indigenis beneficia deferentem, quæ ex Jure Divino, Canonibus, & traditione Apostolorum originem sumit, non minus eorum tempestate observatam, quam insequentium Sæculorum consuetudine firmissima, nec unquam interrupta comprobatam, ante oculos habuisse. Hæc autem inter se non dissonare, sed maximam potius affinitatem habere, nemo est, qui non intelligat: etenim ex rationibus certe innumeris, ob quas indigenæ præ aliis ad Beneficia sunt admittendi, hæc quidem inter validissimas, atque efficacissimas reponi debet, quod illi facilius residendi Præceptum implere possint, ut notavit Thomasin. *de benef. par.* 2. *lib.* 3. *cap.* 35. *num.* 1. cujus verba e re fuerit audire. *Vt facilius residerent Episcopi, eligendi erant ipsomet ex Ecclesiæ ejusdem Clero, in quem cooptari debebat flos civium delibatus. Cives quippe præferendi erant Extraneis in delectu faciendo ad ordines, ad beneficia, maxime autem ad Episcopatus; ut non alia cum illis esset patria, quam Ecclesia propria, hoc ei gemino nexu arctissimè devincirentur, & in ea residerent non faciliùs tantùm, & lubentiùs,*

tiùs, sed pene necessariò, & vi quadam ipsius naturæ ineluctabili ea, qua patriam omnes amplexamur: Et part.2.lib.3.c.31. n. 2. *Illud jam alibi observavimus, quò faciliùs Episcopi suis in Ecclesiis residerent, id usu receptissimum fuisse, ut ipsius ex Ecclesiæ gremio eligerentur, & ex indigenis.* Nec prætermiserunt Abb. *cap. ad decorem n.4. de institutionibus*. Sot. *de justit. & Iur. lib. 3. quæst. 6. artic. 2. circa decimam conclus. & in responsione ad argument.* Azeved. *ad lib.1. recopilat. l. 14. tit. 3. num. 17.*, Garcia *de Benefic. par. 7. cap. 9. num. 7.* ibi: *quia facilius inducuntur ad residentiam indigenæ dulcedine Patriæ allecti, quàm Extranei*. Salzed. *in pract. cap. 54. num. 4.* Cevallos *commun. contra communes quæst. 693. n. 35.* Unde Gonzalez *cap. 3. de Clericis non residentibus lit. D. post* Salcedo *de l. politic. lib. 2. cap. 16. §. 2. ad n. 35.* affirmat leges 20. & 36. *tit. 1. novæ recopilat.* quibus obstructa via est alienigenis, ne ad beneficia pervenire possint in Hispaniæ Regnis, justissimas esse, quod illi absque residendi animo beneficia affectare credendi sint: cujus verba sequenti dissertatione dabimus.

Quod & ex ipsis Hispanorum Regum legibus apertissimum est, quibus sancitum deprehenditur, ut exteri a beneficiis absterrendi sint eò potissimum, quod ii ab Ecclesiis, in quibus beneficio potiuntur abesse soleant: ex quo illud existit, ut Templa reparatione, Ministris, ornatu defecta, maximumque divinus cultus detrimentum accipiat, ut patet ex constitutione Henrici IV. lib. 1. ordinament. l. 19. apud Perez. *El otro es, que el culto divino, y las Yglesias padescen gran detrimento estando absentes fuera de sus Yglesias las personas Ecclesiasticas dellas, y sus Perlados*; & ex Pragm. sanction. Henrici III. apud eundem Perez ibi, *E otro si se mengua de todo punto el servizio de Dios, por quanto los dichos estrangeros no curan que las dichas dignidades se sirvan, ni piensan en el si nò en quanto pueden ellos aver, pues en sus Tierras las costas hechas, por lo qual esso mesmo se perdien todas las possessiones, que los fieles defunctos y vivos dieron, y de que dotaron a las Yglesias por carga de sus almas, y redempcion de pecados, de las quales cosas vienen dos daños muy grandes. El*

pri-

primero, que los pueblos, y fieles Christianos pierden muy fuertemente las devociones, en que veen menguado en las Yglesias el servicio de Dios. El segundo es, que se retraen, y quitan, y tiran de hazer limosnas, y bienes, y dexar cosas algunas a las Yglesias: por quanto veyan perdidas, y destruydas las possessiones, y otras cosas, que a ellas dieron, y dexaron ellos, y sus ancianos, y aun lo que es peor, muchos no quieren dezmar, ni dar a las Yglesias el diezmo de las cosas, que deven dezmar, ni pagar sus deudas a Dios, ni hazer a las Yglesias limosnas ningunas, viendo que los dichos Cardenales, y estrangeros lo llevavan todo sin servir, ni reparar, segun dicho es como quien roba, el qual es camino de se perder muchas almas. Id autem ita accipiendum velim, ut hæc, quæ ex residendi facilitate ducitur ratio, non postrema inter eas sit ob quas externi a Sacerdotiis sunt ablegandi, cum sexcentæ aliæ, & quidem firmissimæ veluti valvæ, ac repagula quædam, ne horum janua iis patefiat, sint impedimento; quæ nullo modo possint effringere, ut dictum suum, ne quem imprudentem fallat, temperat Thomassin. eodem cap. 31. n. 3. *Nec me fugit quanta alias commoda ex eo usu derivarentur, quo Clerici ex indigenis, Episcopi ex Clero Civitatis deligebantur, sed nemo negaverit hanc residendi necessitatem non postremo in iis loco esse debere.*

Vetustissimum Ecclesiæ institutum est usque ab Apostolorum ductum temporibus, ut indigenæ in beneficiis assequendis exteris præponi debeant; quod ex jure Divino, & Canonibus, ac traditionibus Apostolorum descendere, jure etiam naturali inniti, Conciliorum sanctionibus, Patrum regulis, sacrorum Canonum decretis disertissimè constitutum fuisse, epistolis Summorum Pontificum cautum, Imperatorum legibus non esse dissentaneum, atque ita omnium tam civilis, quàm Pontificii juris Interpretum, ac eorum, qui Divinæ scientiæ se dicarunt, menti, animisque penitus insedisse, ut nemo tam excors inveniri queat, qui contra senserit, regulis quoque Romanæ Cancellariæ comprehensum, demonstrare levissimum fuerit.

Quod ad primum attinet, quin ex juris Divini fontibus ea consuetudo promanaverit dubium non est: cum ad Canones Apostolorum, eorumque traditiones ipsam referat Sanctissimus Pontifex Julius Primus apud Athanasium *apol.* 2. Apostolicas autem traditiones ex jure Divino, & ex eo, quod Servator noster, ac Magister discipulos docuit, ortum habuisse, inter omnes constet. Siquidem cum delectus fuisset, sive potius obtrusus Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopus Gregorius ex Cappadocia originem ducens ab ea Ecclesia extraneus, eique ignotus; hanc electionem detestatur Julius, câque Apostolorum Canones infractos fuisse, dissolutos, Divinamque traditionem violatam asseverat, ac tertio quoque verbo exagitat. *Τίνες εἰσὶν οἱ παρὰ κανόνας πράξαντες; ἡμεῖς οἱ μετὰ τοσούτων ἀποδείξεων τὸν ἄνδρα δεξάμενοι; ἢ ἀπὸ τριάκοντα, καὶ ἓξ μονῶν ἐν Ἀντιοχείᾳ ὀνομάσαντες τινα ὡς Ἐπίσκοπον ξένον, καὶ ἀποστείλαντες εἰς Ἀλεξάνδρειαν. Qui igitur sunt, qui contra canones agunt? Nos ne qui cum tantis rerum documentis virum recipimus? an qui a triginta sex mansionibus Antiochiæ quendam velut Episcopum externum hominem salutarunt, eumque in Alexandriam miserunt?* En ait Julius verbis conceptissimis eversos canones, eo quod *ξένος externus homo* Ecclesiæ fuerat præpositus. De Canonibus autem Apostolorum, ac de Apostolica traditione se loqui statim explicat, quos corruptos queritur, & convulsos, quia Gregorius neque Alexandriæ natus, neque in ea Civitate baptismum susceperat, nec populo cognitus erat. *Ἔπειτα οὐκ ἔδει τοιαύτην καινοτομίαν κατὰ ἐκκλησίας γενέσθαι. ποῖος γὰρ κανὼν ἐκκλησιαστικὸς, ἢ ποία παράδοσις Ἀποστολικὴ τοιαύτη, ὥστε εἰρηνευούσης ἐκκλησίας, καὶ Ἐπισκόπων τοσούτων ὁμόνοιαν ἐχόντων πρὸς τὸν Ἐπίσκοπον τῆς Ἀλεξανδρείας Ἀθανάσιον, ἀποστελλῆναι Γρηγόριον, ξένον μὲν τῆς πόλεως, μήτε ἐκεῖ βαπτισθέντα, μήτε γινωσκόμενον τοῖς πολλοῖς, μὴ αἰτηθέντα παρὰ πρεσβυτέρων, μὴ παρ' ἐπισκόπων, μὴ παρὰ λαῶν. Deinde non decuit novos istos modos contra Ecclesiam induci. Ubi enim est iste Ecclesiasticus canon, aut istiusmodi traditio Apostolica? ut in pace agente Ecclesia, & Episcopis concordibus cum Episcopo Alexandriæ Athanasio, immittere Gregorium peregrinum, & externum hominem, neque*

Ale-

Alexandriæ baptizatum, neque plebi cognitum; neque postulatum a Presbyteris, neque ab Episcopis, neque a populo. Ex quibus verbis apparet, opus fuisse secundùm traditionem Apostolicam, & Apostolorum canones, ut Episcopus civis esset urbis, cui erat præficiendus,& vel in ea natus, vel sacro fonte ablutus, cum non minus ortu,ac nativitate, quàm baptismi regeneratione quis civis efficiatur: & quidem ea tempestate, plerique sacro fonte lustrabantur provecta ætate, & extra patriam,ut Ambrosius, Augustinus, Basilius, Gregorius Nanzianzenus:in quorum mores, ac vitam post baptismum, cum ad aliquod Ecclesiasticum munus promovendi erant,inquirebatur.

Quod satis Julius innuit, qui etiam eo,quod ait μήτε γινωσκόμενον τοῖς πολλοῖς causam indicat,cur hoc requireretur, nimirum ut creandi Antistitis populus mores perspectos haberet,ejus conversationem, & anteactæ vitæ merita,deque iis posset fidem,ac testimonium dicere.Quomodo clarius, apertiùsve exprimi potuit si indigenis, aut civibus posthabitis ad Episcopatus, alia ne beneficia (inter hæc enim nullum discrimē intercedere nemo cordatus inficias iverit)externi provehantur,non solùm traditioni,ac canonibus Apostolorum vim maximam fieri, sed eos penitus destrui; quod & magis confirmat, exaggeratque adjiciens, ne canones Apostolorum dissolverentur, omnino necessum fuisse, ut eligendus ex ipso sacrario, ac Clero susciperetur. Εἰ γὰρ καὶ μετὰ τὴν σύνοδον ὑπεύθυνος ἦν εὑρεθεὶς ὁ Ἀθανάσιος, οὐκ ἔδει τὴν κατάστασιν οὕτως παρανόμως, καὶ παρὰ τὸν ἐκκλησιαστικὸν κανόνα γενέσθαι, ἀλλ' ἐπ' αὐτῆς τῆς ἐκκλησίας, ἀπ' αὐτοῦ τοῦ κλήρου τοὺς ἐν τῇ ἐπαρχίᾳ Ἐπισκόπους ἔδει καταστῆσαι, καὶ μὴ νῦν τοὺς ἀπὸ τῶν Ἀποστόλων κανόνας παραλύεσθαι. *Si enim post Synodum in culpa fuisset deprehensus Athanasius, non tamen oportuit creationem novi Episcopi ita illegaliter, & præter canonem Ecclesiasticum fieri, sed in ipsa Ecclesia, & ex ipso Sacrario,ex ipso Clero illum ab Episcopis provinciæ constitui oportuit, & nequaquam nunc Apostolorum canones dissolvi.* Quo loci notandum est, Julium violatos in ea Ecclesiæ Alexandrinæ invasione dicere Apostolorum canones, non Apostolicos: & Pa-

tres,

tres, Summosque Pontifices dum affirmarent, vel ſtatuerent, Epiſcopos, aut qui ad alia beneficia promoveri deberent, ſumendos ex Sacrario, & Clero, ex Eccleſia, aut ejus gremio; hoc ipſo ſenſiſſe ex civibus electionem eſſe faciendam, ita ut qui ad Epiſcopatum, vel aliam dignitatem aſcenderet, prius in Eccleſia eſset emeritus, & per minora officia ad ſublimiora ſibi gradum feciſſet: nam Iulius poſtquam Arrianis canonum violationem non ſolum in ejiciendo Athanaſio, ſed etiam in conſtituendo Gregorio exprobraſſet, quia hic neque Alexandriæ lucem aſpexerat, neque ibi baptiſmo lotus fuerat, eam exprobrat iterum inferius, quia Gregorius non erat ſuſceptus ex ipſo Sacrario, & Clero, hæc duo inter ſe conſonare ſignificans; quod & verba Thomaſini ſupra adducta ſatis edocent. Tandem Iulius in hæc verba deſinit. *Ἀγαπητοί ὡς Θεοῦ παρόντος μετ' ἀληθείας φθεγγόμεθα, καὶ λέγομεν, οὐκ ἔστι τοῦτο εὐσεβὲς, οὐδὲ νόμιμον, οὐδὲ ἐκκλησιαστικόν. Dilecti, credite, tanquam Deo præſente cum veritate loquimur, non eſt iſtud factum piè, non ex jure, non eccleſiaſticè, &c.* Hujuſmodi exclamationum plena eſt ea epiſtola, ex quibus agnoſcitur quantum Eccleſia odio habuerit, ac execrata fuerit eorum promotiones ad Epiſcopatus, aut alia beneficia, qui cives non eſſent.

Eodem modo Athanaſius non ſolùm *in epiſtola ad orthodoxos* Gregorii electionem inſectatur, quia ille è Cappadocia accerſitus fuerat, *ὡς Γεωργίου τινὸς ἐκ Καππαδοκίας εἰσερχομένου*, quia *ἔξωθεν* in Eccleſiam Alexandrinam obrepſerat, & hac de cauſa illam increpat tanquam non peractam ſecundum Eccleſiaſticos Canones *κατὰ τοὺς ἐκκλησιαστικοὺς κανόνας*, illoſque conſternentem, ibi: *τοῦτο δὲ τοὺς μὲν ἐκκλησιαστικοὺς κανόνας παραλύσει, id enim & Eccleſiaſticos Canones ſolvit, neque ſecundum divinam legem, μὴ κατὰ θεῖον θεσμόν*; ſed etiam in *epiſtola ad ſolitariam vitam agentes*, eadem de cauſa, quia Gregorius externus erat, apoſtolicæ traditioni contradicere ſuam intruſionem obiicit, *ταῦτα δὲ διεθ' ὅπως ἐφρακττεν, ἐπεὶ μήτε ἐκκλησιαστικῷ κανόνι τὴν κατάστασιν εἶχε, μὴ τε Ἀποστολικῇ παραδόσει κληθεὶς ἦν Ἐπίσκοπος. Cæterum iſta ideò patravit,*

vit, quia neque secundum Ecclesiastica instituta creatus erat, neque pro Apostolica traditione nomen Episcopi obtinebat: & hanc Apostolicam traditionem alienigenis adversissimam, declarat esse ipsam divinam legem, ipsam Domini Servatoris nostri constitutionem, qua ab ipso fuerunt discipuli edocti, & ab ipso acceptam nobis tradiderunt; cui conformes esse Ecclesiæ mores, & consuetudinem generalem ab ipsis Apostolorum temporibus deductam, & longè lateque per omnem Christianum orbem diffusam, quæ cuncta subvertisse Constantium, Gregorio externo, ac populo ignoto Alexandrinæ sedi superimposito, quem propterea militari manu stipatum illuc transmittere oportuit, *οὗτος ἐπενόησεν ἀλλοιῶσαι νόμον, παραλύων μὲν τὴν κυρίου διὰ τῶν Ἀποστόλων διάταξιν, τὰ δὲ τῆς ἐκκλησίας ἀλλάττων ἔθη, καὶ καινὸν αὐτὸς ἐπινοῶν τρόπον τῶν καταστάσεων· ἐξ ἄλλων γὰρ τόπων, καὶ πρὸ πεντήκοντα μονῶν μετὰ στρατιωτῶν ἐπισκόπους ἀποστέλλει. Hic* (Constantius nempe) *excogitavit quo pacto legem inverteret dissolvens Domini Constitutionem per Apostolos traditam, & mores Ecclesiæ immutans, novumque excogitans constituendorum Episcoporum modum. Ex aliis quippe locis, & quinquaginta mansionum intervallo dissitis cum militibus Episcopos mittit.*

In Domini legem, in Apostolorum traditionem Constantium Arriana hæresi, perfidiaque imbutum, statim subjicit maxima impietate, atque impudentia fuisse grassatum, quod *εἰς μὲν τὸ Σίρμιον ἀπὸ Κυζίκου μετεπέμψατο Γερμίνιον, ἀπὸ δὲ τῆς Λαοδικείας Κεκρόπιον εἰς τὴν Νικομήδειαν ἀπέστειλε. Germinium è Cyzico Sirmium, è Laodicea Nicomediam Cecropium misit*, & ita in illum excandescit, ut Antichristi imaginem referre pronunciet.

Nullum acrius telum intendi potest in peregrinos hoc Apostolicæ Romanæ Sedis judicio in causa Athanasii non diverso ab ea sententia, quam dederant de eadem re habitæ Synodi. Hoc passim in eos injiciunt inter Scriptores præcipuè Bosquetus *in notis ad Innocent. lib 2. regest. 14. epist. 13.* cujus verba infra adscribemus. Christianus Lupus *ad Concilium Romanum anni* 1059. ubi

ubi hæc habet: *Antiquam eligendi Episcopi formam laudat in literis ad factionem Eusebianam Sanctus* Julius *Pontifex, Georgii Cappadocis intrusionem Alexandrinam damnans uti adversam Canoni Apostolico, non solum quod facta per militarem violentiam, sed etiam quod ipse ab Ecclesia ista esset extraneus, & peregrinus:* qui ut in invasionem Cappadocis erumpit tanquam repugnantem Canonibus Apostolorum, ita & Thomasin. de benefic. par. 2. lib. 3. cap. 35. num. 10. ibi; *Cum non alius Athanasio si is abdicari debuisset, fuisset subrogandus, quam ex Clero ejusdem urbis convenienter Canonibus, & traditioni Apostolorum*. Ubi etiam ex Julii verbis hæc colligit: *Vides ut eligendi ex iis essent Episcopi, qui in eadem Civitate fonte lustrali tincti fuissent, quorum inculpata deinceps vita tot spectatores habuisset, & testes, & suffragatores, quot cives, qui denique longo in minoribus ordinibus tyrocinio posito, jam merito suo totius Cleri magisterio præficiendi essent*. Quibus consentiens est, quod tradit Petrus de Marca de concord. lib. 8. c. 13. n. 1. qui cum præmisisset; *Vetus est & recepta in Ecclesia regula, Clericos post emerita plurium annorum in presbyterii, aut diaconii gradibus stipendia, ad suarum Ecclesiarum Episcopatus evehendos, nec Clericis extraneis neglecto proprio Clero eas dignitates conferendas*, addit, hanc formam deberi Canonibus Apostolorum, consuetudinique ab iis repetitæ: & ipse Baronius anno 341. *Porrò de hujusmodi Gregorii perperam facta in Episcopum Alexandrinum electione jure postea ad eos scribens conquestus est* Julius *Papa, cum inquit: Ubi enim est ejusmodi Ecclesiasticus Canon. &c. Hæc* Julius; *ex quibus antiquus mos eligendi Episcopos ex gremio Matricis Ecclesiæ referatur*. Ut præteream Salced. Gonzal. aliosque.

Antequam autem hinc discessero, illud juvat adtexere, eam Julii epistolam ab Athanasio transcriptam, qua nullum extare insignius, & illustrius monumentum ad probandam Summi Pontificis in universa Ecclesia auctoritatem, hujus maximi vindices Baronius, aliique clarissimi viri sunt arbitrati; Synodicam esse, a Concilio Romano tertio, quod sub eo celebratum fuit anno

342.

342. ad Eusebianos per ipsum perscriptam ut idem Athanasius in *apol.* testatur his verbis, ταῦτα τῆς ἐν Ῥωμῃ-συνόδου γραψάσης διὰ Ἰουλίου τοῦ ἐπισκόπου Ῥώμης; *Hæc cum Romæ Synodus per Julium Romanum Episcopum scripsisset*. Notum quippe est id olim observari solitum fuisse, ut quæ in Synodo definiebantur, solius Romani Pontificis literis, honoris causa, vulgarentur.

Cæterum illud admirationem habet, neque Julium, neque Athanasium mentionem fecisse consuetudinis, quam Divus Hieronymus in Epistola 85. ad Evagrium testatur viguisse in Ecclesia Alexandrina usque a temporibus Divi Marci, ut decedente Episcopo, Presbyteri Alexandrini unum ex semetipsis ex Ecclesiæ gremio eligerent, & in sublimiori throno locatum, Episcopum appellarent. *Nam, & Alexandriæ a Marco Evangelista usque ad Heraclam, & Dionysium Episcopos, Presbyteri semper unum ex se lectum in excelsiori gradu collocatum Episcopum nominabant*. Qui ut magis palam faceret, ex ipso Sacrario, ex ipso Clero Ecclesiæ fuisse semper exceptum Episcopum, duobus utitur exemplis, & exercitus qui aliquem ex commilitonibus Imperatorem salutet, comparatione ducta a prophana militia ad sacram; & Diaconorum, qui ex semetipsis aliquem Archidiaconum renunciant. *Quomodo, ait, si exercitus Imperatorem faciat, aut Diaconi eligant de se quem industrium noverint, & Archidiaconum vocent*. Quo ultimo exemplo satis innuit, quod in Episcopi electione servabatur, idem & in reliquis beneficiis, ac dignitatibus inferioribus fuisse servatum.

At verò cum hæc non specialis esset Alexandrinæ Ecclesiæ consuetudo, sed traditio Apostolica, quæ per universam pollebat Ecclesiam, quod & ipsemet Hieronymus præ se ferre videtur iis verbis: *Nec altera Romanæ Urbis Ecclesia, altera totius orbis existimanda est. Et Galliæ, & Britannia, & Africa, & Persis, & India, & omnes barbaræ nationes unum Christum adorant, unam observant regulam veritatis*: cumque quod ab Apostolis institutum fuerat, præsu-

mendum necessario esset, factum divino mandato, ut ad rem nostram asserit doctissimus Joannes Morinus de sacris ordinat. exercit. 3. de Episcop. cap. 3. *Quis enim* (inquit ille) *quod omnium Apostolorum consilio factum est expressæ anthoritati divinæ non imputabit? Hoc principium si semel quasses, vix erit aliquid in Sacramentis, ut cætera omittam, quod probari possit esse juris divini*; nullus erit admirationi locus si traditione magis Apostolorum, Dominique constitutione, quam Ecclesiæ Alexandrinæ consuetudine Julius, & Athanasius adversus factionem Eusebianam niterentur.

Utcumque hoc sit, Hieronymi testimonio magis magisque roboratur ex lege domini, & traditione Apostolorum dependere, ut Episcopi, & alii beneficiarii ex indigenis, & ex ipso Clero Civitatis accipiantur. Nam hujus instituti auctor fuit in eo Patriarchatu Divus Marcus, qui eam Ecclesiam fundavit, quique cum fuerit a Petro missus, ut Alexandrinus esset Episcopus, & vices suas per plures provincias gereret, eoque titulo ampliorem in tota Diœcesi Ægypti, aliisque finitimis provinciis potestatem exerceret, alioqui non erat cur Alexandrina Ecclesia inter alias a Petri discipulis etiam erectas tantum caput extolleret, ut probat præter Baronium aliosque, Hallier *de Hierarchia Ecclesiasticæ dotibus lib. 4. art. 3. §. 1.* quemadmodum ex Petri jussu illius Ecclesiæ fundamenta jecit, eamque ad Patriarchatum evexit; ita certum est ex ejus præscripto regulas quibus regeretur instituisse, ut censet idem Hallier *d. §. vers. hoc verò sensu*. Quare Divus Hieronymus in *epist. 58. ad Damasum*, & in *epistola ad Theophilium* ait, se maximo in pretio habere Romanæ Ecclesiæ communionem, & Alexandrinæ, quod eadem esset utriusque traditio: & Leo epist. 81. ad Dioscorum; *Cum Beatissimus Petrus Apostolorum a Domino acceperit Principatum, & Romana Ecclesia in ejus permaneat institutis, nefas est credere quod Sanctus discipulus ejus Marcus aliis regulis traditionum suarum decreta firmaverit, cum sine dubio de eodem fonte gratiæ unus Spiritus fuerit discipuli, & Magistri.* Nun-

Nunquam verò Alexandrinæ Ecclesiæ consuetudo tulit, ut quemadmodum illius Presbyteri è corpore suo Episcopum eligebant, ita possent χειροτονεῖν consecrare, aut posset ipse absque ulla inauguratione Episcopatus munia implere; quorum alterum ex Arabico Eutychii chronico deduxit Joannes Seldenus, cujus fragmentum ita latinè reddidit: *Constituit item Marcus Evangelista duodecim Presbyteros cum Anania, qui nempe manerent cum Patriarcha, adeo ut cum vacaret Patriarchatus eligerent unum è duodecim Presbyteris, cujus capiti reliqui undecim manus imponerent, eumque benedicerent, & Patriarcham crearent*: alterum quidam nimis a Hieronymi mente aberrantes eidem falso affingunt. Nam paucissimis in verbis multorum mendaciorum convincitur commentitium illud Eutychii ἀποσπασμάτιον ab eruditissimo Morino *de sacris ordinat. part. 3. exerc. 7. de presbyt. cap. 6.* Qui etiam ex Abrahami Excellēsis adnotationibus adjectis translationi Hebed Jesu auctoris Syri in interpretatione verborum Eutychii de industria cęcutiisse liventissimo, efferatoque in Romanam Cathedram odio, Seldenum demonstrat. Neque unquam Hieronymo in mentem venit absurdum illud, cujus eum insimulant, ut idem Morinus ostendit, præsertim cum ipse palam profiteatur ordinandi potestatem solius esse Episcopi.

Non est cur in his fabulis rejiciendis tempus conteramus, cum hoc onere nos liberaverint viri doctissimi. Cæterum & si de aliis inter scriptores lis sit, de hoc concertatio nulla: ex Clero Civitatis, ex Ecclesiæ gremio secundum institutionem Divi Marci Episcopum, & quibus aliæ dignitates, aut beneficia credenda essent, exceptos fuisse, quod ex Divo Hieronymo scripsere Alcuinus *de divinis officiis*, qui etiam agens de aliis dignitatibus inferioribus, ait, Archidiaconum *electione fratrum præponi*: Amalarius Treverensis Archiepiscopus *lib. 2. de officiis Ecclesiasticis c.* 13. ubi eadem pene verba usurpat, quod spectat ad electionem Archidiaconi, D. Anselmus *commentario in cap. 1. epist. ad Philipp.*

cap. 1. epist. ad Titum, Rabanus Maurus, Remigius Lugunensis, Hugo a S. Victore, Honorius Augustodunonensis,& Lombardus. Integra autem Hieronymi verba in suam collectionem retulit Gratianus *dist. 93. Can. legimus* 24.

Rationem attingit Liberatus *in breviario cap.* 20. cur statim defuncto Episcopo, & exequiis celebratis Clerus urbicus illico congregatus alium ex se delectum substituebat, qui vacuam repleret sedem, ne qua oriretur contentio, ne ambiendi daretur locus, cum quo convenit Epiphanius *hæres.* 69. qui hoc fieri consuevisse refert *pacis tuendæ causa*: & hac de causa evenisse, ut quamvis Alexander Patriarcha, dum fato cederet, à Clericis suis depopoſciſſet, ut Athanasium tunc diaconum in sui locum subrogarent, quia absens erat Athanasius, Achillæ Clerus Patriarchatum detulerit.

Sub eadem tempora, aut non longo intervallo dissita, ex Domini constitutione per Apostolorum traditionem in Ecclesiam disseminatam, Episcopos Donatistas, qui Romæ immorabantur coarguit S. Optatus Milevitanus *l. 2. de schismat. Donat.* quod non essent cives, sed peregrini, ex quo inferebat eos non canonicè fuisse electos, sed per dolum, ac factionem in Cathedras pervasisse: *Quid est quod pars vestra in Urbe Roma Episcopum civem habere non potuit? Quid est quod toti Afri, & peregrini in illa Civitate sibi successisse noscuntur? non apparet dolus? non factio, quæ mater est schismatis?* Quem locum eruditissimus Gabriel Albaspinæus ita explanat: *Episcopi olim debebant esse cives illius loci, in quo ordinabantur, ut eorum mores, ac vita à civibus quibus præficiebantur, & a quibus nominabantur, cognosceretur. At contra hanc disciplinam omnes Episcopi Donatistæ, qui erant Romæ, Africæ peregrini erant, quo manifestum fiebat eos non electos, sed factione obrepsisse.* Hujus criminis reum facit Parmenianum Donatistarum Priamatem Optatus, aitque *d. lib.* 2. ob suæ ordinationis vitium debuisse pudore suffundi, his verbis: *Ex quo si ordinationem tuam consideres, pos-*

sis

fis & erubescere, quibus non reprehendit, damnatve Parmenianum, quod rebaptizatus fuisset, & se rebaptizari permisisset, ut ad Sedem Carthaginensem eveheretur, quæ fuit prima conjectatio Albaspinæi, sed potius quia peregrinus, & ex Hispania in Africam translatus, dignitatem civibus debitam occupaverat: quam enucleationem amplectitur, ac priori præfert idem acutissimus Interpres, *nisi velis illi erubescendum fore ex illis verbis, circuitis maria, & Terras, ut faciatis unum proselytum, quia cum peregrinus esset, Donatistæ circumierant Terras, ut eum ex Hispania in Africam transportarent, cum hæc verba: nunquid nos autem aliquem adduximus Hispanum, & Gallum, aut nos ordinavimus ignorantibus peregrinum, hanc explicationem confirmare videantur*. Quo ultimo in loco verbo *ignorantibus* iterum notat Albaspinæus, peregrinum, & alibi natum Episcopum eligi non potuisse: *Peregrinus, & alibi natus non erat ordinandus Episcopus*, rationem hanc hujus effati reddens, *quia ejus mores non erant ignorandi a plebe, cui præficiebatur*.

Eodem sensu Optati verba accipit Christianus Lupus in loco antea laudato, qui ait a Sancto Optato Milevitano Episcopo hoc vitium fuisse obiectum Parmeniano Carthaginensi Donatistarum Primati, nempe cum esse ab Africana Ecclesia extraneum, & peregrinum.

Quocirca Florus Magister a Vualfrido Strabone valde laudatus in eo fragmento, quod edidit Papirius Massonus, & ex eo Baronius, in quo quidnam sentiret de modo electionum expressit: quod ad rem nostram attinet, ut nimirum ex ipso Clero Ecclesiæ electio facienda sit, hæc quatuor conjungit, dispositionem Divinę legis, traditionem Apostolicam, consentaneam sacrorum Canonum authoritatem, & consuetudinem Ecclesiasticam. *Manifestum est, inquit, omnibus, qui in Ecclesia Dei Sacerdotale officium administrant, quæ sunt illa, quæ in ordinatione Episcopali, & Sacrorum Canonum auctoritas, & consuetudo Ecclesiastica juxta dispositionem divinæ legis, & traditionem*

tionem

tionem Apostolicam jubeat observari: videlicet ut Pastore defuncto, & Sede vacante, unus de Clero Ecclesiæ, quem communis, & concors ejusdem Cleri, & totius plebis consensus elegerit, & publico Decreto celeriter, ac solemniter designaverit, legitimo Episcoporum numero consecratus locum decedentis Antistitis rite valeat obtinere; nec dubitetur Divino judicio, & dispositione firmatum, quod ab Ecclesia Dei, tam sancto ordine, & legitima observantia fuerit celebratum.

Cujus Authoris testimonium maximi ponderis est, & tale ut respui non possit, cum ejus fragmento utantur Baronius, & alii passim, qui ministrorum Ecclesiæ electionem adversus Principes in libertatem asseruerunt.

Sed & hanc antiquissimam Ecclesiæ observationem, quæ cives, atque indigenas in beneficiis aliis omnibus anteponit, ex jure Divino derivavit Divus Thomas 2.2.*qu.* 63.*art.*2. *ad* 4.*in fin.* hoc existimans apertè colligi ex *Deuteronomii cap.* 17. de qua re cum inter sanctissimos Viros conveniat, nemo poterit ambigere, nisi qui temeritatis, vel impietatis notam sibi inustam velit. Eandem sententiam tuentur Sotus *de Iustit. & Iure lib.* 3. *quæst.* 6. *art.* 2. *in respons. ad* 4. *pag.* 293. Salced. *in pract. cap.*54. *num.* 4. *ex d. cap.* 17. *Deuteronomii*, aliisque sacrarum literarum locis id deducens: Rebuff. *in prax. beneficiaria in regula, quod quis intelligat idioma glos.*1.*pag.*577. qui ex hoc infert, Regum Galliæ prærogativam, ut alienigenæ in suo Imperio ad beneficia non admittantur, cum foveatur a Jure Divino, & cum eo concurrat; non posse per Pontificias dispensationes auferri, aut imminui.

Cui adstipulatur Azeved. l.14. lib. 1. tit. 3. novæ recopil. n. 1. cujus verba placet subiicere. *Et videtur primo originem habuisse a Iure Divino, Deuter. enim 28. cap. & Hieremiæ 5. inter maledictiones numeratur illud, adducam super vos gentem, cujus ignorabitis linguam, & cujus lingua a Populo non intelligatur; inter maledictiones ergo reputatur habere hominem ex aliena gente, secundum Comes. prædicta ad hoc allegantem in regul.* 14. *Cancellariæ de idiomate q.* 1. *col.* 7. *&*

Re-

Rebuff. *in praxi benefic. in reg. quod quis intelligat idioma, glos.* 1. *pag.* 578. *ex eo inferens, quod privilegia Regum Franciæ, quibus cavetur ut in Regno suo nullus aliunde veniens, idest, alienigena, recipiatur, habent concursum cum Iure divino, ideo secundum eum per Papam tolli non debent*: & deinde, *imò Deus populum benedicens* 18. *Deuteronom. dicebat, Prophetam suscitabo de medio fratrum suorum, quò fit, ut sicut maledictio sit habere hominem alienigenam, ita benedictio habere Prophetam regnicolam, prout & refert ipse* Rebuff. *in d. pract. tit. de rescriptis mixtis n.*8. *pag.*577. Nec aliter existimarunt Barbos. *voto decisivo* 33. *lib.*2. *num.* 3. Valenz. *tom.* 2. *conf.*105. *n.* 90. *versic. immò etiam*, Spino in specul. Testamentorum 3. glos. principali n. 32. *Et meritò quidem: nam hæc prohibitio ne alienigenæ, & exteri Clerici admittantur ad beneficia omni Jure est constituta, jure quidem divino, constat Deuteronomii* 28. *cap. Hieremiæ cap.* 5. *ubi Dominus populo maledicens, inquit, adducam super vos gentes, quorum linguam ignorabitis, & sic jure Divino maledictio erat habere Sacerdotem alienigenam, & benedictio erat habere illum originarium*. Guilielm. de Benedict. in *cap. Raynut. verb. & Uxorem nomine Adelasiam num.* 482. *in fin. versic. quibus convenit Textus divinus*: Quintilian. Mandos. *in consil.* 55. *num.* 4. 5. *& seqq.* Mastrill. decis. 2. num. 14. ibi; *quod est fundatum non solum in Iure civili, & Canonico, sed etiam in Iure Divino*: ut mittam Schifordegherum *in vindiciis prò Episcopatu Silesiæ qu.* 4. ubi postquam dixisset ex Jure Canonico oriundos in beneficiis esse aliis omnibus præferendos, adjicit, *quod & Iuri divino consentaneum esse certo certius est, ut Deuteronomii cap.* 18. *scriptum est; Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis suscitabit tibi Dominus Deus tuus, ipsum audies, quinimmò inter Dei maledictiones recensetur habere hominem ex alia gente cap.* 28. *Deuteronomii*.

Quapropter Guilielm. Durand. *de modo celebran. Concil. rubr.* 43. ab alienigenis beneficia eis collata non posse retineri absque peccati labe affirmat, nec a criminis noxa, ac reatu illos excusari per dispensationes, quæ absque necessitate, aut utilitate censentur per

pre.

precum importunitatem , aut falsi suggestionem extortæ. *Posset etiam provideri de Ecclesiasticis beneficiis, quæ tenent multi alienigenæ & in alienis Regnis, quorum linguagia non intelligunt, nec habiles sunt ad curam exercendam in eis, nec in ipsis residere intendunt, nec etiam possunt, quæ utinam non teneantur cum periculo animarum ipsorum, qui se excusare nituntur obtentu diversarum dispensationum propter suam, vel suorum importunitatem, absque evidenti necessitate, vel utilitate obtentarum.*

Quæ ex Julio, Athanasio, ex Optato delibavimus, & ex Albaspinæi notis, nos admonent, ut conclusioni quam tutamur; nempe semotionem peregrinorum à beneficiis jure divino niti, Apostolicaque traditione, fidem magis, ac robur astruamus ex antiqua forma, quam in electionibus Episcoporum, aliorumque Sacerdotum, & ministrorum usurpabat Ecclesia. Sive enim electio fuit penes Clerum insolidum, itaut plebi solum testimonium, ac collaudatio relinqueretur, sive Cleri. & populi jus æquum, sive eligendi potestas solis Episcopis (quod nobis magis arridet) provinciæ competebat, qui in personæ delectu judicium, testimonium populi, & illius consensum exquirere tenebantur; quæ est opinionum varietas, in quas scriptores de hac re confligentes fuere distracti: illud apud omnes est exploratum, convocatis, ac præsentibus civibus electiones fieri solitas eorum testatione expectata, eorum assensu adhibito, ut ad Episcopatum, vel ad aliud Ecclesiasticum ministerium promovendus esset Civitati non ingratus, immò acceptus, ejus mores non essent ignorati, quique cum eo consuevissent, possent de iis testimonium perhibere: vitæ antiqua sociatio, eadem origo, eadem patria, mutuæ necessitudinis nexum inter eos conciliaret. Hoc autem deducit Cyprianus *epistol.* 68. ex sacris literis, in quibus Moyses jussus fuit Aarone stola pontificia exuto, illam Eleazaro superinduere coram omni Synagoga juxta Septuaginta interpretum translationem. *Coram omni Synagoga jubet Deus constitui Sacerdotem, idest instruit, & ostendit*

dit ordinationes Sacerdotales non nisi sub populi assistentis conscientia fieri oportere, ut plebe præsente, vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita prædicentur, & sit ordinatio justa ac legitima, quæ omnium suffragio, ac judicio fuerit examinata. Deducit etiam, arcessitque ex traditione divina, atque Apostolica; *Diligenter de traditione divina, & Apostolica observatione servandum est, & tenendum quod apud nos quoque, & ferè per universas provincias tenetur.* Populi verò interventum necessarium fuisse ex ea, quam expressimus causa, tradit idem Cyprianus: *Et Episcopus deligatur plebe præsente, quæ singulorum vitam plenissimè novit, & uniuscujusque actum de ejus conversatione prospexit*, & Origenes homilia sexta in Leviticum: *Ut sciant omnes, & certi sint, quia qui præstantior est ex omni populo, qui doctior, qui sanctior, qui in virtute eminentior, ille eligitur ad Sacerdotium, & hoc adstante populo, ne qua postmodum retractatio cuipiam, ne quis scrupulus resideret.* Profert illud Pauli: *oportet & illum testimonium habere ab his, qui foris sunt*, ubi argumentum a minori deducitur, ut notatur in scholiis *ex* Chrysostomo, *εἰ γὰρ ἀπὸ τῶν ἔξωθεν, πολλῷ μᾶλλον ἀπὸ τῶν ἀδελφῶν, Si enim ex iis qui foris sunt, quantò magis à fratribus*: quod includit, eum qui eligitur, esse ex numero *τῶν ἀδελφῶν*. Qua de causa Apostolus Timotheum, licet sibi satis cognitus esset, non Euangelistæ munere cohonestavit, nisi præcedentibus testimoniis eorum, quibuscum Lystris, & Iconii vixerat, *ὃς ἐμαρτυρεῖτο ὑπὸ τῶν ἐν λύστροις, καὶ ἰκονίῳ ἀδελφῶν*. Hinc Athanas. *ad orthod:* ea forma neglecta, ait non fieri electionem *κατὰ τὸ Παύλου ῥῆμα, secundum Pauli verbum*. Eundem morem servavit Alexander Severus in Rectoribus provinciis præponendis, si Lampridio fides.

Exempla proponit Cyprianus ex actis Apostolorum deprompta, non modo in Episcopis, & Sacerdotibus; sed etiam in Diaconis, & aliis Ecclesiæ ministris ordinandis: qui etiam epistol. 33. ait. *In ordinandis Clericis, fratres Charissimi, solemus vos antè consulere, & mores, ac merita singulorum communi voto ponderare.* Quod etiam de quibus-

buſcumque Clericis habetur Concilii Carthaginenſ. tertii *Can.* 22. & quarti *Can.* 22.

Nec moribus hodiernis ille populi conſenſus penitus antiquatus eſt, qui ſi non in anteceſſum expoſcitur, ſubſequitur tamen tacite, dum Epiſcopi, aut alii ad ſacra miniſteria ſublati, a populis non reluctantibus ſuſcipiuntur, ut optimè Petrus Nicolius in libello Gallicè conſcripto de unitate Eccleſiæ. Quod & olim uſuveniſſe comperimus Euphronio in Epiſcopali Sede Nicopoleos conſtituto a Baſilio, poſt cujus ſuffectionem, ut ex *epiſt.* 194. hortatus fuit Senatum urbis, ut Epiſcopum reciperet: ἐὰν κατηξιώσηται ἐνθύμως παραδέχεσθαι τὸ δεδομένον ὑμῖν ἐπίσκοπον, licet illum antea Senatus approbaſſet: ἄξιον εἶναι τὸν ἀναφέντα, καὶ ὑμεῖς ἐδοκιμάσατε, καὶ ἡμεῖς συνεθέμεθα, *vos probaſtis dignum eſſe, & nos conſenſimus.*

Nimirum Epiſcopi, aut alii Sacerdotia obeuntes, debent eſſe noti populis, acceptiq; ut quorum mores compertos habeant, quos ſcientes innocuè, ac inculpatè ætatem tranſegiſſe, revereantur, ac ſuſpiciant; quos commune natale ſolum, familiaritas, convictus, arcto amoris, ac benevolentiæ vinculo iis conjungat, quibus certi de probitate poſſint ſe, ſuoſque committere, quod evenire non poteſt in alienigenis. Etenim ut ait Athanaſius ἀγαπᾶν δὲ ὃν οὐ βούλονται, καὶ πιστεύειν ἑαυτῶν τὰ τέκνα, οὗ τὸν βίον, καὶ τὴν ἀναστροφὴν, καὶ τίς ἐστιν οὐ γινώσκουσιν: *nolunt amare, aut liberos credere ei, cuius vitam, converſationemque, & quis denique ſit ignorant.* Quod ad omnes Clericos, & beneficiarios porrigendum eſſe, apertiſſimum eſt ex Concil. Eliberitani *Can.* 20. quo fibulam impoſuit Epiſcopis, ne poſſent in Clerum cooptare, qui baptiſmum ſuſceperant in alienis provinciis, ea ratione, quod horum vita non eſſet iis perſpecta, ac cognita: *omnes qui peregrè fuerint baptizati, eò quod eorum minimè ſit cognita vita, placuit ad Clerum non eſſe promovendos in alienis provinciis.* Et hoc ſibi volebat Paulinus, adverſus ſuam ordinationem excipiens a Delphino Burdigalæ tinctum, quaſi hac de cauſa non potuiſſet Barcinonæ a furente plebe ad presbyteratum rapi. In-

Inter causas ob quas Ecclesia prohibet tam districtè translationes Episcoporum, ne dirimatur spiritale conjugium, hæc postremum locum non habet; quia meliùs pastor præsidet iis, quorum per longam consuetudinem animos sibi devinxit, quorum amorem beneficiis in se provocavit, mores, ac infirmitates, quibus medeatur novit: quæ in eo qui in sede est novitius non possunt contingere. Hæc autem omnia, quantum ad beneficiariorum qualitates spectat, profluunt ex jure divino, ex Apostolica traditione, ex Apostolorum institutis.

Et ut magis evidens sit naturam ipsam, lumen rationis, ac legem Divinam in animis nostris a natura insitam, atque innatam; legem Mosaicam, Christi institutionem, & tabulas novi testamenti, dictare, ut in beneficiis obtinendis indigenæ externis antistent; libet addere, eam regulam, ut è gremio Cleri urbani constantis ex flore Civium delibato, quemadmodum ait Thomasinus, deligantur qui Sacerdotiis, & dignitatibus ecclesiasticis donandi sunt, cum aliis rationibus fundari, tum ea, & quidem maxima educta ex Cœlestini decreto inferiùs subnotando, quam ejusdem Thomasini *de benef. part. 2. lib. 3. cap. 35. num. 3.* verbis utpote appositis, ac elegantibus proponimus: *Quia ipsorum est fructus demetere agri, quem excoluere; in eumque irruere non possunt, qui sudoris, & operæ nihil contulere, nisi per summum dedecus: æquum est ad celsiores honorum, & cœlestis militiæ gradus evehi, qui in inferioribus stipendia fecere, virtutibus, laboribusque illustria; ita Clericis urbanis jus est eos propulsandi, qui justissimam spem suam, & mercedem intercipere moliuntur, & proprijs ipsorum suffragijs ipsos deprimere, & dehonestare.*

Eidem rationi superstruitur illa canonum interdictio, ne quorum in Ecclesia non præcessit tyrocinium, ne qui recens sacræ militiæ sunt auctorati, beneficia, & Ecclesiasticas dignitates aucupentur, in sacros ordines, in ipsum Episcopatus fastigium protrudantur. Sunt hæc duo inter se cognatissima, proscriptio extranei, sive alienigenæ, & neophyti, aut qui novè Clero nomen

dedit; adeo ut Thomasinus de causis irregularitatum a beneficiis excludentium edisserens, has duas tanquam inter se nihil diffitas, non sine maxima ratione consociaverit *lib.1.par.2.cap.86.* Etsi, aiebat, Nicolaus Primus scribens ad Photium Constantinopolitanæ Cathedræ invasorem (de qua re & infra suo loco redibit sermo) divina eloquia veteris, ac novi testamenti, Patrum, & Conciliorum auctoritas, sacrorum Canonum constituta, non abominarentur eorum aviditatem, qui extrinsecùs advenientes in Ecclesiastica beneficia irrepunt: nonne ipsa naturæ lex, cordibus nostris indita, ipsa lex sempiterna nostris pectoribus insculpta clamat, præposterum esse, iniquissimum, ut eis, qui in Ecclesia meruerunt, dimicarunt, suorum laborum præmium, ac mercedem suffurentur adventitii homines, & de iis opima spolia trahant, qui Ecclesiæ diù cum ministrassent inferiorum graduum spatia emensi, majorum dignitatum justissima spe alebantur? Nonne eadem æterna, eadem naturæ lex in reconditis animorum penetralibus vociferatur, ne alium lædat, qui se læsum molestè ferret, ne in alium quis admittat, quod in se admissum nollet; ei te obsequentem, dicto audientem non præstes? *Hanc legem,* ait Sanctissimus Pontifex epist.11. *sibi datam, si volumen cordis tui conscientia scrutata fuerit, procul dubio non negabit: ibi quippe scriptum reperies lege naturæ dicente, a nemine velle lædi, a nemine velle tua prorsus auferri. Quapropter aptè præcipitur, quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris. Quid enim decreta Sedis Apostolicæ dicunt, nisi quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris? quando præcipiunt ne subito factus Clericus, Clericis dominetur, qui per singula stipendia militaverunt, & omnem in Dominicis Castris ætatem egerunt: quando præcipiunt, ne quilibet saltu præpropero in alienum honorem ambiat immoderata cupiditate transcendere, vel pro suo libitu jura studeat aliena pervadere.*

Nempe alludit Summus Pontifex ad id, quod scripserat David psal.4. 6. & 7. *Multi dicunt quis ostendit nobis bona? signatum est super nos lumen vultus tui Domine. Cum enim*

gen-

gentes, quæ legem non habent (ut ait Apostolus) *naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt: ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, & inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus.* Ex quibus locis Claudius de la Place de singular. benef. cap. 3. §. 1. inquit: *Hujusmodi jura per Divinam providentiam constituta esse in corde, & mente hominis, velut in quibusdam vivis tabulis ad imaginem Dei creatis.*

Ex his Nicolai Papæ verbis elicit Thomass. par. 2. lib. 1. cap. 86. n. 4. rationes extraneos a beneficiis proturbantes, quod inhumanum sit, ac durissimum, ut ex eo, quod unus consevit, alter messem colligat; rivos esse legis sempiternæ, & incommutabilis. *Quæ Nicolai Papæ doctrina altissimè sanè infigenda animis est, ut persuasissimum sit omnibus, Canonicas leges non in arbitrariis haberi debere constitutionibus; sed hos esse rivulos veluti quosdam sempiternæ, & incommutabilis illius legis, quæ justitia, quæ charitas, quæ Deus ipse est; ex qua & leges omnes promanant humanæ, & temporariæ.*

Pergit Nicolaus Pontifex in eadem epistola; & in abigendos extraneos a Sacerdotiis, felicissimo fœdere connectit legem naturalem, legem gratiæ, legem Mosaicam. Refutabat Photius Apostolicæ Sedis instituta, quod ea non recepisset. An respuere potes, ingeminat, Nicolaus, jus naturale, legem gratiæ, jus Mosaicum, a quibus Romanorum Pontificum decreta non diffident, cum quibus mutuo nexu vinciuntur? *Igitur cum ea, quæ Sedis Apostolicæ Præsules instituerunt, in literis sacris invenias, imo verò in temetipso jugi perseverantia relegas, noli, quia decreta ipsorum non susceperis, amplius asseverare; cum ipsi nibil, nisi quod naturalis, quod Mosaica; necnon & gratiæ lex jussit, instituant.* Atque in hoc immutabilium legum consensu de jure naturæ jam vidimus. Huic conglutinat Nicolaus legem gratiæ, intelligens de Christi doctrina, Lucæ 10. 7. *Dignus est enim operarius cibo suo; dignus est enim operarius mercede sua.* *Cujus ordinationis* (ait Claudius de la Place de singul. benef. cap. 3. §. 3. arg. 2.) *sanctio-*

ctionisque divinæ, justitia, atque æquitas tanta est, ut ex jure ipso natura deprompta sit; ideoque simul utriusque juris esse legem, nemo dubitet, naturalis, & divini. Ex quo Servatoris nostri documento, eam præceptionem ne extraneis Sacerdotia, ac dignitates pateant, esse juris Divini, definitum fuit ab octava Synodo Oecumenica, cujus canon 13. ei fundamento fuit superimpositus: hujus verba integra infra opportuniori loco adscribemus. Satis est nunc ejus initium indicasse: *Quoniam dicit quidem alicubi Divinum eloquium; dignus est operarius mercede sua: huius rei gratia & nos decernimus, &c.* Quod nemo in dubium revocaverit, qui canonem cum Synodicis Nicolai literis contulerit.

Addit Summus Pontifex confirmationem quoque legis Mosaicæ, sive divinæ veteris testamenti, ut ego quidem arbitror ex Apostolo, qui 1.Cor.9.7.8. cum ex jure naturæ dixisset: *quis militat suis stipendijs unquam? quis plantavit vineam, & de fructu eius non edit? quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat?* vehementius intorquet argumentum ex lege Moysis; cujus verba, quoniam obvia sunt, ac protrita, in medium proferre supersedeo.

Quæ omnia etsi non succurrerint Doctoribus, tamen ultro fassi sunt ex jure naturali esse beneficia peregrinis impervia. Quod expressissimè scripserunt Mandosius *in reg. Cancell.* 16. *de concurs. super benef. q.* 32. Salced. *de leg. polit. lib.* 2. *cap.* 15. *n.* 14. Solorzan. *de iur. indiar. lib.* 3. *cap.* 19. *n.* 8. & expressissimis verbis pronunciat *d. l.* 19. *novi ordin.* (utimur libentissimè testimonio harum legum cum a Castellæ Regibus ex consilio Procerum, atque Antistitum, & hominum literis, ac sacris studiis maxime excultorum, conditæ fuerint) *conosciendo quanto es fundada sobre buena ygualdad, y razon natural.*

Possem huc advocare complures ex iis rationibus, ex quibus confecimus in antecedenti dissertatione, onus residendi Beneficiariis impositum, adscribendum esse juri divino, & naturali; ut eam, ex qua illud ad jus naturale reducunt. Sot. *lib.* 10. *q.* 3. *art.* 2. & Salced. *de leg. polit. lib.* 2. *cap.* 16. *n.* 18. quod nimirum ipsa naturalis ratio

ratio insinuet, ut qui onera sentiunt, commodis fruantur: & è contrario oneribus subjaceant, qui emolumenta percipiunt, aliasque utrique argumento promiscuè famulantes. Sed actum agere pudet, pigetque. Possem idem confovere rationibus erutis ex ordine charitatis, qui secundum naturam est, & secundum æternam legem; sed hoc in aptiorem locum reiicimus.

Apostolicæ traditionis cunabula indicavimus. Invalescentem viribus, robustamque, in ea inter Athanasium, & Eusebianos pugna jam vidimus. Quam magnos progressus habuerit post Concilii Romani Tertii sub Julio I. definitionem toto orbe celeberrimam, age nunc inspiciamus. Translationem Divi Gregorii Nazianzeni ex Ecclesia Sasimorum in Sedem Constantinopolitanam Ægyptii Episcopi, aliique non tam impugnabant, ac proscindebant, quod suæ sponsæ repudium misisset, quam quia erat extraneus, & peregrinus, ut refert Socrates lib. 5. cap. 7. *Γρηγόριος μὲν οὖν ἀνὴρ ἐλλόγιμος, καὶ εὐλαβείᾳ τοὺς καθ' ἑαυτὸν ὑπερβάλλων γνοὺς διαγογγύζοντας τινάς, ὡς εἴη ὑπερόριος, ἀσμένως τὴν τοῦ Βασιλέως παρουσίαν δεξάμενος, τὴν ἐν Κωνσταντίνου πόλει διατριβὴν παρῃτήσατο.* Quæ verba ita vertit Joannes Christophorsonus, suffragante etiam Suffrido Petri. *Gregorius vir illustris, & homines ætate conjunctos pietate facilè superans, cum intelligeret quosdam ipsi obstrepere, quod homo exterus, & peregrinus esset, lætus admodum de Imperatoris adventu, Constantinopoli amplius ætatem degere recusavit.* Qui cap. 8. addit hac de causa Episcopatu se sponte abdicasse, ac Nazianzum fuisse profectum.

Quamvis autem magnus vir Franciscus Florens *de translat. Episc. vel Electi* interpretem perstringat, quem ait, vim verborum Socratis *ὡς εἴη ὑπερόριος* non tenuisse, eaque ita reddenda: *quod fines diœceseos suæ transiliisset* Gregorius translatus Sasimis Constantinopolim; addens Tripartitam historiam etiam falli in illa dictione *ὑπερόριος*: attamen reprobatam fuisse Gregorii electionem, vel quia non natus Constantinopoli, & ab ea Ecclesia extraneus, vel quia fines suæ diœceseos transgressus fuisset, hoc est,

esset

esset alterius diœcesis, quasi ex eadem, facta translatione nihil ei vitii objici potuisset, nobis perinde est: quamvis alioquin insolitum non sit apud Auctores ὑπερόριον pro extero accipi, ut apud Synesium epist. 4. οἷς τισι συμβόλαιον γέγονε πρὸς ἄνθρωπον ὑπερόριον: & pro peregrino, insolitato, eademque notione, qua ξένον, ut in hoc loco, τὸ τῶ ἀέρων ἀήθες καὶ ὑπερόριον: in quo Suidas exponit παρηλλαγμένον, καὶ πάντη ἀλλότριον. Ut propterea non malè idem Interpres lib. 5. Socratis cap. 8. quem ait Florens vim dictionis satis exprimere, ταῖς ὑπερορίαις ἐκκλησίαις, transferat, exteris *Ecclesiis*, & Sozomeni 7. cap. 9. ταῖς ὑπερορίαις (ἐκκλησίαις) ἐπιβαίνειν, *extraneas Ecclesias invadere*, quæ ibi opponuntur ταῖς ἰδίαις *propriis*.

Huc tendere videntur, si nos conjectura non fallit, ipsius Beati Gregorii verba *in oratione de seipso, & ad eos, &c.* quibus cum eis, qui ipsum Cathedram Constantinopolitanam affectare dicebant, & hoc nomine ei obtrectabant, ac conviciabantur, ità se purgat: ἀληθευσάτωσαν δ' καὶ τινες περὶ ἡμῶν, ὅτι γυναικὸς ἀλλοτρίας ἐπιθυμήσαμεν, οἱ μηδὲ ἰδίαν ἔχειν θελήσαντες, *in gratiam cum veritate redeant, qui me alienæ uxoris cupiditate flagrare dicunt, qui ne propriam quidem habere voluerim.* Cum enim nō posset dici Ecclesia Constantinopolitana aliena uxor, quod alteri conjungeretur, quippe quæ tunc esset vidua; verosimile est Beatissimum virum eam ἀλλοτρίαν vocasse, quia ipse ab ea erat extraneus, quam propterea ait gubernasse tanquam tutorem quendam, aut curatorem ad alium sponsam deducturum, ut ex iis verbis; οἷον τινες ἐπίτροποι, καὶ κηδεμόνες ἄλλῳ νυμφαγωγήσοντες, ad alium nempe, qui esset ex indigenis, & in ea Ecclesia sacræ militiæ adscriptus.

Nec aliò respexit Damasus Papa in epist. ad Acholium, & alios Episcopos Orientales data (qui ob dissensiones inter Meletium, & Timotheum, inter Episcopos Gregorio faventes, & Ægyptios, a quibus Maximus Cynicus ordinatus fuerat, Constantinopolim ab Imperatore ad habendum Concilium accersiti, de hac re judicium Apostolicæ Sedis exploraverant) iis verbis, quibus cum infe-

ctatus

ctatus jam fuisset Maximi ordinationem, reprobasset quoque eorum consilium, qui Gregorio adhærebant, suadet eis, ut in Concilio hac de causa Constantinopolim cogendo, Episcopum eligant, qui omni reprehensione liber existat; præsertim verò caveant, ne ad vacantem sedem aliquem ex alia Ecclesia transferant, contra majorum statuta, hac reddita ratione: *Tunc enim contentiones oriuntur, tunc schismata graviora occipiunt, cum & illi, qui amiserint Sacerdotem, sine dolore animi esse non possunt, & illi qui alterius Civitatis acceperint Episcopum, etiamsi gaudeant, invidiosum sibi intelligunt fore, sub alieno se agere Sacerdote.* Quæ nostra conjectura si vera est, non alia fuit sententia Concilii Italiæ in ejus epistola ad Theodosium in appendice Cod. Theodos. pag. 104. *quia re vera advertebamus, Gregorium nequaquam secundum traditionem Patrum, Constantinopolitanæ Ecclesiæ sibi Sacerdotium vindicare.*

Quam Romanæ Sedis sententiam tantoperè asservandam existimarunt Concilii Patres, ut cum Ecclesiæ Constantinopolitanæ Clerici, ac Presbyteri omnes pene Arriana peste contaminati forent, satius duxerint vacantem Cathedram perviam facere Nectario, qui licet ex indigenis, erat tamen Neophytus; quam extraneo, cujus doctrina, ac sanctitas ad debellandam hæresim maximè conductura, læsionem canonum, si quam secum tulisset forsitan peregrini ad Episcopatum evectio, planè excusare potuisset. Quod Concilium VIII. Constantinopolitanum ei præeunte Summo Pontifice Nicolao Primo suis epistolis, adprobavit; Nectarii electionem Canonicam fuisse declarans, quia in antedicta Ecclesia, ejusque Clero non erat, quem Arrii contagio non infecisset.

Et sane, si verum amamus, ea Divi Gregorii promotio ad Sedem Constantinopolitanam, translatio dici non poterat sacris canonibus contraria. Etenim Nazianzi nunquam fuit Episcopus, sed tantum Patri tanquam adjutor operam suam commodavit, ut ut hac in re decepti fuerint Socrates, & Hieronymus *de scriptoribus Ecclesiasticis,*

quorum errorem expugnavit Baronius *tom.4. annal. anno 371. num. 106. & 107.* Sasimorum verò, licet diu reluctatus, ac invitus ordinatus fuerit Episcopus à Beato Basilio, ut illum veluti arcem quandam opponeret Anthimo Tianensi Episcopo, cum quo ei perpetua erant jurgia ob divulsam in duas partes Cappadociam, novo Episcopatu erecto, in exiguo vico, inaccesso, prærupto, & ad furta tantum, ac insidias apto: nihilominus illius ingressu adeò ab Anthimo prohibitus fuit, ut nec oblationem, nec ordinationem, nec quicquam aliud eorum, quæ ad Episcopale officium pertinent, peragere potuerit. Quibus legitimis, ac justissimis de causis cum ei renunciasset, ut ex ejus epistolis, carminibus, & orationibus ad patrem, ad Gregor. Nyssen. & apologet. 3. secessit in Eremum; donec à patre senio confecto Nazianzum fuit evocatus, ut ei suppetias ferret. Quare cum ad Cathedram Constantinopolitanam administrandam accessit, non poterat dici Episcopus Sasimorum, cui muneri jam cesserat, ut perspicuum est ex ejus verbis antea relatis, & jure cessisse confirmat Thomasin. *de benef. part. 2. lib. 2. cap. 50. num. 5. & seqq.* Præterquam quod Concilii Antiocheni *cap. 16. & 18.* institutus Antistes à populo non receptus, cui fuerat præpositus; poterat in alia Civitate Episcopus fieri. Nec in Oriente tam invisæ erant translationes, ut in Ecclesia Occidentali, affirmante Socrate *lib. 7. cap. 35.* præsertim cum, ut diximus; si qua canonum injuria in ea electione intercessisset, satis eam eluere poterat Ecclesiæ utilitas, immò necessitas, ob quam frequens erat in Oriente translationes admitti, si fides Socrati adhibenda. Quam necessaria autem esset in ea illius Ecclesiæ infelicitate tantum habere Pastorem, cujusmodi erat Gregorius, experimento cognitum fuerat: siquidem eam hic susceperat, cum interitus periculo laboraret, ut ait Sozomenus *lib. 7. cap. 7.* ἣν παρέλαβε μηκέτι εἶναι κινδυνεύουσαν, & ob quam tot periculis se objecit, tot labores sustulit πρὸς τὰς αἱρέσεις ξυγομαχῶν, *dum cominus pugnaret cum sectis*, ut ait idem Sozomenus: &

ta-

tamen licet de ea optimè meritus fuisset, licet in ejusdem Ecclesiæ Clero nemo adesset, qui Episcopatus insulis posset ornari: hoc enim sensu capio ea Sozomeni verba: *καίτοιγε τὸ λυπεῖν οὐδὲν ἦν, μηδενὸς ὄντος μένειν αὐτὸν Κωνσταντίνου Πόλεως ἐπίσκοπον*: *Atqui dolere nulli poterat, nemine existente, manere illum Constantinopolis Episcopum* (quo loco tamen interpres perperam vertit *manere Episcopum, qui alius tum non erat*) quibus satis innuit, si alius in ea Ecclesia fuisset Arriana hæresi impollutus, omnem ad eam aditum Gregorio fuisse intercludendum; licet etiam, ut idem subdit, Nazianzi alius fuisset creatus jam Antistes, Synodus tamen ejus abdicationem ratam habuit, ne patrias leges, & Ecclesiasticam disciplinam violaret: *ἀλλ' ὅμως ἡ σύνοδος, καὶ τοὺς πατρίους νόμους, καὶ τὴν ἐκκλησιαστικὴν τάξιν φυλάττουσα, ὃ δέδωκε, παρ' ἑκόντος ἀπείληφε, μηδὲν αἰδεσθεῖσα τῶν τοῦ ἀνδρὸς πλεονεκτημάτων*, *nihilominus Synodus, & patrias leges, & Ecclesiasticam ordinationem observans, quod dederat a volente recepit, nihil reverita tanti viri prærogativam*. Quibus in verbis putamus Sozomenum sensisse de patriis legibus, & Ecclesiastica disciplina, extraneis, ac peregrinis infensissimis: quam potiorem rationem apud Patres fuisse, ut in eam deliberationem convenirent, credendum est; ut ut aliquis etiam ad eam ex vetita translatione ductam, debilem, immò infirmissimam, ex his quæ diximus, respicere potuerit. Præsertim cum Epiphanius, & Cassianus *histor. tripart. lib. 9. cap. 9.* Socratem exprimentes, affirment Gregorium abscedendi a Regia urbe consilium cepisse, cum agnosceret *aliquos murmurare; quod esset ex alia Civitate*. Quod Concilii decretum antequam demisero, illud non subticebo, Sozomenum d.lib.c.9. dum Maximi causam omnium anteà opinione convictam, in ea Synodo damnatam narrat, meminisse eum fuisse Alexandrinum natione *αὐτὸν γὰρ Ἀλεξανδρέα τὸ γένος ὄντα*: quasi hęc fuerit una ex causis, cur ejus electionem Patres rejecerint, quia erat ille peregrinus.

In eo Sanctissimo Conventu, quo Illyrici Episcopi in unum coeuntes, Arrianam hæresim ab Ecclesia exter-

minarunt; simul & electionum formam præscripserunt: quam in literis datis ad Diœceseos Asianæ, Phrygiæ, aliarumque Orientis Antistites, quibus testationem eam faciebant: filium esse patri ὁμοούσιον, inspergere iis libuit. Quasi disciplinæ custodia, præcipuè in electionum materia, non minus in Ecclesia haberet ponderis, ac momenti, quam veræ, & sinceræ fidei confessio. Regula ab ipsis generaliter statuta fuit auctore Theodorito *lib. 4. cap.* 8. ut prius in Episcoporum cœtum cooptarentur, qui spectatæ, & probatæ fidei Episcopatu anteà functi, per bellorum furorem, aut hostium irruptiones, suis sedibus pulsi fuerant, aut alio infortunio iis ceciderant: quibus non existentibus, extraherentur e gremio Ecclesiæ, & ex ejus Presbyteris: εἰ δὲ μὴ ἐξ αὐτοῦ τοῦ πρεσβυτερίου. Idem custodiri deberet in aliis Ministris creandis, ut nempe ex Clero eorum delectus fieret: ὁμοίως τε καὶ πρεσβυτέρους, καὶ διακόνους ἐξ αὐτοῦ τοῦ ἱερατικοῦ τάγματος, ἵνα ὦσιν ἀνεπίληπτοι πανταχόθεν, *ad eundem modum tum Presbyteri, tum Diaconi de ordine sacerdotali sumantur, ut omni ex parte inculpati sint.*

Non posse peregrinis beneficia committi jam olim judicavit Zosimus: qui in *epistola* 3. Erotem, & Lazarum non potuisse, eo quod essent ignoti, & alienigenæ, Sacerdotia vindicare, pro constantissimo ponit: propterea contra eos alterum Arelatensis, alterum Aquensis Cathedræ incubatores, eorumque ordinationem, tanquam Sacris Canonibus obviantem, populum reclamasse: ejus intercessionis causam fuisse, quod externi homines, quorum non perspexerat mores, in eas sedes involare non potuissent: quamquam ea spe, quam animo devoraverant, se dejici, injustam prædam suis è manibus excuti ægerrimè paterentur, tandem ipsos sua se sententia damnasse, ea deposita dignitate, in quam nullo jure irruperant: idem definitione Sedis Apostolicæ adprobatum fuisse. *Patuit hos* (ita fatetur Zosimus) *inobservatis ordinationibus plebe, Cleroque contradicente, ignotos, alienigenas intra Gallias Sacerdotia vindicasse, quibus se ipsi propria abdicavere sententia, nosque licet & alia, tum eorum de*

de se pœnitudinem secuti, Sacerdotali eos loco, & omni communione submovimus.

Constantini potentiâ, qui in Galliis imperium occuparat adjutum fuisse Lazarum, ut alienigenam se in præcepta Sede tueretur, quo ad ille vixit sub ejus umbra delituisse, ejus Sacerdotium, sive potius Sacerdotii larvam simul cum usurpata tyrannide concidisse, testatur idem Zosimus *epist.* 4. in qua præfatus, Lazarum in Taurinensi Concilio, uti falsorum criminum delatorem, fuisse à Proculo rejectum, prosequitur: *a quo tamen post multos annos Sacerdos tyrannici judicii defensor Civitatis Aquensis, &c. stetitque in eo hactenus umbra Sacerdotii, donec tyranni imago staret imperii, quo loco post internecionem patroni sponte se exuit, & propria cessione damnavit.* Nam Constantinus, quem Lazari patronum Zosimus appellat, triennio postquam ab Honorio rebellaverat, Galliasq; illius ab ditione subduxerat, ab huius copiarum Duce Constantio necatus, & ipsius caput conto Ravennam delatum fuit, ut refert Idatius *in Chronico, & in fastis*: qua calamitate perculsus, celsosque demittens animos, Aquensis Ecclesiæ administrationem dimisit Lazarus, ne ob arctam necessitudinem, quæ inter se, ac tyrannum intercesserat, quid acerbius Honorius in eum decerneret. Quam voluntariam dignitatis abrogationem paulò post Erotis abdicatio, sive detrusio est subsecuta popularium odio, ac ira in se concitatis, quod tyrannum, ut Sozomenus narrat *lib.* 9. *cap.* 15. cum ei Arelate undequaque obsesso, omnis evadendi via intercepta esset, Presbyterum ordinasset.

Et quamquam Illustrissimus Baronius ad annum 412. Erotis, ac Lazari causæ patrocinium susceperit scribens: *Constantius dum adversus Sanctos Episcopos aggressus est inire certamen, expertus est pariter Deum ad postremum suis conatibus adversarium.* Et ad annum 417. pag. 402. *De Lazaro remansit obscura memoria, sed ex Erote Lazarum disce; quos enim calumnia par involuit, eosdem decorasse æqualem virtutem putandum, &c.* Ejus tamen opinamentum confutat Eminentissimus Henricus de Noris *hist. Pelagiana lib.* 1. *cap.*

cap. 12. uti contrarium Apostolicæ Sedis sententiæ, quæ tanquam ignotos, ac alienigenas illos Episcopatibus depulit justissimè: *Quæ quidem mihi non probantur; cum non Constantii jussu, sed populari tumultu Eros Arelate ejectus fuerit, quod populi factum Apostolicam etiam Sedem ratum habuisse ex Zosimi laudata epistola colligitur. Sed neque Constantius post Erotis depositionem quicquam malè ultore Numine passus est, immò ob egregiè contra Tyrannos navatam operam, Placidiam Honorij sororem in uxorem obtinuit, ac quinquennio elapso in Imperij consortium assumptus fuit, ut cap.19. dicemus.*

Adeò autem Erotis, & Lazari ordinationem utpotè extraneorum improbavit Zosimus, ut cum illi se Apostolicæ Sedis judicio ab Episcopatu remotos agnoscentes, terris peragratis, mari trajecto, longis itineribus confectis, illustrium Catholici orbis Antistitum auxilium frustra advocassent; eos ita increpet Summus Pontifex: *Ubi de Episcopatu abdicando agitur, maria, terraque lustrantur, nec ulla suffragia prætermittunt, &c.* Quorum conatus reprehendit etiam Eminentiss. de Noris loc. cit. *Athanasius, Chrysostomus, aliique plurimi ab Episcopatu depositi Apostolicæ Sedis, ac primos Occidentis Metropolitas in subsidium contra adversantes Episcopos implorarunt. At a Pontificis Romani decreto ad alios Antistites appellare non licuit.* Et cum Lazarus in Gallias regressus anno 417. a Proculo Massiliensi, cui adhærebat, postquam in jura Proculi Arelatensis insiliisset, in consecratione Ursi, ac Tuentii tanquam unus è tribus Episcopis ex vetusta Ecclesiæ institutione ob eam perficiendam necessariis, fuisset adhibitus, statim ac id Zosimus rescivit, datis ad Africæ, Galliæ, & Hispaniæ Antistites literis, Proculum gravissimè excepit, non modò quod alienæ Diœcesis Episcopos instituisset; verum etiam quod fuisset Lazarus in consortium illicitæ ordinationis adscitus.

Quin autem Eros, & Lazarus peregrini fuerint illarum Ecclesiarum, in quas impetum fecere, in dubium adduci non potest. Eros quidem S. Martini Turonensis Episcopi discipulus fuit, ut ait Cardinalis Norisius, qui etiam

La-

Lazarum Turonensis Ecclesiæ fuisse presbyterum ex eo arbitratur, quod in Taurinensi Synodo Britium Turonensem, plurium criminũ reum detulerit. Et quamquam in actis Synodi Taurinensis nullum hodie Britianæ istius accusationis sit vestigium; attamen rectè ait Jacobus Sirmondus in notis posthumis ad epistolas Zosimi impressis tom. 2. concil. fol. 1816. *nullam ibi fuisse non dixerim*. Quomodo enim aliud suspicari potuisset, cum toties Zosimus hoc repetat in Epistolis, quarum certissima fides, non solum quia illas publicarunt Baronius, Binius, Labbæus, easque ut genuinas Zosimi agnoscunt omnes scriptores historiæ Pelagianæ; sed etiam quia præter has nullæ aliæ epistolæ existunt Zosimi, in quibus libellum Cœlestii catholicum dixerit, sicuti eum dixisse narrat Augustinus lib. 2. contra epistolas Pelagianorum cap. 3. aut Africanos damnarit, qui illum damnassent; quod eidem Pontifici tribuit Facundus Hermianensis lib. 7. de tribus Capitulis ad Justinianum.

Ingratum, ac invisum Deo alienigenis Sacerdotia committi, ejusque præceptum esse, ut indigenis addicantur, professus fuit Bonifacius Primus in Perigenis translatione valde in historia Ecclesiastica nobili, de qua Socrates lib. 7. cap. 35. *Perigenes Ecclesiæ Patrensis designatus fuit Episcopus, quem ubi populus illius urbis ipsum repudiaverat,* ὁ τῆς Ῥώμης ἐπίσκοπος ἐκέλευσεν αὐτὸν ἐνθρονισθῆναι ἐν Κορίνθῳ τῇ μητροπόλει, τοῦ ἐκεῖ ἐπισκόπου τελευτήσαντος, *Episcopus Romanus mandavit, ut Episcopo Corinthi Metropolis jam mortuo, in Sede Episcopali illius urbis collocaretur*. Adeundus & Nicephorus Callistus.

Repulerunt quidem Patrenses Perigenem externum. Cum autem de hoc disceptaretur, Corinthi Episcopus fato cessit, cujus Sedi Perigenes fuit admotus. Id arcano Summi Dei judicio, ac consilio contigisse ait Bonifacius Primus in datis ad Rufum Archiepiscopum, seu Exarchum Thessalonicensem duabus epistolis anno 412. quas excudendas curavit Lucas Holstenius; ut non extraneæ Ecclesiæ, sed ei in qua altus fuerat, & presby-

tera-

teratu initiatus, præesset. Postquam enim dixisset in priori epistola, Corinthiis in votis esse, *non tam accipere, quam retinere Sacerdotem*, subdit: *Quis enim dubitet ejus meritis deputari, quis renuit judicii fuisse Divini, ideo hunc a Patrensibus in tempore non esse susceptum, & diu super præmissa Ecclesia magna deliberatione suspensum, ut hujus ovilis Pastor fieret, in cujus caulis suam a cunabulis transegisset ætatem*. Judicia Dei abyssus multa, quod congrue aptamus exemplum: *& nemo crederet, quod in ordinatoris aliquando locum subrogari posset, quia fuerat ab aliis ordinatus*, (legendum *quia fuerat aliis ordinatus*, ut clarissimus vir ante nos adnotavit) *non ambigo cœlestis tunc id fuisse sententiæ*. Denique anathema intentat iis, qui populos adversus Perigenem excitere, ac inflammare dicebantur: *In eos necesse est vigorem censuræ, qui contra nostrum, post hæc nescientibus nostris, incitare dicantur populos, &c.* Hac de causa civium precibus, Episcoporum Provinciæ, & Synodi suffragiis Perigenem Episcopum postulantium, annuit Bonifacius, qui etiam alia epistola exprimit, in Patrensium repulsa enituisse evidens Dei, manifestumque judicium, ut Perigenes regeret Ecclesiam ejus Civitatis, in qua natus fuerat, & baptismum susceperat. *Quos fraterna charitate complexi tales esse cognoscimus Coepiscopum nostrum Adelphum, vel fratrem Perigenem, cui beati sermo Concilii jamdudum adstipulator decessit, ad Episcopatus speculam jam vocabat Dei iniquam sententia; cujus beneficia sæpe credimus esse contraria, & in adversum vertimus, quæ post recognoscimus profuisse. Tristis absque dubio Coepiscopus noster Perigenes fuit, cum eum nemo susciperet ordinatum. Nonne huic hoc expediens erat, ut hunc Civitate sua Patrenses populi unita voce contradictionis arcerent? Sed quantò inclinatus fuit, cum eum ordinatum nemo suscepit, tantò sublimior nunc est, cum a suis poscitur, qui ab externis fuerat refutatus. Evidens enim Dei, manifestumque judicium, qui eum id temporis voluit præstolari, quo mereretur huic Ecclesiæ præsidere, in qua & natus asseritur, & renatus.*

In eandem sententiam scriptæ fuere & aliæ literæ Rufo, reliquisque Episcopis provincialibus; *Certò enim cogno-*

cognovimus indice, apud Corinthum, quod exagitati dicimus, Synodum congregandam; super eius discutiendo statu, quem Corinthiis Apostolica Sedes examinatis omnibus, atque discussis, constituit Sacerdotem, secuta Dei voluntatem, quæ hunc ipsum, quantum docetur dilationibus temporum, ejus ovilis, in qua creverat, & cui creverat, voluit esse Pastorem.

Translationem Episcoporum Nicæni Concilii canone prohibitam, vehementer aversatam fuisse Romanam Ecclesiam, nisi necessitas cogeret, aut magna, & evidentissima utilitas suaderet, ideoque Nicephorum Callistum, & alios, a quibus ejus exempla anxiè fuere conquisita, unicum Perigenem Romano Pontifice probante translatum in Occidente invenisse, ad eas epistolas notavit Holstenius in Concilio Romano Tertio sub Bonifacio II. Sed non tantus horror erat translationum, ut non magis exhorresceret Ecclesia, eam legem corrumpi, quæ cæteris aliis antepollebat, jubentem, ut Ecclesiarum regimen iis crederetur, qui cives erant vel ortu, vel regeneratione, qui iis mancipaverant se, in eisdem ministeriis sacris perfuncti fuerant. Quocirca Thomass. *par. 2. lib. 2. cap. 61. n. 7. & 8.* non injuria Socratis audaculam orationem carpit, qui *lib. 1. cap. 8.* veritus non fuit dicere, transferri Episcopum ex una Ecclesia in aliam fuisse *ἀδιάφορον indifferens.* Neque suffragari ei exempla censuit, quibus quod sibi exciderat, munire studuit; quia *in iis charitas defæcatissima, castissimaque triumphum egerat, non de terrenis tantum cupiditatibus omnibus, sed & de usitatissimis, & ordinariis Ecclesiæ legibus, tanquam ipsa legum celsissima, & dominatrix lex*; & ejusmodi fuisse Perigenis translationem. Sed melius dicere debuerat, & magis ad eam speciem accommodatè, legem indigenas ad Sacerdotia vocantem, externos ab iis abigentem, cæteris aliis, etiam quibus translationes avertebantur, longè antecessisse.

Quo factum est, Provinciæ Turonensis Episcopos cum peterent, ut Actardus Nannetensis Antistes in Ecclesiam Turonensem transferretur, id obtendisse: qui huic translationi assentiretur, hoc ipso omnem præter-

gressionis canonum invidiam a se posse depellere, quia Actardus *in eadem Ecclesia* (scilicet Turonensi) *baptizatus, nutritus, & ordinatus fuerat*, ut auctor est Flodoard. *lib. 3. cap. 21.* Et Fulco Rhemensis Metropolita Formoso Papæ Herilandi Teruanensis Episcopi translationem suadere conatus fuerit, quod potuisset in ea Ecclesia subrogari, *qui acceptior propter parentelam, & linguam in eodem loco posset existere.*

Perigonis translationem decreto Bonifacii confirmatam fuisse, ait Petrus de Marca *de concord. lib. 5. cap. 34. n. 5.* post judicium Rufi Thessalonicensis, cujus studiis ille attollebatur. Verum non præcessit judicium solius Rufi, qui vices Apostolicæ Sedis implebat in Illyrico, sed etiam Synodi, ut ex secundæ ad Rufum epistolæ verbis recitatis apparet: nec quicquam in ea disceptatione gratiæ datum. Criminatur etiam Bonifacium, ac Hilarium Summos Pontifices, quod in eadem facti specie intra quatuor, & quadraginta annos variè se gesserint. Cum enim Hermes Episcopus Biterrensis, a Rustico Narbonensi metropolita ordinatus, non fuisset a Biterrensibus susceptus, & interim è vivis sublato Rustico ad Narbonensem Ecclesiam transmigrasset: hoc tanquam insigne facinus agitavit Hilarus, licet, ut Parisiensis Antistes putat, fuisset prius Archidiaconus Narbonensis sub Rustico, contra quam egerat Bonifacius in causa Perigenis. Sed unde habuerit magnus vir, quibus [illegible] adductus fuerit, ut opinaretur Hermetem fuisse Rustici Archidiaconum, nobis quidem non liquet, immò nec ipsi liquebat, qui subdubius, ac nutans ait, *Rustici Episcopi Narbonensis Archidiaconum fuisse puto*: qui etiam de suo supplet in translatione consensum Cleri, ac populi, Episcoporum comprovincialium, & Leontii Arelatensis; non minus suæ conjecturæ incertus, ac titubans, quod ex iis verbis dignoscitur, *ut ego existimo.*

Equidem in Hilari epistolis ad Leontium, & ad Episcopos Galliæ, quas ex veteri Codice Arelatensis Ecclesiæ exhibuit Baronius, & post eum Binius tom. 4.

Con-

Concil. nihil legitur, ex quo conjici possit, Hermetem Archidiaconum fuisse Narbonensis Ecclesiæ, & in ea suam ætatem transegisse; qui nec etiam Archidiaconus appellatur: quinimmo hoc merum figmentum esse, & nihil solidi habere, deprehenditur. Ex iis enim conspicitur nil aliud, ut suam adjuvaret causam, proposuisse Hermetem, quam Biterrensium contumaciam, qui ipsum refutaverant: in hoc spem suam omnem sitam, ac collocatam habuisse. *Cum ideo se frater* (verba sunt Hilari in octava epist.) *jam, & Coepiscopus noster Hermes à Narbonensi Ecclesia credidit jure suscipi; quia indignè à Biterrensibus, quibus ordinatus est, dicebat excludi.* Qui si Archidiaconus unquam audisset Ecclesiæ, ad quam translatus fuerat, in hoc arcem suæ defensionis constituisset, ex Perigenis exemplo sibi præsidium comparasset, quod ab eo ignorari non potuit; nihil enim magis in ore omnium, ac oculis erat, quam ea translatio, quæ prima extitit in Ecclesia Romana, & quæ sicuti cum facta fuit omnium animos in se converterat, ita paucorum annorum interstitio, ejus memoria obliterari non potuerat. Id quidem Hermes qui. tacuisset si poterat sibi proficere? Silentio hoc transigere an non erat suam causam prodere potius, quam defendere? Quomodo autem id ignotum esse poterat Hilaro, & Synodo in qua eam controversiam discussam fuisse commemorat eadem epistola ibi; *de quibus præsidente fratrum numeroso concilio, & ex diversis provinciis*, aut quomodo potuisset epistol. 7. quod actum fuerat in Hermetis gratiam iniquum dicere, *& contra patrum statuta*, & Leontium, quod in tanto flagitio conniveret, vocasset *legis Catholicæ immemorem*. Parcendum viri magni manibus, qui tamen Sanctissimo Pontifici parum æquus fuit, quique etiam in hoc ei injurium, ac iniquiorem se præbuit, quod affirmaverit translationem Hermetis procul dubio tenuisse, ex can. 17. Concilii Ancyrani, & can. 16. & 18. Antiocheni. Nam can. 18. Ancyranæ Synodi, quem forsan laudare voluit, nihil ad rem, cum loquatur de Præsulibus à sua

diœcesi repudiatis, qui alias Ecclesias occupare tentant, & vim inferre Episcopis iis præsidentibus, quos cum statuat ad presbyterii gradum revocandos, si ad speciem, de qua ipse agebat pertrahi potuisset canon ille, & officium Archidiaconi in Ecclesia Narbonensi gessisset Hermes, iterum ad presbyteri gradum in ea regressus, quo pacto, sin illius Episcopum fuisset assumptus, hæc translatio potuisset existimari? Canones verò Antiocheni Hilarii ætate non adhuc ab Ecclesia Romana fuerant recepti, immo non nisi post Gelasii ævum admissi, & Codici veteri Ecclesiæ Romanæ superadditi, ut probat Paschasius Quesnel *in dissert. 12. de veteri Codice Ecclesiæ Romanæ cap. 4. num. 8.* Quod si certum esse non poterat viro clarissimo, quia ejus ævo Codex ille adhuc evulgatus non erat, saltem de hoc aliqua injici suspicio debuerat; cum ex Innocentii primi epistolis agnosceretur, canones Antiochenos ab eo fuisse rejectos.

Hunc morem antiquissimum in Ecclesia semper vires suas obtinuisse, edocet etiam Sanctissimi Pontificis Cœlestini epistola ad Episcopos per Viennensem, & Narbonensem provinciam constitutos 2. cap. 4. cujus verba transducta sunt in cap. nec emeritis dist. 61. *Nec emeritis in suis Ecclesiis Clericis peregrini, & extranei, & qui ante ignorati sunt ad exclusionem eorum qui benè de suorum civium merentur testimonio, præponantur.* Illustris sanè locus, quo Cœlestinus molestè ferens ex Lirinensi Monasterio, quod Forojuliensis Episcopi ditioni subjectum erat, in aliis provinciis Antistites constitutos, scribens ad Episcopos Viennenses, & Narbonenses, videtur ad Lirinense Monasterium oculos convertisse, ut animadversum fuit eximio viro Paschasio Quesnel *in notis ad d. epist. 13. num. 14.* & quo videtur etiam totius observationis Ecclesiasticæ in conferendis sacerdotiis, ac ministeriis, ex his quæ Christus Apostolis communicarat profectæ, & usque ad sua tempora inviolatæ, veluti adumbrationem quamdam, ac delineationem exhibuisse. Nam à Ministerijs removet externos, & ab Ecclesia

extraneos; seponit eos, qui populo sunt ignoti, quorumque mores, antequam ad beneficia adsciscerentur, ab eo ignorabantur: eorum præ aliis, ait, rationem habendam, qui in Ecclesia militaverant, quique se probaverant Civibus suis, & ab iis bonum testimonium meriti erant. Verba autem illa, *suorum civium*, demonstrant manifestè cives esse debere, quos ille ait exteris præferendos; quæ confirmat his quæ mox dixit in eadem epist. cap. 5. quæque relata sunt in cap. nullus di. dist. *Tunc autem alter de altera eligatur Ecclesia, si de Civitatis ipsius Clero* (qui ex civitate sunt, cives sunt) *nullus, qui est Episcopus ordinandus, dignus, quod evenire non credimus, poterit reperiri* (Contemnus ergo est digno, quamvis alius foris possit esse dignior: ut nullus in Clero Civitatis dignus reperiatur, non modo satis improbabile, sed etiam nullo modo accidere posse arbitratur) *Primum enim illi reprobandi sunt* (hoc videtur innuere non posse refutari cives, & qui sunt de Clero Civitatis, nisi iis aliquod vitium aut Canonicum impedimentum obstet) *ut aliqui de alienis Ecclesiis meritò præferantur*. Deinde quam grave, quam acerbum, quam monstrosum sit exprimit, alterum alterius stipendia occupare, alienorum laborum fructum ferre, quod fieri lex æterna, & jus naturale vetat: *Habeat unusquisque fructum suæ militiæ in Ecclesia, in qua suam per omnia officia transegit ætatem. In aliena stipendia minimè alter obrepat, nec alii debitam sibi vendicare audeat mercedem*. Demum potestatem facit Clericis, eum, qui hoc modo non fuerit electus, quem per transversum sibi ingeri viderint, ut ait eleganter, recusandi, & si vis fiat, resistendi.

Eisdem de causis idem Cœlestinus exterminat aliam fœdissimam contagionem, quæ in aliquas Ecclesias manaverat, anteponentes laicos, vel cleri tyrones Clericis, qui in eis diu desudaverant, ut ex decreto, quod exhibet Bibliotheca juris Canonici veteris Guilielmi Vollei, & Henrici Justelli, exscripto ex epistola illius Pontificis ad Episcopos Apuliæ, & Calabriæ. In hac eadem tela contorquet contra neophytos, quæ contra extraneos, & rectè, utpote utrosque extra Ecclesiam petitos; *Non solum*

malè

malè de suis Clericis, in quorum contemptum hoc faciunt, judicantes, sed de nobis pessimè, quos credunt hoc posse facere, sentientes, quod nunquam auderent, si non quorundam illic his consentiens sententia conniveret. Ita nihil, quæ frequentius sunt decreta proficiunt: ut hoc quasi nunquam de hac parte scriptum fuerit ignoretur? Quid proderit per singula Clericos stipendia militasse, & omnem egisse in dominicis castris ætatem? Et infra: *Talibus itaque fratres charissimi, qui juris nostri, idest Canonum, gubernacula custodimus, necesse est obviemus.*

Rationes quibus utitur Cœlestinus tam Episcopis, quam cæteris Beneficiariis communes sunt: utrisque verba conveniunt, mens utrisque. Quare & hunc textum, & alios quos excutere instituimus, in omnibus beneficiis vim suam exercere, etiam eos, qui de Episcopis loquuntur, consentiens est, & Summorum Pontificum, & utriusque juris tam civilis, quam Canonici Interpretum, ac etiam Theologorum traditio. Quocirca qui glossas exararunt in epist. Divi Gregorii Magni lib. 2. epist. 19. num. 4. doctissimi viri, & satis emunctæ naris, nullum hac in re discrimen intercedere, inter Episcopatus, ac alia beneficia, & Cœlestini decretum ex ratione in eo comprehensa ad omnia beneficia extendi, constantissime affirmant his verbis: *Cæterum quod de Episcopis ajunt, cæteris quoque dignitatibus, officiis, Sacerdotiis, pari ratione quisque accommodabit.* De civibus autem Cœlestini Canonem interpretantur, quos in beneficiis aliis anteferri debere probāt *ex l. 11. in Ecclesiis C. de episc. & Cler.* quam proferunt, & cujus verba exscribunt. Idem astruit Abbas *cap. ad decorem de instit. nu. 3.* qui cum prædixisset, textum in *d. cap. nullus* notatu dignissimum, subdit, *quod licet loquatur in Episcopis, ratio tamen communis est ad alia beneficia,* cui adhæret Barbos. lib. 2. vot. 33. n. 4. ubi ait, *rationem communem esse ad alia beneficia, & si litera de Episcopis tantummodo loquatur:* eundemque text. pulcherrimum, quod ad rem nostram pertinet, reputat Gregor. Lopez *l. 13. verbo de todo obispado tit. 15. par. 1.* Et Laurentius Landtmeter de veteri Clerico & monacho cap. 30. *Vetitum quoque alienum*

num Clericum ordinare, & stipendia hujus, aut illius Ecclesiæ aliis impendere. In hunc sensum decrevit Cælestinus Papa, ne emeritis in suis Ecclesiis, extranei præponantur; habeat (inquit) *unusquisque suæ fructum militiæ in Ecclesia, in qua suam per omnia officia transegit ætatem: in aliena stipendia minimè alter obrepat; & quidem generalia hæc Cælestini verba sunt, & quæ ad promotionem cujusvis Clerici possunt extendi, quamvis de electione Episcopi ei sermo sit, de quo sequentia, ne extraneus Præpositus, aut Episcopus Clericorum Collegio præponatur: hoc etiam addito, ut sit facultas Clericis renitendi, si se viderint prægravari, & quem sibi ex transverso ingeri viderint, non timeant refutare.* Quod deinde vallat canone Concilii generalis Constantinopolitani, de quo inferius.

Quod autem in aliquibus epistolis Pontificum Romanorum, Episcoporum mentio fiat, nullum id mysterium sapit, aut continet, sed quisque agnoscit contigisse, quia ita occasio tulit, & quia pleræque ex iis epistolis datæ sunt ad Visitatores, sive Interventores, qui mittebantur ut electiones accelerarent, ne diu Ecclesiæ Rectoribus destituerentur, de quibus infra dicemus: tum etiam quia quò major est Episcopatus dignitas, ac fructuosior aliis beneficiis, eò facilius erat exteros illam ambire, ac pro ea digladiari: quod & Apostolos ipsos agnovisse, nempe pro Episcopatu obtinendo exoritura dissidia, ac contentiones, patefacit & ipsa Clementis Romani epistola, quam Julius Patricius ex MS. Codice in publicum emisit, οἱ Ἀπόστολοι ἡμῶν ἔγνωσαν διὰ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ὅτι ἔρις ἔσται ἐπὶ τοῦ ὀνόματος τῆς ἐπισκοπῆς, *Apostoli nostri per Jesum Christum Dominum nostrum cognoverant, contentionem de nomine Episcopatus futurum.* Ex cujus verbis etiam apparet quod supra attactum fuit, Apostolorum institutum fuisse, electiones, sive de Episcopis, sive de aliis ministris ageretur, ita fieri, ut populus, Ecclesias gratas haberet, συνευδοκησάσης τῆς ἐκκλησίας πάσης, *universa Ecclesia sibi gratum esse testante.* Præterquam quod sexcenta loca sunt expresse, ac nominatim de quibuscumque Clericis, ac Beneficiariis concepta.

Cer-

Certè Gelasius in epistola, quæ data fuit ad Cœlestinum Episcopum, cum defecisset Presbyter constitutus in Ecclesia B. Martyris Eleutherii in Civitate Stomensi, vel Storensi quomodo Ans. legit, ut in ejus locum succedere deberet *Julianus ipsius Ecclesiæ diaconus*, voluit: & Cœlestino negotium dedit, ut eum quam citissimè *ordinaret visitatoris nomine, non Cardinalis Pontificis, & Felicissimum diaconum in ejus Ecclesiæ ministerio, si conversatio illius pateretur*, subrogaret: cujus epistolæ verba habentur *cap. presbyteri dist.* 24. cui consonat *cap. ult. dist.* 75. *ex literis* ejusdem Gelasii *ad Episcopos Lucaniæ in fin. & Can.* 12. *Concilii Laodicensis relatus cap.* 4. *dist.* 24. in quo agitur de quacumque Ecclesiastica dignitate, & jubetur, ut ad eam ascendant, *qui plurimo tempore probantur tam verbo fidei, quam rectæ conversationis exemplo.*

Hoc Cœlestini decretum in suis ad Carolum Calvum Regem Francorum literis de Egilonis Monachi, qui Ecclesiæ Senonensi præfectus fuerat, confirmatione pertractans, laudat Nicolaus I. epist. 2. Sed tristatur maximè, in illud crebrò peccari in Gallia, quod verbis quibus asperiora vix excogitari queant, execratur. Egilonem summis laudibus effert, ejus virtutum famam quascumque oras pervasisse: uno verbo, cum hujusmodi esse, qualem Episcopum optavit Apostolus Paulus, quem oportere ut testimonium haberet bonum, & ab his, qui foris sunt censuit; ingenuè fatetur. Sed dolet, illum Ecclesiæ Senonensis, cui viros si non ei meritis æquales, saltem Episcopatu non indignos deesse incredibile videbatur, non fuisse filium. Quod non modo indecorum, sed etiam illicitum pronunciat. Operæ pretium fuerit ejus verba hic interserere, quemadmodum ea Cœlestini suæ epistolæ fuere inserta; *Sed quamvis hæc nos valde lætificent; multum tamen contristat, quia idem venerabilis Vir non de ipsa Ecclesia, sed de quodam Monasterio fuisse perhibetur. Denique cum erga Monachos eadem profectò regula, quæ circa Clericos, qui provehendi sunt conservanda sit; indecorum tamen, quin potius illicitum est, in aliena stipendia, quem-*

quam obrepere, & ex transverso venientem in Castra, inter quæ non militavit, ducatum arripere; beatissimo Apostolicæ Sedis Præsule Cœlestino præcipiente, atque dicente: Tunc alter de altera eligatur Ecclesia, &c. quibus verbis perspicacitas dilectionis vestræ prudenter attendat, quoniam aut de Ecclesia Senonensis Clericis, qui ordinaretur nullus dignus inventus est, quod evenisse non credimus, maximè cum sit Metropolis, & Clericorum numerositate non careat: aut certe his jure minime reprobatis, aliunde, qui eis irregulariter præponeretur electus est, et qui aliorum fructum laborum comederet adinventus. Nimirum cum reverendæ memoriæ Decessor hujus tantis a vobis præconiis efferatur, ut nullum in eadem Ecclesia, cui non modico tempore præfuit, qui ei Canonicè subrogari posset reliquerit, prorsus incredibile judicatur.

Id actum fuisse nimia temeritate in sacrorum Canonum apertam violationem definit. *Cum ergo familiariùs in regionibus vestris sit hæc temeritas, & sacrorum super hoc Canonum violatio dilatata, necesse est nostram solicitudinem pro hac amputanda specialiùs impendere diligentiam.* Et postea: *Periculosum est enim taliter omnes Ministros Ecclesiæ, & eis improvisum, & non optatum præponere.* Tandem serpentem illam corruptelam, quam & transgressionem maximam, & prævaricationem prædicat, se generalis decreti mucrone confossurum concludit: *Quod quia crebrò præsumptum esse nonnullis querimoniis ex hoc gementium didicimus, vos meritò diligentes, ut ad tantam transgressionem neminem impellatis exposcimus. Alioquin nos sanctarum minimè regularum immemores, nec segnes executores admodum existentes, adversus temerarios succinctis lumbis illas defendere procurabimus, & auxiliante Christo, nobis, & Ecclesiæ consulentes ipsius, de cetero æquanimiter violatores earum nullo modo sustinebimus. Usquequo tamen eandem prævaricationem incipiamus generalis Decreti nostri ligone de regionibus vestris radicitus extirpare, parcendum huic fratri jam, & Coepiscopo nostro prævidimus.*

Epistolas hasce tam Cœlestini, quam Nicolai Primi extollunt Auctores notarum in Divi Gregorii *epist.* 19. *lib.* 2. qui de ea, quam firmavimus regula, ut Episco-

pus ex Civibus, & ex sua Ecclesia accipi debeat loquentes, hæc habent: *Vtinam hac regula a Conciliis, & Sanctis Patribus sancita, repetita, inculcata nostris non jaceret temporibus otiosa. In decretis Cælestini Papæ cap. 19. sic habetur. Tunc alter de altera eligatur Ecclesia, si de Civitatis ipsius Clericis, cui est Episcopus ordinandus, nullus dignus potuerit inveniri, &c. Videat Lector epistolam Nicolai Papæ ad Carolum Calvum circa ann. 865. Vbi contrarium usum in Gallia familiariùs grassantem, vocat violationem Canonum temerariam, pro qua amputanda necesse est specialius impendere diligentiam, & eam decreti ligone, ut ipse loquitur, radicitus extirpare*

Sed cur Cœlestinus, qui omnes explodebat electiones, quæ ex Ecclesiæ gremio non fierent, earum perpetuus hostis, translationem Procli ex Cyziceno Episcopatu ad sedem Regiæ urbis provexit literis, quas ad Joannem Antiochiæ, Cyrillum Alexandriæ, Rufum Thessalonicæ Episcopos dedit? Eam translationē auctoritate sua roboratā fuisse a Cœlestino, refert Socrates lib. 7. cap. 39. ταύτῃ γὰρ καὶ τοῦ ἐπισκόπου τῆς Ῥωμαίων Κελεστίνου ἐπιστολαὶ παροῦσαι ἐγίνοντο σύμψηφοι. *Huic etiam negotio suffragantur epistolæ Cælestini Episcopi Romani*: quibus subdit, eum docuisse, nihil obstare quominus qui unius Civitatis, vel nominatus fuisset, vel jam esset Episcopus, ad aliam transferretur, διδάσκων ὡς οὐδὲν κωλύει τὸν τε ἑτέρας πόλεως ὀνομασθέντα, ἢ καὶ ὄντα ἐπίσκοπον, εἰς ἄλλην μετατίθεσθαι. Quod ex eo tradit etiam Nicephorus.

Eadem ratione Cœlestinus translationem Procli probavit, qua Bonifacius illam Perigenis probaverat; immò ad divinam providentiam retulerat, ut hujus ovilis pastor fieret, in cujus caulis suam a cunabulis transegerat ætatem, & in ordinatoris locum succederet. Siquidem Proclus Attici Episcopi Constantinopolitani fuerat alumnus, ab illo in sua Ecclesia tum aliis ordinibus, tum diaconatu auctus, quod Socrates quasi causam expositurus, qua Cœlestinus Proclo faverit, statim adjecit cap. seq. 40. Τελέσας δὲ εἰς ἄνδρας τὰ πολλὰ παρῆν τῷ ἐπισκόπῳ Ἀττικῷ, ὑπογραφεὺς αὐτοῦ τῶν λόγων γινόμενος. προκόψαντα δὲ αὐτὸν, καὶ ἐν τῇ

τάξει

τάξιν τ' διακονίας, ἀττικὸς προηγάγετο. *Qui cum ad ætatem virilem perveniret, multùm cum Episcopo Attico versatus est, illiusque sermonum scriba fuit, quem in literis, & virtute admodum proficientem Atticus ad gradum diaconatus evexit.* Qui etiam addit, Proclum ab Attico institutum hujusmodi evasisse, ut non modo præceptoris, quem tantoperè antiquitas demirata est, virtutes exprimeret, sed etiam facilè superaret ἦν δ' ἀνὴρ ἀγαθὸς τὸ ἦθος, εἰ καὶ τις ἄλλος, ὑπὸ γὰρ τῷ ἀττικῷ παιδευθεὶς, πάντα αὐτοῦ τὰ χρηστὰ ἐμιμήσατο. τὴν δ' ἀνεξικακίαν πλέον ἢ ἐκεῖνος εἶχεν ἐξήσκησεν. *Vir erat morum probitate præter cæteros eximius. Quippe institutus ab Attico omnes ejus virtutes sedulò imitatus est. Tolerantiam, quâ etiam Atticus præditus fuit multò magis, quam Atticus excoluit.* Videtur autem Socrates *c. 39.* cui nimis translationes placebant, quod specialibus his de causis Cœlestinus indulserat, generaliter accepisse, & ejus literas latius, quam illæ paterentur, produxisse.

Sed quoniam Cœlestinus jam e vivis sublatus fuerat, cum Proclus antedictæ Ecclesiæ fuit præpositus: ut Socratis loco veritas constet, ponendum est Cœlestini literas in illius gratiam scriptas fuisse, statim post exauctorationem Nestorii, cum Proclus eam sedem appetens, repulsam passus fuit, quod Cyzicenæ Ecclesiæ se despondisset, & ei Maximianus prælatus, ut auctor est idem Socrates c. 34. & 35. id uero ne iterùm accideret post Maximiani obitum, nondum ejus exequiis solutis, Theodosius junior statim throno eum locari jussit præsentibus Episcopis: quorum ut consensum facilius exprimeret, defuncti Cœlestini literas, & auctoritatem obtendit, quomodo intelligendum Socratem satis ostendit Nicephorus *lib. 14. cap. 37. & 39.*

Nec sæpius quidquam offendimus in jure Pontificio, & in epistolis aliorum Summorum Pontificum, quarum aliquas in suam collectionem ascivit Gratianus. Inter has illæ Beatissimi, ac Magni Leonis Primi emicant, qui in epistola 100. juxta edit. Quesnel 138. hortatur Gennadium Constantinopolitanum, ut enitatur, *quatenus Alexandrinus ex Clero suo Episcopus consecretur*

juxta veterem morem, ubi notanda sunt verba illa, *juxta veterem morem*, quæ consuetudinis, de qua agimus diuturnitatem, vetustatemque denotant, ab ipsismet Apostolis ad eorum successores transmissæ, ac veluti per manus traditæ: & epistol. 12. in d. edit. ad Anastasium, Episcopum Thessalonicensem cap. 6. statuit, *ut de Presbyteris ejusdem Ecclesiæ, vel Diaconis optimus eligatur*. Tunc enim intra hos cancellos constringebatur eligendi potestas; ut etiam designatur verbis Julii supra recensitis ἐξ αὐτοῦ τοῦ ἱερατείου, *ex ipso sacrario*, quæ templi pars erat, ad altare proximè accedens Diaconis specialiter assignata. Unde in canone Laodiceno decimo tertio ea verba εἰς τὸ ἱερατεῖον de Diaconis accipiuntur a veteri Interprete, ut accipit etiam Ferrandus *in breviar. cap.* 105. licet Martinus Bracarensis, & Dionysius *ad Sacerdotium* reddant, qui propterea εἰς ἱερατείαν legisse videntur. Sed postea ab Urbano Secundo, & Innocentio Tertio, ad subdiaconos quoque fuit ea facultas porrecta. Utcunque tamen hoc sit, ad quos electio spectabat, non poterant extra propriam Ecclesiam, cui illius cura committenda esset, quærere, suæque fines Ecclesiæ transilire.

Sancti Leonis canonem relatum habemus in *can. Metropolitano dist.* 63. quem renovavit, ac transcripsit Innocentius Tertius in epistola, quam inscripsit *Archiepiscopo Thessalonienſi, ejusque successoribus canonicè substituendis in perpetuum*, quæque est *lib. 3. Regest.* cum ejus auspiciis postquam in Thraciam transfretassent Gallorum, ac Venetorum copiæ, Constantinopoli subacta, Ecclesia Thessalonicensis a schismate convaluisset: *quæ tamen hoc tempore*, ait Innocentius, *per Dei gratiam ad devotionem pristinam est reversa*.

Ne quicquam contra Apostolicam traditionem, & veterem Ecclesiæ morem ausu temerario tentaretur, omnibus, sed iis potissimum Summis Pontificibus cordi fuit, qui sacris doctrinis instructissimi, & vitæ sanctitate præclarissimi, totius antiquitatis venerationem sibi conciliarunt, & inter Divos meritissimè sunt consecrati.

Fato

Fato cesserat anno 461. Sanctus Nundinarius Barcinonensium Episcopus, qui in suprema voluntate, ut Irenæus in suum locum substitueretur, optaverat. Ejus desiderio totius Cleri, & plebis Civitatis, & plurimorum, optimorumque provincialium testimonia, ac vota accesserant, quæ maximam Ecclesiæ viduatæ utilitatem habebant conjunctam, quam nullam passam fuisse jacturam omnibus persuasum erat Nundinario amisso, si ei Irenæus succederet. De his omnibus retulere Tarraconenses Episcopi ad Sanctum Hilarum Summum Pontificem, & totius facti ratione exposita in sua epistola, ita clauserunt sermonem: *Nos cogitantes defuncti judicium, & probantes ejus vitam, & eorum nobilitatem, atque multitudinem, qui petebant, simul & utilitatem Ecclesiæ memoratæ, optimum duximus, ut tanto Sacerdoti, qui ad divina migraverat, non minoris meriti substitueretur Antistes.* Quamvis autem culpandi viderentur, quod non ex ejus Cleri sinu accito Iræneo, a sacris Canonibus deflexissent, id causabantur, quod si non ejusdem Ecclesiæ, certè ejusdem erat Diœcesis: *præsertim cum Ecclesia illius municipii, in qua ante fuerat ordinatus, semper hujus Civitatis Ecclesiæ fuisse Diœcesis constet.* Id verò neque noxa eos liberavit, neque moram intulit, quominus in Sancti Pontificis indignationem incurrerent; qui de canonum transgressione cum Ascanio, & reliquis expostulavit in literis ad eos communiter datis, mandavitque, ut Barcinonensi Ecclesiæ de proprio Clero ordinaretur Antistes, ut ex epist. 2. *Unde remoto ab Ecclesia Barcinonensi, atque ad suam remisso Irenæo Episcopo, sedatis per Sacerdotalem modestiam voluntatibus, quæ per ignorantiam ecclesiasticarum legum desiderant, quod non licet obtinere, talis proprius de Clero proprio Barcinonensibus Episcopus ordinetur, qualem te præcipuè, frater Ascani, oportet eligere, & decet consecrare.* Ubi notanda illa verba: *talis proprius de Clero proprio*, ex quorum geminatione, quam magna vis fieret canonibus si extraneus aliquis ad Episcopatum evocaretur, quamve id acerbum fuisset Sanctissimo viro clarissimè constat: quam querelã longius, latiusque prose-

secutus est in epist. 3. Ascanio privatim inscripta: *Et miramur admodum dilectionem tuam, Barcinonensium petitionem non solum nulla auctoritate retudisse, verum etiam directis ad nos literis consummationem pravi desiderij postulasse, adhibendo in epistolarum proœmio Concilii mentionem, tanquam culpæ minuerentur excessus per multitudinem imperitorum; cum si etiam sub significatione unusquisque sui nominis tecum pariter retulisset, subscriptiones factas singuli commodassent, dilectionem tamen tuam, rei, de qua displicet, summa tangebat: quia pro loco, & honore tibi debito, cæteri Sacerdotes docendi fuerant, non sequendi. Vnde sicut in generalibus literis indicavi, Irenæus ad propriam revertatur Ecclesiam, & Barcinonensibus de suo Clero protinus consecretur Antistes, cui tamen statuta Canonum, & Apostolica præcepta concordent.*

Quæ omnia definita fuere in Synodo Romæ celebrata anno 465. ubi, quod memoratu dignum est, ita Hilarus est prolocutus: *Quoniam Religiosus Sancto Spiritu congregante Conventus hortatur, ut quæcunque pro disciplina Ecclesiastica necessaria sunt, cura diligentiore tractemus: si placet, ea, quæ ad ordinationum tenorem pertinent, juxta Divinæ legis præcepta, & Nicænorum canonum constituta, ita adjuvante Domino in omne ævum valitura solidemus, ut nulli fas sit sine status sui periculo, vel Divinę constitutionis, vel Apostolicę Sedis decreta temerare*; ut ejus Concilii acta significant, & posteris tradidit doctissimus Annalium conditor dicto anno 465. Memoratu etiam dignissimum est, communicatis ab Hilaro Sacrosancto Conventui literis Episcoporum Tarraconensium, quæ causam Irenæi continebant, audita petitione in epistola ad Romanum Pontificem intexta, qua ipsum deprecabantur, ut firmaretur Apostolica auctoritate, quod contra canones præsumpserant, vehementer Patres fuisse commotos. *Quid autem ad hæc* (ait Baronius) *qui Romæ convenerant Patres? Primò quidem publicis acclamationibus, inde verò singulorum sententiis, quæ ab illis Episcopis probata fuerant, fuerunt explosa. In acclamationibus verò inter alia illud quinquies dictum, VT SERVETVR ANTIQVITAS ROGAMVS.* Quod cum retulisset Baronius

se

se continere non potuit, quin in hanc vocem erumperet: *Digna planè tanto confessu sententia, quâ tanquam valido mucrone, confoditur quidquid unquam, vel contra fidem, vel contra Ecclesiasticam fuerit disciplinam præsumptum*. Cum autem Hilarus in præfatione expresserit, quod erat sibi, Patribusque stabile, fixum, ratum, ut quæcunque statuenda erant, *secundum precepta divinæ legis*, & *divinam constitutionem* præscriberentur; consequens omnino fit, ut quod pronunciatum fuit, & in epistolis Synodalibus scriptum *proprium*, & *ex proprio Clero* legendum Antistitem, *precepto divinæ legis*, & *divinæ constitutioni* sit adscribendum.

Jam vero ex Concilio Romano *can.* 5. penes Labbæum *tom.* 2. *Concil.* cernitur, id maximi momenti fuisse apud Hilarum, ac eos qui Romæ convenerant, ut Irenæi electionem irritam facerent, Episcopatum non nisi meritis præcedentibus dari, ut ea verba denotant; *Denique nonnulli Episcopatum, qui non nisi meritis præcedentibus datur, &c.* Atqui Irenæus, ut ex Tarraconensium Episcoporum literis perspiciebatur, neminem habebat, qui ei virtutibus anteiret. Et tamen eo excluso, decrevit Synodus, ut proprius ex proprio Clero in Episcopum assumeretur: nempe quia, qui ad Sacerdotia aspirant in aliqua Ecclesia, oportet ut de ea benè sint meriti, non de alia, eos agros irrigaverint, ac coluerint, in quibus quam appetunt messis excreverit.

In postremis quas Acacio inscripsit literis ab Holstenio primùm prælo traditis, deinde a Labbæo insutis *tom.* 4. *Concil. fol.* 1039. indignatur Simplicius, Joanni Constantinopolitano Apamenum Sacerdotium ab hæreticis fuisse delatum, pœnisque gravissimis insignem nequitiam insectatur. Sed ne quem improvidum sua verba non benè animadversa in errorem adducerent, quasi aliter existimaturus fuisset Summus Pontifex, si Joannes a Catholicis Episcopatum accepisset, declarat, etiam hoc posito, æquè invalidam dijudicandam fuisse electionem, quia ab Apamena Ecclesia

ex-

extraneus, non poterat in illius Sacerdotium irruere. *De Joanne quodam Constantinopolitano, qui ab hæreticis Apamenum Sacerdotium, quod ei, qui presbyter aliunde fuerat, vel a catholicis sumere non licebat, se hæreticum publicavit, & quod in se perperam factum est, in proprium retorsit auctorem, &c. sub anathemate a Christianorum consortio, vel ipsa appellatione removemus: nec unquam his satisfactionis patefaciendus est honos.*

Possit quispiam huc asciscere S. Felicis III. decretum, *epist. 6. d. tom 4. Concil.* quo Acacium Episcopum C. P. ordine Sacerdotali motum, a fidelium consortio segregavit; in quo causas enuntians, cur tabidum membrum a fidelium corpore fuisset dissectum, cum dixisset, eum hæreticos in suam communionem recepisse, verbis in ipsum conversis addit; *verum etiam aliis Ecclesiis, quod nec de Catholicis fieri poterat, præsidere fecisti*: quasi inter alia vitia ex hoc in eum sententiam tulerit Pontifex, quod illos extraneis Ecclesiis præfecerit. Qui sensus fortasse non videatur minus congruens decreti verbis, siquis ea cum Simplicii literis composuerit, & cum Hormisdæ *epist. 8.* ad Synodum Epiri veteris *tom. 4. Concil.*

Sed quia & aliò trahi possunt, nempe ad Acacii licentiam, qua sibi non subditarum Ecclesiarum jura turbaverat; nobis opus non est in tanta testimoniorum copia, quæ nemo nisi perfrictæ frontis, ac impudens cavillari audeat, dubias probationes in causæ nostræ patrocinium arcessere.

Gelasii aliquot loca expendimus dum de Cœlestini decreto pertractaremus, quibus illud ad omnia sacerdotia pertinere evicimus. Inter illicitas ordinationes, eam peregrinorum, & qui essent incogniti, connumeravit cum scriberet ad Clerum, & Ordines, ac plebem Brundusii, ut ex fragmento apud Cardinalem Deus dedit *cap. 46. tom. 4. concil. pag. 1226.* ibi; *quod etiam de peregrinis atque incognitis, vel expetentibus cavere debebit*. Quod idem fuit, ac mandare, ut peregrini a sacerdotiis amandarentur, cum tunc ordinatio, sive institutio a beneficio non sejungeretur, ut infra dicemus. Non

Non id ignorabant Patres, qui Epyri veteris Concilio interfuere, peregrinos Sacerdotiis omnino prohiberi. Qua de re cum in eorum Synodica epistola ab Hormisda Pontifice Maximo Joannis in Nicopolitanum Episcopum electi confirmationem postularent, eo præsertim nomine, quò facilius voti compotes fierent, Joannem commendarunt, quod in ea Ecclesia ab ineunte ætate educatus, nec sine laude versatus fuerat: *Qui consolatus est nos per vestras orationes demonstrans metropolitanæ Civitati in cunctis Sanctissimum Joannem, qui à pueritia in Ecclesia sine culpa nutritus, imo laudabiliter in ea degens, ita ut neque eum in his quisquam temporibus antecellat, zelo autem circa orthodoxa, juxta Apostolicas admonitiones vestras, nulli omninò cedens. Hunc ergo Dei providentia ordinavimus Præsulem.* In ea Ecclesiæ Orientalis nefanda perversitate, ac pervicacia, qua se a Romana Sede sciderat, electionem factam Pontifici ut probarent, non satis visum est monstrasse, Joannem a veneno, quod per illius viscera latè diffusum fuerat, se incorruptum servasse, non virtutes collaudasse, quas in Episcopatum erat inducturus; nisi sub aspectum quoque subjicerent, in ea Ecclesia, cui præponendus erat, illum prima sacræ militiæ rudimenta excepisse, ibique diuturna fecisse stipendia. *tom. 4. Concil. apud Labbæum, fol.* 1442.

Petierat ab Hormisda Dioscurus Diaconus, postquam Ecclesia Alexandrina in catholicam concordiam redierat, ut petitionem Sacerdotii illius urbis, quod summopere affectabat, apud Justinianum proveheret. Justissimo desiderio non defuturum pollicetur Hormisda *epist.* 54. *d. tom.* 4. *Concil.* quia illius Ecclesiæ ubera suxerat, in ea a teneris annis militaverat: *Nam sequenti tempore scribere Domino, & filio nostro Imperatori disponimus, ut te Alexandrinum Episcopum debeat ordinare. Justum est enim, ut ea, doctrina, & moderatione tua corrigatur Ecclesia, in qua præcipuè ab ipsis ætatis tuæ principiis militasti.* Quam frugiferum censuerit Ecclesiasticis Sacerdotiis Indigenas affici, hoc pacto professus fuit. Indigenis Sacer-

lasio acceptum ferant auctor Polycarpi, & Ivo Carnotensis in epistola ad Hugonem Archiepiscopum Lugdunensem, cujus initium: *causam Beluacensis*: hac in re animadversionis suę, veterisque diligentiæ oblitus. Siquidem in sua epistola Summus Pontifex utitur auctoritate Constitutionis Iustinianeæ, ac proinde ea scribi a Gelasio non potuit, qui cum Justinianus Imperii habenas suscepit, jam occubuerat.

Poscebant Syracusani sibi Episcopum constitui, cui uxor superstes, & liberi ex ea suscepti. Ejus causam agebat apud Pelagium Cethegus Patricius, qui cum enixè rogaverat, ut populi vota non essent irrita. Quamvis isti cuperet Pontifex morem gerere, attamen ab hoc ipsum avertebant Justiniani constitutiones, eum qui uxorē, & filios habeat, ab Episcopatu rejicientes; ut ex d. dist. 23. c. 23. ibi: *ob quod vel personæ qualitas, sicut & vos melius nostis, vel superstes uxor, aut filii, per quos Ecclesiastica solet periclitari substantia, nostros animos diutius ab ejus ordinatione suspenderent*. Hac de causa Pelagius ab ordinando ei Ecclesiæ Sacerdote, per annum ferè abstinuit: *Et quantum ad cautelam humanam pertinet, integro penè anno distulimus, opinantes, quod melius Syracusanorum provenire electio potuisset*. Sed quia in eadem Ecclesia nullus alius aderat, qui Episcopatus dignitate fungi posset, & periculosum nimis fuisset Ecclesiæ, clavum tradere ei, qui conjugis, liberorumque studio, ejusdem facultates posset diripere; cum diu Pontifex Maximus in ancipiti hæsisset, mediam quandam viam iniit, quo *Principalis Constitutionis* mens illæsa maneret, licet ab ejus verbis recederetur. Principalem Constitutionem dum arcessit, intelligit de Iustiniani Novella 6. qua cautum fuit, ut qui crearetur Episcopus, cœlebs esset, & orbus, idest uxore, & liberis careret; vel de una ex duabus Constitutionibus, quibus idem antea decretum, quæ quidem Græcæ ambæ, cum in Codice desiderarentur *in tit. de Episc. & Cleric.* beneficio clarissimorum virorum in eo fuere restitutæ, ut ex *l. 42. & 48. in edit. Gothofredi*, ea ratione, quam indicavimus, in *l. 42.* insertæ,

ne

ne ſcilicet Epiſcopus amori conjugis, ac filiorum indulgens, Epiſcopatus bona corraderet, compilaretque. Oportet enim Epiſcopum minimè impeditum προσπαθείας σαρκικῶν τέκνων, πάντων τῶν πιστῶν πνευματικὸν εἶναι πατέρα: *affectionibus carnalium liberorum omnium fidelium ſpiritualem eſſe patrem. Sed quia* (pergit Pelagius) *in voluntatis ſuæ propoſito irrevocabiliter perſtiterunt, & nullus eſt alius in eadem repertus Eccleſia, niſi longioribus adhuc temporum differretur ſpatiis, ne paulò amplius inſanirent* (*ſicut filii noſtri magnifici Prætoris teſtificatione didicimus*) *inter hujusmodi ambiguitates, illud conſultius judicavimus faciendum, ut congruâ providentiâ, cauſam propter quam Principalis conſtitutio habentem filios, & uxorem ad Epiſcoporum ordinem promoveri prohibet, ſalva diſpoſitione Conſilii, muniremus.* Quare cautionem hanc adhibuit, ut deſcripto diligenter inventario bonorum, quæ tunc deſignatus Epiſcopus poſſidebat, ſponſionem ab eo exigeret, nihil per ſe, ſuosve ex Epiſcopatus rebus intercepturum; eo addito, ut quicquid ex illius facultatibus quæreret, Eccleſiæ adquiſitum intelligi deberet, neque ulla ex parte ſuis poſſet relinquere: quę cum prçceſſiſſent, eum ordinavit. Subſiſtamus parumper in perpendendo hoc Summi Pontificis decreto, ex quo plura, eaque maximè nobis conducibilia edocemur; nempe non potuiſſe Epiſcopum adſumi, niſi ex eadem Eccleſia, quod ex iis verbis eſt planiſſimum, *& nullus eſt alius in eadem repertus Eccleſia,* & notavit Gloſſ. in ſpecie tex. proponenda, ibi; *& in illa Eccleſia non erat alius idoneus*: tanti ponderis fuiſſe extraneum, aut peregrinum Epiſcopum non fieri, illum ex Eccleſiæ vacantis ſinu legi, ut ne hoc prætermitteretur, Summi Pontifices Eccleſiam diu ſqualere σκολάζουσαν, viduam, electionem Paſtoris per longas moras differri, parvi fecerint: cum tamen can. 25. Concilii Chalcedonenſis non ultra tres menſes illam protrahi ſinat, injectis pœnis Metropolitis, ſi in longius tempus producatur, niſi cogente ineluctabili neceſſitate: viſam fuiſſe hanc ineluctabilē neceſſitatem, idoneum in Eccleſia illa, cui erat cōſtituendus Antiſtes, deficere; expectaturum fuiſſe Summum Pontifi-

cem,

cem, etiam ultra annum jam elapsum, si spes aliqua affulsisset post aliquod temporis, licet non breve intervallum, in eadem Ecclesia inventum iri, qui munus illud vacans obire posset; minorem canonum offensionem visam fuisse duplex illud vulnus, quod eis infligebatur, electione diutissimè protelata, Ecclesia filios, & uxorem habenti commissa, quam eam extraneo concredere; denique Iustiniani Novellas, aliasque leges, quod in sequenti dissertatione dicemus, ab Ecclesia Romana fuisse probatas, neque veritos Sanctissimos Pontifices earum auctoritatem usurpare. Sed & illud non possum inobservatum relinquere. Ait Pelagius: *inter hujusmodi ambiguitates illud consultius judicavimus*. Diù incertum fluctuasse vides quid consilii caperet. Facillimum huic fuisset se illo nodo extricare, si ex alia Civitate, & Ecclesia Episcopum advocare potuisset.

De Sancto Gregorio, cui inclyta gesta, Magni nomen peperere, quid dixerim? Si omnia loca ex ejus epistolis, quibus ut vetus institutum, ea Ἀποστόλων παράδοσις exactè servetur suadet, commendat, urget, in temeratores invehitur, huc transferre velim; justum ea volumen compleant. Sanè *in epist.* 55. *lib.* 1. Severo Episcopo Visitatori quomodo se gerere debeat in promovenda Episcopi electione in Ecclesia Ariminensi, in hunc modum præscribit: *Sed habitatoribus ejusdem Civitatis edicito, ut si in eadem Ecclesia dignum ad hoc opus invenerint, in ipsius cuncti electione declinent.* Si nemo idoneus existeret, indicat quinam in defuncti Præsulis locum succurrere potuisset. De eadem rescribens Ursicino Duci, Clero, Ordini, & plebi Ariminensis Civitatis, *sequenti epistola* 56; loco illorum verborum *in eadem Ecclesia*, hæc supponit *in eadem Civitate*, ut inde pateat has loquendi formas promiscue usurpari, quippe quæ idem sonent: *Sed si in eadem Civitate, qui ad hoc sit utilis invenitur, itaut a vobis reprehendi non possit, vestra concurrat electio; si verò ad hoc dignus inventus non fuerit, &c.* Igitur satis erat si quis utilis, vel dignus, foret, sivè ut ipse loquitur, *qui non posset reprehendi*, licet

ex.

externi alii se offerrent ad munus exercendum aptiores. Is autem sumi debebat ex his, qui erant *in eadem Civitate*, vel *ejusdem Civitatis*, ut in aliis locis passim; & consequenter Civis. Nam ea verba, qui ad advenam detorquere vellet, certè sibilis esset excipiendus. In *epistola* 58. ejusdem libri præfinit, ut electio fiat in Urbe Perusina ex his, qui illius Ecclesiæ stipendiis militabant, qua in re profecerat ex Cœlestino, & Pelagio, & filios Ecclesiæ ejusdem vocat omnes Cives, ac paræccianos. Item *lib.* 1. *epist.* 14. Panormitanis rescribit, nihil sibi magis cordi esse, quam ut Antistitem è suis habeant; *quia quantum est ad nostræ auctoritatis judicium, de suis volumus ut debeant habere Pastorem.*

Non secus *in epistola* 13. *lib.* 4. cum Maximiani Episcopi Syracusani obitum lacrymis prosecutus fuisset, & illius Civitatis tanto Pastore orbatæ vicem deflesset, præcepit, ut ex eadem Ecclesia alter in deficientis locum subiret. *Proinde dilectio tua sollicitudinem gerat, ut in eadem Ecclesia talis debeat ad ordinandum eligi, qui post Domnum Maximianum ejusdem regiminis locum, non videatur immeritò sortiri*. Eandem formam statuit servandam in electione Episcopi Ravennatis *dict. lib. epist.* 20. & 21. eandem *epist.* 16. *lib.* 6. in successore sufficiendo Bacandæ Antistiti: *Commonemus fraternitatem tuam, ut nullum de altera eligi permittatis Ecclesia, nisi fortè inter Clericos ipsius Civitatis, in qua visitationis impendis officium, nullus ad Episcopatum dignus, quod evenire non credimus, potuerit inveniri.* Ubi Glossographi. *Hoc multoties repetitum supra, &c.* Fuit hęc constans, perpetua, ac translatitia, & generalis formula, quam, quotiescunque agitur de novo creando Episcopo, quotiescunque Visitatori, & Clero, ac plebi ecclesiasticæ orbæ Pastore, quænam ratio ab ipsis ineunda sit in electione celebranda, prefigit; repetit usque ad nauseam legentium: ut *in epistola* 88. *lib.* 7. quæ ad Tadinatem Ecclesiam pertinet, & *in epistola* 90. quæ ad Auxinam *eod. libro*, & *lib.* 14. *epist.* 16. cujus verba Gratianus transtulit *in c. obitum dist.* 61. & *eod. lib. epist.* 18. Dum autem electionem

cir.

circumscribit Gregorius inter Clericos ipsius Civitatis in omnibus his epistolis, aliisque, quas consultò prætermisimus; donec inter eos aliquis se exhibeat non omnino indignus, eos præfert, qui Cives cùm essent, in Clerum fuere cooptati, & sacræ militiæ nomen dederunt in ea Ecclesia, cui Antistes est præficiendus. Nihil enim interest, an quis dicat Clericos Civitatis, an Clericos Cives, ut ex *l. in Ecclesiis, C. de sacros. Eccles. & can. 6 Concilii Chalcedonens.* & dum Civitatibus scribens alloquitur Clerum, & plebem Ecclesiæ cujuslibet illarum urbium, patet, eum Ecclesiam sumere pro fidelium congregatione, ut sumitur apud D. Paulum: *Ecclesia, quæ est Corinthi*, & alibi sæpe.

Adeò autem hoc perpetuum erat, & infixum animis Romanorum Pontificum: adeò ipsis invisum, a forma per sacros Canones, etiam ipsorum Apostolorum præscripta vel latum unguem discedere, ut cum vacante Neapolitana Sede morte Fortunati Episcopi suffragiis Cleri in duas partes scissis, a quibusdam electus fuisset Joannes Diaconus, ab aliis Petrus æque Diaconus, iique tamquam non idonei fuissent rejecti ex causis, quas refert Dadinus Altesserra in notis ad epist. Div. Gregor. epist. 40. & Neapolitani Clerici in hac Urbe, & in sua Ecclesia alium non adesse dignum, qui ad Episcopatus apicem evehi posset, præ se ferrent, Divus Gregor. Magnus non ipse statim alienigenam eis præponendum existimavit, neque illis, ut Extraneum deligendum curarent respondit; sed sui officii admonuit, ut alium ex Clero ipso, & Ecclesiæ gremio perquirerent: quia non sine eorum probro audiri potuisset, neminem in ipso inveniri, qui præfati muneris capax esset, ut perspicuum est ex ejus epistola 40. lib. 8. *& can. studii distin. 61. Studii vestri sit etiam alium, qui aptus sit providere, ut si forte Petrus, quem a vobis electum asseritis, huic ordini non videatur idoneus; sit in quem se vestra declinare possit electio; nam grave Cleri illius erit opprobrium, ut si hic fortasse approbatus non fuerit, alium se dicant, qui eligi debeat, non habere.* In qua epist. 40. glossæ

ad-

adnotarunt, *grave Cleri esse opprobrium, quando ex ejus Ecclesiæ gremio non assumitur.*

Ex quò Textu duo nobis liceat colligere; alterum verum non esse in Regno Neapolitano semper usitatum fuisse, ut ad beneficia alienigenæ admitterentur: alterum tantum abesse, ut a Romanis Pontificibus Cives fuerint exclusi sub prætextu, quod Exteri magis essent idonei, ut in Divi Gregorii magni reprehensionem inciderit Clerus Neapolitanus, obtendens neminem inter suos reperiri, qui ad exercendum Episcopatum aptus esset: quasi hoc non sine propriæ Ecclesiæ vilipendio, ac opprobrio diceretur; & expectasse sanctissimum virum quousque ex illius sinu nova fieret electio.

Qua in re æquo jure usum fuisse Regnum Neapolitanum cum cæteris Catholicæ communionis provinciis, evidens est etiam ex epistola ejusdem Gregorij 19. lib. 2. ubi vacante Cumana Ecclesia morte Liberii Episcopi, præscribitur Benenato Misenatis sedis præsuli Visitatori, forma, ac ratio electionis ipsissimis verbis, quibus aliis Ecclesiis eum præscripsisse diximus: ut nimirum nullus de altera eligeretur Ecclesia, nisi inter Clericos ipsius Civitatis nemo dignus extaret, qui Episcopus posset renuntiari, quod ait nullo modo evenire posse: & ex lib. 7. epist. 25. ubi Pastore carente Messenati Ecclesia (Ecclesia Messenæ, sive Miseni, quæ fuit olim urbs Episcopalis nostræ Campaniæ) Fortunato Episcopo Neapolitano, cui visitatio illius commissa fuerat, in procuranda novi præsulis nominatione per Clerum, & Plebem illius Civitatis, quid præstare debeat, imponitur eâdem omnino formulâ: *Commonemus, &c.* ubi Glossæ summa cum ratione notarunt; *Hæc porro, & sequens epistola 26. sunt exempla præcedentium, & veluti formulæ quædam generales.* Item ex epist. 15. lib. 2. qua interpellavit Ducem Campaniæ, ut conventum haberet Primorum Civitatis, ac populi, ne diutius electio Neapolitani Episcopi differretur: Sin autem nullus Neapoli se ostenderet, qui illi par esset fastigio, Romam tres spectatæ virtutis

viros mitterent, in quorum arbitrium electionem conferrent; quo pacto electio dicitur fieri per compromissum. *Sin autem aptam non invenietis, in quam possitis consentire personam, saltem tres viros rectos, ac sapientes eligite, quos ad hanc urbem generalitatis vice mittatis, quorum & judicio plebs tota consentiat.* Romam autem allegandos è Clero sumi vult epist. 35. additque, *ut quia diversi hic nobiles Civitatis Neapolitanæ præsentes sunt, una cum eis de Episcopali ordinatione tractare, & adjutore domino deliberare possimus.* Unde patet, etiam Gregorii tempestate abundasse hanc florentissimam urbem viris avita nobilitate conspicuis, eosque a populo fuisse discretos; quorum tanta auctoritas erat, ut ipsorum rationem haberet non parvam in Episcopi creatione.

Sed utrumque magis dilucidum redditur ex epist. ejusdem Divi Gregorii, quæ nobis se offert lib. 10. epist. 13. in collectione Gratian. *can. bene d. distinct.* 61. & nobis insigne exemplum suppeditat. Diù fuerat Aprutina Ecclesia in Samnitibus Pastore destituta, nec aderat, vel in Clero Ecclesiæ, vel in Diœcesi, quem sua merita commendarent, ut ea dignitate honestari posset. Non ideo putavit Divus Gregorius ex alienis Regionibus, vel Ecclesiis, Episcopum in illius regimen intrudendum; sed quia de probitate morum Opportuni cujusdam certior factus fuerat, præcepit Passivo Episcopo, ut illum ad se evocaret, curaretque, ut studiis operam dando in iis provectior fieret: in quibus cum non mediocres progressus habuisset, suaderet ei, vel ut in Monasterium intraret, vel inter subdiaconos adlegeretur, ad hoc ut post aliquod temporis intervallum, ad Episcopalem Cathedram posset adscendere. Perpendenda sunt verba Textus: *Bene novit fraternitas vestra, quam longo sit tempore Aprutium Pastorali sollicitudine destitutum, ubi* (scilicet in ea Diœcesi) *diù quæsivimus quis ordinari debuisset, & nequaquam potuimus invenire. Sed quia Opportunus* (quem ex antecedentibus constat indigenam fuisse) *mihi in moribus suis, in psalmodiæ studio, in amore orationis, valde laudatur, & religiosam vitam omnimodo agere dicitur,*

citur, hunc volumus, ut fraternitas vestra ad se faciat venire, & de anima sua admoneat, quatenus in bonis studiis crescat, & si nulla ei crimina, quæ per legis sacræ regulam morte mulctanda sunt, obviant, tunc hortandus est, ut vel Monachus, vel Subdiaconus fiat, & post aliquantum temporis si Deo placuerit ipse ad pastoralem curam debeat promoveri: quo loci Glos. in verbo *diù* adnotat: *argumentum quod differri potest electio, cum non invenitur idoneus; & licet aliqui intra tempus statutum iusto impedimento detenti non eligant, non privantur electione, ut est de rationibus*. Sanè si alienigena eligi potuisset, non erat cur ea res tam sollicitum haberet Gregorium. Sed quia constitutionibus Canonicis peregrinum, illius Ecclesiæ administrationi admoveri vetitum erat: id beatissimum virum angebat, qui cum idoneus tunc temporis ei non occurreret, satius habuit manere, donec aliquis habilis emergeret, quam externum Ecclesiæ præficere: quod magis inconveniens ei visum fuit, quam Ecclesiam interim sui Pastoris solatio carere.

Nec minus illustre exemplum est, quod nobis suggerit *epist. 76. lib. 7.* Vita functo Episcopo, Vivianensis Ecclesia Pastore deficiebatur. Nullus non modo in sacrario, & Clero, sed neque in universa Civitate præsto aderat idoneus successor: immò neque Sacerdotes in Ecclesia, aut Parochiis ulli existebant, ut ex iis verbis inspicitur. *Nunc verò venientes huc præsentium portitores prædictæ Ecclesiæ Clerici dixerunt, Sacerdotes se neque in eadem Ecclesia, neque in ejus Parochiis habere*. Hoc tanti non fuit apud Gregorium, ut Episcopum ex alia Ecclesia, vel Civitate eligendum decerneret, sed ut in ea Civitate, aut Ecclesia, cujus sedes vacua reperiebatur, dignus eâ quispiam perquireretur voluit, ut ex *vers. hortamur*: si perquisitus non inveniretur, Chrysantho Episcopo Spoletano Ecclesiæ Visitatori in mandatis dedit, ut tunc demùm aliquorum ibi fieret delectus, qui in presbyteros consecrari possent, *ut hac provisione* (ait Pontifex Maximus) *populus illic degens communionem, qua se privatos ob Sacerdotum necessitatem flebiliter conqueruntur, recepisse se gau-*

deant; & in Ecclesiis illis sacra Missarum solemnia deesse non debeant.

Ex hac epistola infert Glossator n. 3. Gregorii tempestatè insolitum fuisse, ut Presbyteri de diœcesi in diœcesim transilirent. *Nondum*, ait, *presbyteri de diœcesi in diœcesim transmigrabant; interim Missarum solemnia intermittebantur, communio non dabatur; non tamen deerant Clerici, sed pauci inter eos aut Sacerdotio digni, aut ad Sacerdotium anhelantes.* Sed hæc minus onerosa Ecclesiasticæ disciplinæ censenbantur, quam Sacerdotum defectio, aut adulterium, si ab Ecclesia, cui semel erant addicti, in aliam transirent. Miratur etiam Glossator tandiù Episcopatum vacasse. *Unum miror Episcopatum tandiù vacavisse repugnantibus canonibus. Quis verò tunc esset pœnitentiæ privatæ, aut publicæ usus, quæ officiorum divinorum forma, quis doctrinæ publicæ ritus, gratum fecerint, qui docebunt.* Verum enimverò mirari non debuit, quia quæcumq; incommoda minora videbantur, quam Episcopum ex alia Ecclesia, vel Civitate evocari, cui suus grex ignotus esset, & ipse suo gregi ignotus. Quod ne accideret, satius duxerunt Pontifices electionem sustinere, donec in Civitate alicujus idonei copia esset.

Iam nullus esset finis si omnia Gregorii loca, quibus id confirmat, persequi vellem. *Si quæ Civitates in provincia Siciliæ per Sacerdotum lapsus, vacare noscerentur*, Petro Subdiacono negotium dedit, ut eis statueret Antistites *de Clero Ecclesiarum ipsarum*, dummodo id possent mereri; *Si qui digni ad Sacerdotalem locum possint inveniri*. Consuetudinem contrariam, quæ aliquibus in locis inoleverat, penitus excidit: *veteri quæ jam inoleverat consuetudine postposita*. Si omnes immerentes forent, jussit ut sibi id renunciaretur; *Si verò vacantia quidem loca repereris, & nullus tali dignitate ex eadem Ecclesia congruus inveniatur, ad nos similiter inquisitione solerti renuncia, ut Deus, quem dignum talibus ordinationibus judicaverit, valeat providere.*

Cum autem decedente Episcopo, alius non occurrebat habilis, qui in ejus locum subrogaretur; ex quo in longũ

pro-

protrahenda erat electio:ne quid Ecclesiæ detrimenti caperent, solebat a Summo Pontifice mitti Visitator, sive Interventor, *quomodo* (verba sunt Joannis Dartis in Decretum Gratiani par. 1. dist. 61. versic. porrò sciendum) *misit Visitatorem ad Panormitanam Ecclesiam can. 16. & alium ad Catinensem can. 17. alium ad Aprutianam can. 18. nam aliquando diù manebat destituta Pastore Ecclesia, quod dignus Pastorali sollicitudine nullus reperiretur, can. 18. & si quis indignus electus fuisset, solebat interdum monere Papa, & expectare ut alius eligeretur, can. 15. hac dist. 61. & can. 13. dist. 28. in quo Papa expectavit per annum: vel etiam si quis satis literatus non reperiretur, sed qui esset probis moribus aliquis fortasse, & honestæ vitæ; hortabatur ut cresceret studiis, & interim fieret Monachus, tum Subdiaconus, & demum admitteretur ad Episcopatum can. 18.* Porrò id hac de causa potissimùm eveniebat, quia electio de indigenis facienda erat, & non nisi iis deficientibus ad externæ gentis homines recurri poterat; alioquin quidquam non erat, cur electio prorogari deberet, si ex universo Catholico grege quivis accipi potuisset. Cumque Capuanæ Ecclesiæ ob Festi Episcopi mortem vacanti, Gregorius Gaudentium Nolanum Præsidem Visitatorem destinarit, qua de re Clero Capuano scribit Neapoli degenti, nimirum propter hostilitatem Longobardorum, *ut ex lib. 4. epist. 13. & can. ult. quoniam dist. 61.* (quò pertinet epist. 26. lib. 8.) manifestissimum est ex hoc, aliisque canonibus, ac epistolis supra adductis, in Regno Neapolitano idem quod in aliis Ecclesiis Christiani Orbis religiosissimè fuisse servatum; ut propterea negari non possit fœdissimè labi, ac hallucinari, qui in Regno nostro comminiscuntur, semper moribus fuisse receptum, ut beneficia tam incolis, quam advenis promiscue ex collatorum arbitratu darentur.

Costantissimæ traditionis, ac regulæ incrementa per universam Ecclesiam sparsæ, ac propagatæ usque ad Magni Gregorii ætatem produximus. Quod superest, reliquos illius processus quambreviter exequamur.

Apo-

Apostolorum vestigiis insistentia Concilia, non esse ab hac regula declinandum, sive in Episcoporum electionibus, sive in beneficiorum collatione sanxerunt, & si qui ab ea deflectere auderent, contra hos pœnarum fulmina conjecere.

Equidem Rhemense Concilium anno 630. ut indigena eligi deberet cavit: cavit etiam ut si externorum aliquis ad cathedram obrepsisset, ab ea exturbaretur tanquam invasor; *Vt decedente Episcopo in locum ejus non alius subrogetur nisi loci illius indigena, quem universale, & totius Populi elegerit votum, ac provincialium voluntas assenserit, aliter qui præsumpserit, abiiciatur a Sede, quam invasit potius, quam accepit; ordinatores autem ab officio administrationis suæ Sedis cessare decernimus.*

In Concilio Romæ habito in Palatio Lateranensi anno 649. sub Martino I. quo nihil sanctius, nihil augustius mortalium laudibus erit unquam celebrandum; sive qui præfuit spectes, quem rite, atque ordine in Sanctorum album relatum scimus; sive reliquorum Patrum consessum, qui incorruptis moribus, vitæque integerrimæ, eximiam doctrinam, nominisque claritatem conjunctam habebant. In eo inquam veneratione dignissimo conventu, cum ab Ecclesia hæresim Monothelitarum, qua universus Oriens conquassatus fuerat, ac subversus, extorrem fecissent Patres; Cyro Alexandrino, Sergio, Paulo, & Pyrrho CPnis, eorumque sectatoribus, nigrum theta præfixissent, quia in Oriente hac de causa complures Ecclesiæ Rectore defectæ, quæ proinde cum essent novatorum insidiis, ac molitionibus expositæ, verendum erat ne errorum verticibus obruerentur, permulti Antistites non rectè, & secundum canones ad sacrũ ministerium perrexerant, hoc quoque ad suam sollicitudinem Synodus revocavit. Ex cujus sententia Martinus vices suas commisit Joanni Episcopo Philadelphiæ, ut Ecclesias ministris repleret præstituta regula, ad quam dirigere deberet electiones, ut nimirum in eos caderent, qui per suam conversationem

longo

longo tẽpore se probaverant iis, qui suo regimini erant subjiciendi; ac propterea fierent ex indigenis, & Clero urbico ex horum delectissimo flore conflato, ut ex epistola 5. Martini. *Quocirca, ne differas omnino dilecte implere juxta preceptum nostrum Episcopis, & Presbyteris, & Diaconis, qua istic sunt Catholicas Ecclesias* ἐν πᾶσιν ἀγαθοῖς μεμαρτυρημένων διὰ τῆς οἰκείας αὐτῶν ἀναστροφῆς, *qui per propriam eorum conversationem in omnibus bonis testimonium habeant*. Quomodo autem se gerere deberet erga Macedonium pseudo-Episcopum, ita eum instruit; *Ejus verò, qui falsò Episcopatus nomen sibi affinxit, Macedonii dico, importunas literarum minas, sive protestationem fortiter despuito, ut rabidi canis, & temerarii latratum*. Hunc ait falsò Episcopi nomen sibi affinxisse, eum a Catholica Ecclesia talem non fuisse agnitum. Sed qua de causa? eò potissimum quia alienigena, quia in externa regione Episcopatum occupaverat, ut ex iis verbis τοῦτον γὰρ οὐδαμῶς οἶδεν ἐπίσκοπον ἡ καθολικὴ ἐκκλησία, οὐ μόνον διὰ τὸ παρὰ κανόνας αὐτὸν ἐπ᾽ ἀλλοδαπῆς τῆς τοιαύτης ἀσυμφώνως, καὶ δίχα παντὸς ἐγκρίτου ψηφίσματος σφετερίσασθαι προσηγορίαν. *Hunc enim Episcopum catholica Ecclesia nullo modo novit, non solùm quod is præter canones in externa regione sine consensu, & absque ullo decreto, hanc sibi appellationem usurpavit*; & quamvis deinde eum damnet, quod hæreticis communicaret, exprimit tamen hæresis appendicem censendam, cum alienigenam, & ignotum fuisse Episcopatui obtrusum, ὅτινες καὶ πάρεργον τῆς ἰδίας αἱρέσεως τὴν αὐτοῦ φαυλίσαντες ἐσχεδίασαν Χειροτονίαν. Quô referenda sunt & ejus verba *epist.* 11. ad Ecclesiam Hierosolymitanam, & Antiochenam: *Macedonium hæreticum, quem contra canones sibi finxerunt falsum Antiochiæ Episcopum prædicti hæretici*.

Nec dubitandum est quin hæc omnia, quæ ad Joannem in iis literis scripsit Martinus, in Synodo decreta fuerint, cum id testetur in *epist.* 6. ad Theodorum Episcopum Esbuntiorum, in qua ait transmissa fuisse ad Joannem suum Vicarium quæcunque constabilita fuerant συνοδικῶς *in confirmationem, & defensionem Ecclesiæ Catho-*

tholicæ, *&* τῶν πατρικῶν καὶ συνοδικῶν αὐτῆς ὅρων καὶ θεσπισμάτων, *paternarum*, *ac Synodalium ejus definitionum*, *&* *decretorum*, quod & repetit epist. 7. 8. 11.

Ad indigenas quoque electio constricta fuit in Concilio Cabilonensi anno 650. congregato, cum Ecclesiam idem Martinus regeret, ut palam est ex canone 6. *Si quis Episcopus de quacunque fuerit Civitate defunctus, non ab alio nisi a comprovincialibus, Clero, & Civibus suis, alterius habeatur electio; sin aliter hujusmodi ordinatio irrita habeatur.* Dum enim statuit, Episcopum eligendum esse *à civibus suis*: hoc ipso declarat, ex civium numero eum esse oportere.

Quoniam verò Ecclesia Romana est, ac semper fuit omnium Caput, & Magistra; ex ea exemplum aliis, quod sequerentur, proposuit Stephanus Quartus in Concilio Lateranensi anni 769. coacto in Basilica Sancti Salvatoris adversus Constantinum, qui ex laicis Pontifex intrudi præsumpserat, fratrũ qui Romæ præpotentes erant: ambitu, ac auctoritate, ordinum susceptione præcipitata: neglectis interstitiis canonicis; in quod convenere præter Italiæ Epscopos, duodecim ex Gallia in divinis scripturis versatissimi, ut traditũ est *in Pontificali Damasi*, & refert etiam Anastasius in Stephano III. In eo Concilio plura fuere statuta, quæ nobis conferunt mirificè: Primum, ut nulli ad Petri Cathedram pateret aditus, nisi qui esset ex Cardinalibus Presbyteris, aut Diaconis ejusdem Ecclesiæ; *Oportebat ut hæc Sacrosancta Romana Ecclesia, juxta quod a Beato Petro, & ejus successoribus institutum, ritè ordinaretur, & in Apostolatus culmen unus de Cardinalibus Presbyteris, aut diaconibus consecraretur*: alterum ut laicis celsissimum illud culmen inaccessum esset, atque in hoc veluti speculo reliquæ Ecclesiæ intueri possint, nefas esse veteribus militibus suorum laborem mercedem præripi. De hoc ita Anastasius. *Tunc allatis sacratissimis canonibus, eisque liquidè perscrutatis, prolata est sententia ab eodem sacerdotali concilio sub anathematis interdicto, ne ullus unquam laicorum, neque ex alio ordine nisi per distinctos gradus ascen-*

ascendens Diaconus, aut Presbyter Cardinalis factus fuerit ad sacrum Pontificatus honorem possit promoveri. Tertium ut ex Episcopis à Constantino ordinatis, si qui prius fuerant Diaconi, aut Presbyteri, ad pristinum locum reciderent, nisi postquam à Clero, & populo Civitatis suæ expetiti fuissent, utpote iis accepti, exoratus Summus Pontifex, eorum consecrationem iterasset. *Et si placibiles fuissent coram populo Civitatis suæ, denuò facto decreto electionis, more solito, cum Clero, & plebe ad Apostolicam venissent Sedem, & ab eodem Sanctissimo Stephano Papa benedictionis suscepissent consecrationem*: quæ verba, *si placibiles fuissent coram populo Civitatis suæ*, documento sunt, Episcopos nisi ex civibus elici non potuisse.

Conciliorum Catalogo accensemus Constitutionem Caroli Magni, quæ exstat in Capitulari Aquisgranensi condito anno 803. cap 2. & in libro Capitul. ab Ansegiso collectorum cap. 82. in qua constituitur, ut Episcopus ex propria diœcesi suscipiatur: hocque dicitur decerni ab Imperatore Sacrorum canonum non ignaro, & secundum statuta canonum. Inter Concilia eam annumeramus, quia ex annalibus Anianensibus, & Canigonensibus, item ex annalibus a Lambecio editis, & Chronico Moyssiacensi patet, a Carolo mense Octobri anni 802. coactam fuisse universalem Synodum in Aquis, & in ea pleraque sancita fuisse, tam de politicis causis, quam de Ecclesiasticis. Hic conventus, Synodus magna appellatur in nota, quæ capitulari anni 803. subjecta est in Cod. Palatino, & Metensi, ex qua etiam agnoscitur, eam usque ad initium insequentis anni fuisse protractam. *Hoc fuit datum ad Aquis in tertio anno Imperii Domini Caroli Augusti, quando ibi Synodus magna fuit*: quam fuisse celeberrimam, testatur quoque Alcuinus in epist. ad Carolum Magnum præposita libris de Fide Sanctæ Trinitatis. Edidit autem tria illa capita, quæ leguntur in principio Capitularis Aquisgran. ex consilio Leonis Summi Pontificis, cujus Legatus Paulinus Episcopus ei Synodo præfuit, ut cernitur ex

Hincmari epist. 46. pag. 765. *Quod edictum ex integro Dominus Carolus Magnus Imperator cum interrogatione de Chorepiscopis per Arnonem Archiepiscopum ad Leonem Papam direxit, & ad ejus consultum aliud edictum de non dividendis rebus Ecclesiasticis, & de Episcoporum causis edidit, & Apostolicæ Sedis, atque auctoritate sua confirmavit, & per omnes metropolitanas Ecclesias Imperii sui servanda direxit*: qui etiam consulendus epist. 29. pag. 320. Cavendum autem ne quem improvidum fallat vetus nota adjecta in Cod. Rhemensi, & a Joanne Tilio in lib. 1. capitul. translata, in qua edictum Caroli ad tempora Hadriani refertur. Vel enim ejus auctor oscitanter lapsus, vel potius fuisse Leonis loco Hadrianum suppositum, vitio, incuriæve Typographi adscribendum.

Etsi vero doctissimus Sirmondus opinatus fuerit prædicta capita non esse tribuenda Carolo, sed Ludovico ejus filio, & Ansegisum oblitum propositi sui, cum librum primum Capitularium solis Caroli Ecclesiasticis legibus destinasset, has etiam Ludovici interjecisse; attamen ex Hincmari epist. 12. & ex Ivone refutat Sirmondum Christianus Lupus tom. 3. pag. 319. putans capita, quæ Carolus prius ediderat, recusa fuisse a Ludovico: *Quocirca*, addit, *sui propositi immemor non fuit Ansegisus, sed Capitulare semel sub Carolo Rege positum, non censuit sub Ludovico esse repetendum.*

Sed & ea Caroli Constitutio a Ludovico repetita, ac etiam in Capitular. anni 816. cap. 2. de qua Hincmar. epist. 12. cap. 3. & lib. 1. LL. Longobar. tit. 51. cap. 5. inter canones reponi debet, cum ea collectionem suam instruxerit Gratianus *can. sacrorum dist. 63.* non dissimulans eam tractam fuisse *ex lib. 1. capitul.* non invitis Summis Pontificibus, non invita Ecclesia, cum ea lege libertas electionum, in quas Regia potestas usque ad illud tempus nimia licentia grassata fuerat, Clero, & populo fuerit restituta. Juvat autem illius verba describere. *Sacrorum canonum non ignari, ut in Dei nomine Sancta Ecclesia suo liberius potiatur honore, assensum ordini Ecclesiastico præ-*

bui.

buimus, ut scilicet Episcopi per electionem Cleri, & populi, secundùm statuta canonum de propria diœcesi, remota personarum, & munerum acceptione, ob vitæ meritum, & sapientiæ donum eligantur, ut exemplo, & verbis sibi subjectis, usquequaque prodesse valeant. Ubi glos. vers. diœcesis *Nota pro Hugone, quod examinandi sunt omnes de diœcesi prius quam eligatur extraneus, ut dixi 61. dist. nullus.*

Nemini autem ignotum est, canones Conciliorum provincialium non tantum locum habere in suis provinciis, sed etiam in universa Ecclesia, cum libris, ex quibus jus Pontificium constat, sunt inserti; quomodo *de cap. 2. de Const.* ex Synodo Gallicana Meldensi deprompto ajebat Franciscus Florens ad *tit. de constit.* qui etiam subdit, Synodorum Gallicanarum non mediocrem in universa Ecclesia fuisse auctoritatem.

Quò videtur respexisse Carolus Crassus Imperator, qui, ut refert Joannes Octavus epist. 281. Genevensi Ecclesiæ electionem *perenniter de proprio Clero* concessit; quo privilegio idem anno 885. donavit Ecclesiam Cabillonensem, ut ex ejus præcepto, quod excudendum curavit Petrus a Sancto Juliano dein impresso tom. 3. Conciliorum Galliæ; & sub idem tempus indulsit Ecclesiæ Paderbornensi, ut narrat auctor vitæ S. Meinnuerci cap. 7. quibus non dissimile præceptum a Brouvero lib. 9. annalium Treuirensium editum, quo Carolus Simplex anno 917. jussit ut post obitum Ratbodi Archiepiscopi Trevirensi, de ejusdem Ecclesiæ filiis pari consensione a Clero, & populo electio fieri deberet.

Jam vero notum est, ut id obiter moneamus, in Capitularibus *lib. 1. c. 81.* comprehensum fuisse, ut quod de Episcopatibus aliisque Sacerdotiis diximus, ad Abbatum quoque promotiones pertineret, quæ cum illis æquo jure censerentur.

Hinc in Conventu Vormatiensi, privilegio Monasterio S. Remigii Senonensis concesso, cui permulti Metropolitæ, ac Episcopi subscripsere, quodque Ludovicus Pius suo diplomate ratum habuit; Abbatis electionem

prius Principum arbitrio, ac voluntati mancipatam, in libertatem vindicans, ita ea libertas restituta, ut intra ejusdem Monasterii Claustra esset conclusa: ut ex annalibus Fuldensibus a Pithæo editis, Duchesnio, & Conventus ejusdem monumento a tenebris eruto per Labbæum intexto *tom.7. Concil. fol.* 1680. cujus verba subjungimus: *At vero Episcopus, qui pro tempore Auctore Deo præfuerit Abbatem de eodem Monasterio, eum videlicet, quem omnis congregatio sibi ordinandum poposcerit, & sinceritas morum, & bonorum actuum probitas commendaverit, si inter eos talis inveniri quiverit, ordinandum procuret*. Sin verò talis in Monasterio non existeret, cui cæteros parere par esset, ejusdem Diœceseos finibus eligendi facultas deberet circumscribi. *Quod si talis inter eos minime inveniri potuerit de eadem parochia, vel Diœcesi Senonica, consentientibus Sanctis Coepiscopis ejusdem Diœcesis, & circumpositis Venerabilibus Abbatibus, ei præficiendum, atque ordinandum provideat.*

Rogante Carolo Magno Imperatore, Hadrianus Primus Ermemberto Archiepiscopo Bituricensi pallij usum concessit. Concessit autem non invitus, quia ei Metropolitæ dignitas in sua patria obtigerat, ut testatus fuit epist. 9. ibi; *Quia civitas Metropolis in Aquitania videtur esse patria, quæ Bituricas nuncupatur, ubi nunc præfatus Venerabilis vir præesse dignoscitur, curamque pastoralem devotus exercere videtur*. Qui etiam Tilpino Archiepiscopo Rhemensi cum suę Ecclesię jura confirmasset *epist.* 15. id quoque expressit, ut ipso decedēte nō posset quis extraneus, ex alia Ecclesia in eam sedem adoptari, hanc submonens esse sacrorum canonum traditionem: *Et hoc interdicentes, ut nullus audeat juxta sanctorum canonum traditionem, ex alio Episcopatu ibidem translatare, aut constituere Episcopum post tuam ex hoc sæculo evocationem*. In quibus verbis cum non solum interdicat ne quis possit ex alio Episcopatu transferri, sed etiam ne possit quis constitui Episcopus, qui sit ex alio Episcopatu, & hæc duo ponat tanquam distincta, & diversa; vim faceret manifestam non modò verbis, sed menti etiam Pontificis Maximi, si quis antedi-

dictam clausulam ad solam translationem vellet restringere.

Quales in Ecclesia Pastores eligi deberent docuit Concilium Aquisgranense anno 816. e Sanctissimorum Patrum libris depromptis, ac in medium prolatis apertissimis, gravissimisque sententiis can. 23. ut nimirum decerperentur ex his, *qui in locis regiminum positi apparent primi.*

Commonente Ludovico, Pio Eugenius Secundus Pontifex anno 826. Concilium Romæ convocavit; quod Hincmarus Rhemensis in epistola Caroli Secundi nomine ad Joannem VIII. scripta, fuisse indictum inquit, frigescente jam veteri disciplina; *cum ipsa tepesci executio aliquatenus cæpit*: cujus meminere Anselmus Lucensis, Ivo, Baronius, Antonius Augustinus. In hac Sacrosancta Synodo Cœlestini, ac Leonis Magni decreta Eugenius instauravit nominatim; *Quod si in eadem Ecclesia dignus non inveniatur, tunc alter de altera eligatur Ecclesia.*

Nec prætereundum Conc. Vernense secundum anno 844. in quo cum de Ecclesiæ Aurelianensis deploranda conditione Patres præfati fuissent, ut in ejus cōmiserationem Carolum Calvum Regē excitarent; *Aurelianensis etiā Ecclesia maxima confusione noscitur laborare*, ut tantæ illius vastitati remedium afferret, non aliud succurrisse Uveniloni, quam eam committere Agio presbytero *ex eodem loco* addiderunt: quod expressum, ut Princeps ad præstandum assensum esset proclivior, cum agnosceret electionem conformari institutis Canonicis, & factam ex Ecclesiæ utilitate; *ex eodem loco Agium presbyterum memoratæ Ecclesiæ ordinavit probabilium Canonicorum, ac laicorum attestatione instructus, & petitione impulsus*. Cum esset Agius *ex eodem loco* non posse eum a Principe non admitti putarunt; *hujus rei alium exitum non videmus nisi, ut vestra pietas, quod a tantis viris factum est ratum esse permittat.*

Cœlestini, & Leonis decreta renovavit etiam Leo Quartus imperante Lothario anno 853. in Concilio Romano, in quo Anastasius Cardinalis depositus fuit, hoc

præ-

præhabito; *ut ex his, quæ sive ad disciplinam Ecclesiasticam, sive ad salutem animarum profecto nostrarum congruum conspicitur fore, secundum suę divinę majestatis consultum, &c. salubriter cogitemus*. De hac re ita Anonymus in breviario Synodi Leonis Quarti, cui Luitprandi nomen falsò tribuitur apud Labbæum tom. 8. Concil. pag. 123. *Confirmavit quę Cœlestinus, & magnus Leo de Episcopis instituerant, videlicet, ut non conveniat Episcopum consecrari nisi a Clericis, & populo fuerit postulatus; & cum in eadem Ecclesia dignus non inveniatur, tunc primum alter de altera Ecclesia eligatur, & quamvis necessitas eveniat, tamen invidiosè nullo modo consacretur.*

Juvat superaddere quid de hujus Concilii Canonibus sub Leone IV. editis, existimarit Anastasius. De Leonis pietate, ac gestis scribens ait; *Volens itaque, sicut & factum est, ex priscis auctoritatibus novam Christo juvante formam proponere, qualiter unusquisque Deo, &c. in omnibus complaceret; tunc demùm Sancti Spiritus ei gratia revelante consilio Serenissimorum Hlotarii, & Hludovici Imperatorum, &c.* qui etiam infra de eisdem capitibus inquit; *quæ profecto ad salutem, & lucrum omnium Christianorum hominum pertinere noscuntur.*

Congruit & Concilium Valentinum tertium anno 855. can. 7. ibi; *ut in Clero, vel in Diœcesi certè ipsa, vel si opus sit in vicinia ipsius probata, & officio digna persona quæratur, vel eligatur, quæ inventa, consensu totius Cleri, & populi, ad honorem Dei, Civitati ipsi præficiatur.* Quod tamen juris canonici dispositionem ad solum Civitatis Clerum arctare noluit, sed eam ad Diœcesim integram, id est Presbyteros quoque rusticanarum paræciarum produxit, ut & Capitularia produxerant.

Ejus Concilii Canon septimus confirmatus fuit in Synodo habita ad Saponarias. Ipsius autem verba ita leguntur apud Hincmarum de prædest. cap. 36. fol. 318. *atque ita aut in clero, aut in populo, aut in Diœcesi certe ipsa, vel si opus sit in vicinia ipsius*. Scilicet Concilium veluti quosdam gradus facit, ut regendo Ecclesiæ clavo idoneus prius perquiratur in Clero, dein in populo,

postmo.

poſtmodum in tota Diœceſi,poſtremò in ipſi propinquo loco. Parum accuratis exſcriptoribus, aut typopraphis, verbum *in Populo* excidiſſe veroſimile eſt.

Eadem tempeſtate Concilium Ticinenſe Ciſalpinorum Epicoporum, cum Eccleſiam quoque regeret Leo IV. indictum petente Ludovico Imperatore ob eluenda vitia, quæ in diſciplinam Eccleſiaſticam paulatim irrepſiſſe per ejus Imperium ſentiebat;hanc definitionem protulit: *Et primùm quidem ipſius loci Presbyteri, vel cæteri Clerici idoneum ſibi rectorem eligant; deinde populi, qui ad eamdem plebem aſpicit, ſequatur aſſenſus;ſi autem in ipſa plebe talis inveniri non potuerit,qui illud opus competenter peragere poſſit, tunc Epiſcopus de ſuis,quem idoneum iudicaverit,inibi conſtituat.* Ex quibus verbis proſpicimus in eo religioſiſſimorum antiſtitum Conſeſſu, de omnibus dignitatibus, & beneficiis legem conſcriptam,ut qui iis eſſet decorandus, ex ipſa plebe, ex ipſis civibus peti deberet:&viſum Patribus ſufficere ſi hic mediocri rerum uſu,& peritia,ac dexteritate, ad officium accedat: *ſi opus competenter peragere poſſit*, quamvis non deſint ex alienigenis merito celſiores, ac præſtantiores.

Inſtitutum Monaſterii Corbejæ in pago Ambianenſi, juſque,*ut eligendi Abbatem de ſuis ſemper haberet poteſtatem*, cum retuliſſet Benedictus Tertius *epiſt. 3.* ut quod eſſet Canonicum,confirmavit; ut nimirum *poſſent quemcumque de ſeipſis dignum tamen paſtorali prælatione eligere*: & Lotharium Ludovicum, ac Carolum Auguſtum hortatus eſt,ut ei non conſtituerent Rectorem ex alio Monaſterio, ſuggerens id non eſſe, *ſecundum regulam*, immo *contra omnem Eccleſiaſticum ordinem*.

Carolum Craſſum anno 864. Nicolaus Primus, cum uſum, qui in Gallia invaluerat, aſſumendi Epiſcopos non ex Eccleſiæ gremio,vocaſſet violationem canonum temerariam; ne eam peſtem amplius in ejus regionibus gliſcere pateretur,neve in electionibus a Cœleſtini decreto diſcederetur, qua ſuaſionibus, qua minis adortus eſt ea epiſtola,cujus verba ſupra exſcripſimus.

Con-

Conturbatas sacras regulas, proculcatos canones, Clericos Ecclesiæ Senonensis gravissima injuria affectos, nihili habitos, quos omnibus aliis non antecedere erat scelestum, summo cum eorum dedecore, ac vilipendio extra Ecclesiam quæsito Episcopo; non modo in literis ad Regem datis, sed etiam ad ipsum Egilonem pro pallio instantem, indignissimè se ferre fassus est idem Pontifex, ut ex epist. 20. in append. *Perhibes enim te non de Senonensi Ecclesia extitisse, sed de quodam Monasterio ad Episcopatum ejusdem Ecclesiæ pervenisse, quod nos ubicunque fiat, cum fit, maleficè ferimus, & graviter omnimodis ducimus, pro conculcatione scilicet sacrorum canonum, & aspernatione Clericorum, qui crescentes in sua Ecclesia, & virtutibus operam, & bonis moribus honestatem, ac sapientiæ studiis diligentiam impendisse, per singularum ætatum incrementa probantur.* Frustra subtexuit, in suæ causæ præsidium advocare Egilonem consensum Episcoporum floccipendendum; cum non in tuendas paternas regulas, sed earum fundamenta diruenda conjurassent: *Quid autem suffragatur consensus Episcoporum, ubi non pro regulis paternis, sed contra regulas adunatur?*

Canone dein Cœlestini ipsum aggreditur, hæc arma in ipsum immittit. *Tum quippe alter de altera eligendus est Ecclesia, cum de Civitatis ipsius Clericis, cui est Episcopus ordinandus, nullus dignus potuerit inveniri.* Hac generali regula objecta, ab omni verisimilitudine alienissimum esse apud se, fuisse apud decessores suos, ait, id posse evenire in ampla præsertim diœcesi; *Quod evenire in tam ampla Diœcesi, nec nos credimus, nec prædecessores nostros Apostolicæ Sedis Præsules credidisse reperimus.* Quibus verbis respectum habuit ad illud *evenire non credimus*, sæpissime ab aliis Pontificibus hac in re usurpatum. Dignissimum, quamvis vacanti munere, si cum idoneo ex eadem Ecclesia pugnet, manus dare justissimum ducit, etiamsi sanctitatis fama clarescat, elegantissima ratione reddita; *Cujuscunque itaque sit sanctitatis dono quilibet præditus, alienos non debet labores præripere: quippe cui jubetur, nihil eorum, quæ proximi sunt, aliquo modo concupiscere:*

eò

eo enim ipso quò quis alteri pertinentia jura subripit, sanctitatis gratiam perdit. Nam quæ Sanctitas vindicat mercedem alteri debitam? quæ Sanctitas alterius sibimet fructus usurpat? Sin secus fiat, proteri non solùm sacras regulas, sed etiam Evangelicam legem; *Unde etiam quia super hac parte, ad sacras regulas Patrum minus quam oportuit est respectum, saltem ad Evangelicas fuisset paginas properatum, in quibus legitur, quia cum milites quid facturi essent, Ioannem Baptistam interrogarent, protinus ab eo inter alia, ut contenti essent stipendijs suis, audiere præceptum. Ubi considerandum est, si militibus sæculi, ut suis sint stipendijs contenti, a Ioanne plusquam propheta jubetur, quanta pæna puniendi sunt milites Christi, qui quoquomodo in stipendia obrepunt aliena.* Tandem in hæc definit: *Verum quid opus est nos hæc affatim exaggerare, quæ sanctitas tua nos cogit interim dissimulare? Porrò cum ad te, tuosque compatriotas, & consacerdotes in regionibus illis constitutos, ubi peculiarius habetur ista temeritas, literas Apostolatus nostri, patrios vobis canones rememorantes, & hinc vos communiter admonentes, Deo Duce designaverimus; oportebit utique a vobis, vel a quoquam nihil tale de cætero fieri: alioquin præsumptorem, & circa sancta decreta contumacem, eorundem involvi decretorum jure sententijs.*

Coloniensi, ac Trevirensi Ecclesiis, quarum Episcopos Guntharium, & Thetgualdum ordine moverat, ut novi ex propriis filiis præficerentur Antistites, mandavit idem Nicolaus, *ut ex epist.* 55. ad Ludovicum Regem Germaniæ: *Hinc etiam, ut novi Treverensi, & Coloniensi Ecclesiis Antistites darentur injunximus, videlicet qui nec per Theutgualdi, & Guntharii dudum Episcoporum, nec per jam fatæ Vualdradæ favorem proveherentur; sed canonice a filiis, & de filiis nominatarum Ecclesiarum electi, ab his qui earumdem Ecclesiarum Antistites soliti sunt consecrare, regulariter ordinarentur*: quod ipsum jussisse ex Imperatoris Ludovici Capitularibus, existimat Christianus Lupus. Quin etiam protestatur, Lotharium, qui Romam proficisci cogitabat, non passurum ut ad se posset accedere, *nisi de proprio Clero in Agrippinensi Colonia, & Trevirensi*

Ecclesia Episcopos ordinari permiserit. Quod & innuit epistola 58. ad Episcopos in Regno Ludovici constitutos, ibi: *Atque in præfatis Ecclesijs, ordine quem ei dictavimus, Antistites ordinare permittat.*

Quod Hilduinus extrarius Cameracensem Ecclesiam Lotharii ope rapuisset, vehementissime fuit commotus idem Nicolaus Primus, ut ex epistola 63. Quocirca Episcopis, qui in illius Regno aderant, nisi Principem a pervertendis divinis regulis revocassent, sacris interdicturum, & ab Ecclesiæ corpore divulsurum minatur; *Quapropter præcipimus vobis, ut suggeratis filio nostro Lothario glorioso Regi, & ei, ut nullum Ecclesiæ Cameracensi præjudicium inferat, summopere suadere curetis: quatenus jam fato Hilduino submoto, ex se eligendi juxta sacros Canones Episcopum, Clero, & plebi ipsius Ecclesię licentiam tribuat; nam si hanc nostram prçceptionem, Apostolicam contempseritis, scitote vos pro inobedientia, & pro consilij pestiferi veneno, quo jam fatum Regem semper inficitis, a nostra communione penitus submovendos*. Hilduinum nisi anathemate feriant, hanc pœnam irrogat Episcopis; *a communione Dominici corporis, & sanguinis, estote, divinâ, & nostræ mediocritatis sententiâ, cum eodem longius sequestrati*. Testatur denique, Ecclesiam semper viduatam mansuram quousque de proprio Clero fieret electio; *Siquidem cujus rei gratia ultra decimum mensem, contra sanctarum regularum diffinitionem*, Cameracensem *Ecclesiam sine Rectore Episcopo de proprio* Clero *electo viduatam permanere permiseritis, nosse proculdubio volumus, & cujus neglectu omissum sit, solerti prorsus examine reperire; & qua quis sit dignus ultionis pœna mulctare, Deo auctore, nulla contenti dilatione studebimus.*

Idem testatur in epistola 4. quam Lothario inscripsit verbis asperis nimium, facinoris causa quod in rei divinæ contumeliam patrarat, religionis stimulis concitatus, ibi; *ut Ecclesiæ Cameracensi, quæ suo ecce per decem mensium spatia est destituta Pastore, viduata manens, contra venerabilium canonum instituta, inibi Episcopum consecrandi, aut aliquid juxta suum ministerium disponendi, nullam*

om-

omnino potestatem habere permittas. Quam cunctis Christianis legibus detestandam præsumptionem, a gloria tua contra Ecclesiasticas institutiones, minimè perpetrari optamus, neque aliquo modo patiemur. Illum subinde coarguit utpote regalis officii in Ecclesiarum tuitione oblitum, quippe quo Auctore, ac adjutore, externus Hilduinus in viduatam Ecclesiam involasset. *Quoniam si Regum est proprium, rebelles corporis motus rationis Imperio refrænare, ac regere; debuerat utique Excellentia tua in omnium Regni tui Ecclesiarum defensione adesse, & minimè Metropolitani Rhemorum jure soluto, in Parochiis Regni tui, viduatæ Ecclesię Hilduinum aliunde constituere pervasorem.* Si monitis suis non paruerit, anathema ipsi intentat; *noveris te citissimè mucrone Ecclesiastico feriendum, ita ut ulterius talia in sanctaDei Ecclesia perpetrare formides.* Cumuli loco, adjicit Hilduinum a fidelium consortio sepositum: *Pervasorem vero Cameracensis Ecclesiæ, Hilduinum nomine, scias a Corporis, & Sanguinis Domini nostri Iesu Christi communione penitus segregatum, & ab omni Christianorum consortio sequestratum.*

At vero Hilduino quæ probra non ingerit? Quibus non eum maledictis, ac diris incessit? epist. 65. ibi; *Diceris enim quod contra statuta Sanctorum Canonum Ecclesiam Cameracensem invaseris*, & mox; *Ecce per decem jam menses viduatam eandem Ecclesiam detineas*, & inferius; *& quoniam licet humana quædam potestas permittat, divina tamen Canonicaque censura, te in eademEcclesia consecrari nequaquam consentit.*

Exarserat adeo Nicolaus Primus, cum Egilo Senonensi Cathedræ fuit impositus, adversus eas Ecclesias, quas in Gallia eo lethali veneno imbutas compererat; ut mirandum non sit, si pauco post interiecto tempore, nempe anno 867. Concilium Tricassinum, ut Pontifici Maximo, qui generali decreto invectionem illam canonibus inimicam penitus excindere cogitabat (quod ni fieret, extimescendum erat, toto Provinciam corpore perniciem excepturam) tanquam juri consentaneam probaret electionem Hincmari, S. Dionysii prope Parisios Monachi, in Archiepiscopum Rhemensem, abruptionem ca-

nonum, studuerit medicamine aliquo oblinere. Equidem Gallus erat Hincmarus, in literis sacris exercitatissimus, omnibus virtutum numeris absolutus. Populus, & Clerus unanimi consensione ei sua suffragia detulerant, quemadmodum & omnes provinciæ Episcopi. Sed quia Rhemorum Ecclesiæ operam navarat nullam, non satis habuere Concilii Patres hæc omnia Pontifici testata facere, nisi & illud adjicerent, præcedente missione sui Archiepiscopi Senonensis, proprii Episcopi Parisiorum, aliorum Senonensis provinciæ Antistitum, ac Abbatis, & monasterii, in quo degebat, eorum veluti Sacramento exsolutum, in Ecclesiam Rhemensem fuisse transcriptum, & ejus cardini insertum; factum etiam Carolo Rege adprobante, *ut ex Conc. Galliæ tom. 3. pag. 356. Vnde*, &c. (ipsi quos numeravimus recensent) *favente etiam Domino Carolo Rege Glorioso, Episcopis Rhemensis provinciæ, & Clero, ac plebe ipsius, metropolis per canonicas literas ipsorum subscriptas manibus frater Hincmarus est traditus*. Exinde inferebant, cum jam Clero Rhemensi insitum, potuisse ad vacantem gradum prosilire; *Sicque de proprio jam Ecclesiæ ipsius Clero effectus, in ea est ordinatus*. Paucis rem perstringit Christianus Lupus ad Concil. Roman. anni 1059. *Et hinc Hincmarum Sancti Dionysii prope Parisios Monachum, a Comprovincialibus Episcopis, & Rhemensis Ecclesiæ Clero, & populo postulatum Archiepiscopum, antequam eligeretur, fuisse laudatæ Ecclesiæ incardinatum, affirmant acta Synodi Trecensis*.

Verùm ut ingenue fatear, hoc fuit canonum tenere verba, non mentem: immò potius sacris regulis illudere, ut jure ajebat Thomasin. par. 2. lib. 1. cap. 86. n. 16. *Flexuosus is erat circuitus, ut in speciem saltem reverentia quali scunque Canonicis regulis haberetur. Nec enim is scopus fuerat, non ea Canonum mens, ut traducerentur uno temporis puncto, unius Ecclesiæ Clerici in aliam, & mox ibi raperentur ad summa columen dignitatis. Eo collineant Canones, ut Ecclesiarum regimen eis committatur, qui in eis ab adolescentia stipendia fecerint, qui bene de eis diu meruerint, qui laboribus sudoribusque*

busque suis excoluerint eas , & rigaverint ; eoque jam ij non sint, quibus hesterni hospites praeponantur .

Quia tamen fraus canonum sententiae facta videbatur, ea Hincmari ordinatio magnis concertationibus,ac velitationibus causam dedit. Evitare non potuit, quin Ebbo alterius Ebbonis nepos, qui cum à Ludovico Imperatore defecisset ejectus a Sede, dein ei a Lothario redintegrata dignitate, ipsam ejuraverat,in cujuslocum Hincmarus fuerat subditus; ipsius electionem contumeliose proscinderet: non effugere,quin omnium mentes persuasio incesserit, can. 7. Conciiii Valentini in odium Hincmari, quasi non canonicè ad dignitatem perrexisset, conflatum fuisse ; quod nec ipse dissimulat *dict. cap. 36. de prędestin.* Ex quo etiam deprehenditur, nimium ejus animum exulceratum fuisse ea praefatione can.7. cujus jacula in se directa fuisse pro certo habebat. *Et quia indiscussi, & inexaminati, scientiaque literarum penè ignari, minusque Apostolicae praeceptioni adpropinquantes, peccatis nostris agentibus, per Civitates Episcopi ordinantur, qua occasione maxime vigor Ecclesiasticus deperiit.* Quin & Guntharius,& Theodgaudus,& Arduicus, ejus criminis, cujus reum peregit Halduinum, apud Lotharium ipsum insimulabant, ut ex epistola, quae legitur tom. 8. Conc. pag.762. ubi arguitur: *non ex illa fuisse Ecclesia, in qua ambitione, & favore potentatus,inthronizatus esse dignoscebatur.*

Ut paucis absolvam, ea de re,quousque vitales auras exhausit, suae conditionis incertus Hincmarus, licet in Consilio Suessionensi causam suae promotionis instruere sategerit, cum Cleri, & plebis petitionem, & ob defectum habilium in eadem Ecclesia,ad vicinam ut esset subsidio,necessario transeundum fuisse,prętendisset, prout ex Concil. act.2. ne tandem ea decideret maximo pavore percellebatur: qui timor adeò ipsum invasit, ut supremae Romanae Sedis auctoritati nimia temeritate bellum indicere ausus fuerit contra omne jus fasque, Patrum mentem, & vetustissimam consuetudinem: non potuisse, qui in ea Synodo exauctorati fuerant, ad Ro-

manum

manum Pontificem provocare blaterans, ne si hac parte Concilii acta infirmarentur, etiam sua electio vacillaret.

Et quamvis Cellotius Hincmari defensionem susceperit adversus Gotescalcum, & Concilium Valentinum in quæstione de prædestinatione; attamen non adeo contentionis ardore se abduci, atque abripi passus est, ut decretum Concilii Valentini in can.7. disciplinam tangens, omnium justissimum non fuerit professus. Dum enim *hist.Gotescal. lib.4. c.22.* exponeret ea canonis verba, *ut in Clero, populo, &c.* sibi temperare non potuit, quin diceret; *Nihil iustius: nam & postea Nicolao Pontifici doluit, Egilonem a Carolo Rege Senonensi Ecclesiæ datum esse Archiepiscopum, eæque translationes in posterum fieri vetitæ. Hincmarus autem Senonensis erat Provinciæ, non Belgicæ Secundæ, cujus Metropolitanus Rhemensis est.*

Nec ipsi in mentem venit Hincmaro de hac re litem instituere, sed ut tetigi, sibi blandiebatur, suæque institutioni excusationem parabat ex eo, quod in Ecclesiam Rhemensem translatus, eique ascitus fuerat, cum ii, quibus subjectus erat, suo jure cessissent, & ex lege charitatis, qua necessitate ita postulante, una Ecclesia alteri adesse debet, ut ex iis verbis inspicitur. *Sed notandum, quia quædam de preficiendo Civitati Episcopo decreta omiserit, aut oblivione captus, aut conscientia stimulatus. Cautum siquidem inter alia Sacri Canones decreverunt, ut de alia Ecclesia petitus, vel sumptus is, qui fuerit ordinandus Episcopus, non sine placito, vel literis ejus Episcopi, cujus fuerat Clericus ordinetur: concessa specialiter Carthaginensi Ecclesię nota necessitate licentia.* Similia penè sunt, quæ inspersit schedulæ porrectæ in Concilio Suessionensi tertio apud Labbæum tom.8.Concil. pag. 283.

Sed & idem Hincmarus in Ebbonem adversarium suum telum retorquebat, ipsumque ajebat, in sacras regulas vim fecisse, arrepto Episcopatu Gratianopolitano, cum esset ab ea Ecclesia extraneus; *Revertatur igitur hic derogator noster ad suam conscientiam, qui contra sacras regulas ab Ecclesia, in qua fuit tonsus, & ordinatus discedens, ad alias*

Pro-

Provincias convolavit, & Canonica excommunicatione devinctus, irregulariter usurpavit regimen, & sibi, ac ordinatoribus suis, necnon, & subditis adauxit discrimen, sicut Leo Papa demonstrat. Et in eodem Concilio Suessionensi tertio *d. tom.* 8. *fol.* 827. Vulfadum incusabat præcipuè, quod *extra provinciam, in qua fuerat baptizatus, Lingonensem Ecclesiam Pastore viduatam usurpaverat.*

Immò si quis ab Ecclesia alienus in eam insiliat, quemadmodum in Ebbone usuvenerat, acerbè atque aculeatè ait *de prędest. loc. cit.* dubitandum non esse, quin hunc sacri canones aversentur, hunc non tam dicendum consequi regimen, quam rapere, hunc non intrare per ostium, hunc furem esse, ac latronem. *Ergo qui contra sacros canones, Spiritu Dei per organa sua conditos, & totius Mundi reverentia consecratos, ad Ecclesiæ regimen provehitur, non intrat per ostium in ovile, sed ascendit aliunde, ac per hoc fur est, et latro, de qualibus dicit Psalmista Domino: Dejecisti eos dum allevarentur. Cum allevatur enim dejicitur, qui honoribus proficit, & moribus deficit. De quibus Dominus per Prophetam queritur dicens; Ipsi regnaverunt, & non ex me; Principes extiterunt, & non cognovi; à se namque, & non ex arbitrio summi Rectoris regnant, qui sua cupiditate accensi culmen regiminis rapiunt potius, quam adsequuntur; quos tamen internus Judex, & provehit, & non cognoscit, quia quos permittendo tolerat, profectò per judicium reprobationis ignorat, & in talium provectione non est, ut Leo dicit, Populis consulere, sed nocere, nec præstare regimen, sed augere discrimen*. Uno verbo: licet de aliis quæstionibus inter se dimicent Ebbo, & Hincmarus cum Cellotio suo, Concilium Valentinum, ac Suessionense secundum; in hoc concordant, ut exteris beneficia non sint committenda.

Photii ad sedem Constantinopolitanam provectio nonocentesimo sæculo, magnas in Ecclesia dissensiones, ac turbas excitavit; adeo ut undique commotis discordiarum fluctibus, seditionum procellis, iis agitata religio, penè naufragium fecerit. Sed superimpendentis schismatis horrenda facies, ejusque jacta semina, quo verendum erat, ne Ecclesiæ ædificium a fundamentis

qua-

quaeretur, non retardavit Nicolaum Primum Pontificem Maximum, quin Photii rapinam vehementiùs insectaretur, quod non ex ipso sacrario, ex ipso Clero susceptus, sed neophytus in cathedram irrupisset. Tanti Pontificis literæ actis Synodi Octavæ act. 4. fuere intertextæ; quibus non modo in Photium omnibus velis, remisque invehitur, sed etiam Ecclesiam Cpnam illius ambitione, ac Sancti Ignatii ejectione devastatam reparaturus, Michaelem Imperatorem hortatur, *ut tales alere omni religione eruditos studeat viros, qui ad honorem cardinis ipsius Sanctæ Ecclesiæ, Præsulibus mortuis, vel quolibet casu, aut modo decedentibus valeant subrogari, quod non solùm in tanto Patriarchatu observari omninò debet, verùm etiam in singulis quibusque Civitatibus, ex consuetudine Canonica, magna cum cautela servatur, & custoditur.*

Cum vulnus hoc in dies magis, magisque recrudesceret, ut tot malis quibus Ecclesia vexabatur, finis imponeretur; congregata in urbe Constantini Oecumenica Synodo Octava, præsidentibus Apostolicæ Romanæ Sedis Legatis; Nicolai Primi eo in consessu recitatis epistolis, communibus Patrum suffragiis fuit Photius Patriarchatu exturbatus.

Quin etiam in eo sacrosancto Concilio, generali canone decretum fuit, ut qui in Ecclesia militarunt, in ea beneficia consequantur, & ad majores dignitates veluti per gradus scandant; extranei autem, & qui sunt foris ἔξωθεν, ut loquitur Athanasius, mercedem iis debitam non auferant, ut ex can. 15: *Quoniam quidem dicit alicubi divinum eloquium, dignus est operarius mercede sua: hujus rei gratia, & nos decernimus, atque promulgamus, ut magnæ Ecclesiæ Clerici, qui in subjectis ordinibus morati sunt, ad majores gradus ascendant, & si digni claruerunt, melioribus perfrui mereantur honoribus, cum aliqui eorum, qui in ipsis sunt, aut per incrementum ad majora ministeria advocati fuerint, aut per communem naturæ terminum dormientes defuerint. Sed non ex illis, qui foris sunt, aliqui se iis innectentes, debitas eis, qui multo tempore laboraverunt, dignitates, vel honores accipiant, ac*

per

per hoc inveniantur Ecclesia Clerici nullo modo posse proficere. De quo canone Landmeter de veteri Clerico, & Monacho cap. 30. *Extat praeterea Constitutio generalis Concilii Constantinopolitani, ut non nisi, qui in eadem Ecclesia militarunt, ad majores gradus promoveantur.* Idem ait *Lupus in Scol. ad can.* 13.

Celebratissimi Concili Canon non modò nostrum argumentum maximè provehit, sed etiam apertissimi juris, quo nitimur, confessionem, vel ab ipsis Adversariis possit exprimere; tum quia, ne veteranis postmissis, quive a pueris in Ecclesia longos exhauserunt labores, extranei Ecclesiasticis reditibus locupletentur, interdicit gravissimè, secundum ea, quæ scripsit Nicolaus Primus in allatis literis, ac præterea *in epist. 7. tom. 8. Conc. fol.* 287. *cap.* 1. *ne* (ut ait peroptimè) *is qui de foris est, alterius ovilis Christi repentè principatum accipiat, & nitatur, quos esse suos non recognoscit, discerpere, & grex dominicus incipiat eum utpote extraneum, & improvisum omninò contemnere, eum perspiciat nil sibi stipendia profecisse meritorum, & alienum suorum cernat consumere fructus laborum*, & ipsissimis verbis *epist.* 9. *fol.* 357. *&* 11. *fol.* 377. *in fin.* qui etiam *epist.* 12. *fol.* 378. ait, nihil esse *inconvenientius, inordinatius, atque confusius*; tum etiam quia, ut supra diximus, statuit prærogativam illorum, qui sunt ex eadem Ecclesia, deduci ex juris divini fontibus, quemadmodum Nicolaus, cujus literarum modulo canonem metiri Patres existimarunt *epist.* 11. illam assignat juri divino tam veteris, quam novi testamenti, adducens Divi Ioannis Baptistæ Oraculum, quo voluit, ut quisque contentus esset stipendiis suis; illud idem, quo & Egilonem objurgavit, *& epist.* 4. ubi ait, Photium fuisse ad Sedem protrusum *contra ordinem divinum*: cui suffragatur libellus Synodicus Syn. Constantin. in Blachernis ibi; φώτιος οὖ παρὰ τοὺς θείους, καὶ ἱεροὺς κανόνας τῷ θρόνῳ ἐπιλαβόμενος, *Photius igitur cum præter divinos, & sanctos canones thronum conscendisset*, & Hadrianus II. in epist. quæ est in Conc. 8. act. 4. *dict. tom. fol.* 982. ubi adversus Photium usurpat Leonis verba; *nec putandus est honor ille legitimus, qui fuerat contra divinæ legis præcepta collatus*: &

ſi arreptitios Eccleſiæ filiis anteire contingat ; ſimul cum iure divino conculcari, & obteri ius naturale (ut antea oſtendimus) exclamat, ita corripiens Photium, qui dicebat, *hęc non in lege ſuſcepimus; Sed audi, & expaveſce, quod rurſus idem dicit Apoſtolus: Quicunque enim ſine lege peccaverunt, ſine lege peribunt*, & infra; *Quoniam etſi legem per Moyſen datam non acceperunt, acceperunt tamen legem naturæ, quæ niſi corrupta fuiſſet, lex Moſaica data non eſſet; quam videlicet legem naturalem nunc a te non inconvenienter exigimus, qui gloriaris ſanctorum tantorum Pontificum edicta nullatenus recepiſſe.*

Cum autem ſe Photius exemplo Nectarii tueretur, qui licet è Clero Eccleſiæ CPnæ non eſſet, ad Patriarchatus culmen pervenerat; illud quicquam ei non prodeſſe,& NicolausPrimus in ſuis literis,& Patres, qui in eo Concilio aſtitere dijudicarunt: eo quod illum *Sancta ſecunda Synodus* (verba ſunt epiſt. Nicolai conc. 8. act. 4.) *non ob aliud ad Sacerdotalem eligere, atque ordinare ex laicali voluit dignitatem, niſi quia magnæ neceſſitatis contritione anxiabatur, eò quod in Conſtantinopolitana Eccleſia nullus Clericorum inveniri poterat, qui peſſimæ hæreſeos nimboſa caligine non fuerat impeditus. Et ob hoc, ne diu jam dicta Eccleſia ſub deſtitutione Paſtoris quaſi viduata maneret, prædictum Nectarium expugnatorem Hæreticorum, & Defenſorem Eccleſiarum, ad Eccleſiaſticam curam,& dignitatem Sacerdotalem ſecunda ſancta Synodus elegit, ſed ut hoc iterum fieret, non confirmavit, nec inſtituit.* A quo ſcopo non aberrat quod ſubditur eadem epiſtola, quæ eſt ipſamet 6. d.tom.8. fol.285. *ecce propter neceſſitatem,& inopiam Clericorum Nectarius* (ſcilicet promotus fuit) quibus verbis manifeſtum facit, antehabendos fuiſſe, qui in canonem relati erant, ſi eorum aliquis ab Ariana contagione integer emineret.

Et quamvis poſteà ad reſtinguendas contentiones, ſedandaque Reip. Chriſtianæ diſſidia, ex diſpenſatione, & Oeconomia, fretusSanctorumPatrum exemplis,quorum plurima in ſuas literas contulit Ioannes Octavus, Photio veniam indulſerit, eumque reſtituerit: attamen ne hoc in exem-

exemplum cederet, ita statuit: *Decernimus, ut post hujus Patriarchæ obitum nullus de laicis, vel curialibus in Patriarchatus eligatur, & consecretur honore, nisi de Cardinalibus Presbyteris, & Diaconis Constantinopolitanæ sedis, secundum sacros canones spiritu Dei conditos, & totius mundi reverentia consecratos.* Deinde adjicit, si electio non fiat ex Ecclesiæ familia, ac militibus, qui ibi stipendia fecerunt, eventurum, *ut totius familiæ Domini status, & ordo nutet, omnis Ecclesiastica disciplina resolvatur: omnis ordo turbetur.*

Id vero commune esse tam Episcopatui, quam aliis Ecclesiasticis gradibus, sive beneficiis ex argumento, quod premit Ioannes, confici potest; *Nam si in quibuslibet Ecclesiæ gradibus* (ita differit Pontifex) *providenter, curandum est, ut in domo Domini nihil sit inordinatum: quanto magis elaborandum est, ut in electione ejus, qui supra omnes gradus constituitur, non erretur?* Hujus argumenti vis in causa est, ut sæpius de Episcopis expressum legamus, quod in omnibus Sacerdotiis procul dubio obtinet.

Et si verò complures causæ intercesserint, cur præter omnium spem, ac expectationem Photius a Ioanne in sede fuit repositus, ut refert Baronius anno 879. pag. 550. Græcum Imperium viribus, ac potentia excrescens in Italia, ad quod Beneventani, & Capuani a Francis defecerant: Romana Ecclesia non solum a barbaris, sed etiam proximis Christianis Comitibus vexata: spes, in quam Pontificem Basilius erexerat, Campanię, Latiique littora, & Hetruriæ liberandi a Saracenorum incursionibus: bonum pacis, & scissarum unio Ecclesiarum, qua dilata, graviora prioribus pericula instabant: Basilii technæ, quibus eum circumegit, falsò testatus Photii restitutionem experi ab his etiam, qui ab adversa stabant parte, nempe quos ordinaverat Ignatius, & ejus decessor Methodius; attamen effugere non potuit, ut non omnium animos opinio pervaderet, tentare ausum fuisse, ac perficere, quod nullus ex decessoribus, *suadente istud prudentia carnis, inimica Deo, & Ecclesiæ semper adversa*, quæ Baronii sunt verba, qui subjicit: *Hæc inquam, Orthodoxo-*

rum omnium commovere animum vehementer, tamquam indignum facinus Romano Pontifice, penès quem plus valeret, & majoris esset ponderis gratia Imperatoris, quam Sanctissimorum Prædecessorum scriptis obfirmata, & juramentis stabilita de Photio numquam recipiendo sententia.

Et hinc originem sumpsit fabula de Ioanna Papissa, ut idem Baronius prosequitur. *Quod igitur Ioannes Papa loco supplicii persolverit præmia scelestissimo viro, magnam existimationi suæ, & Cathedræ Pontificiæ notam inussit. Hinc puto factum (si quæ tamen veritatis, vel saltem species mendacii apertissimi esse potuit) quod ob nimiam Ioannis animi facilitatem, & mollitudinem, abjecta penitus omni virilitate, fractus animo, Sacerdotalis constantiæ expers, atque robore enervatus, non Papa, ut Nicolaus, & Hadrianus, sed Papissa fuerit contumeliæ loco dictus; ut pote quod qui resistere nesciret Eunucho, quique vinceretur a semiviro, non vir, sed esset fœmina potius nuncupandus; & sic nomen contumeliæ transierit posteris rerum inscijs in veritatis opinionem, atque ita a compluribus decantatum fuerit, Ioannem VIII. Papam fuisse feminam, sicque jactata vulgo invenerit eo modo locum fabula. Ejusmodi planè scommatibus proscindi sæpe solere levioribus de causis Romanos Pontifices a maledicis, & ociosis, quis Romæ versatus ignorat? Certe quidem non maledicos tantum, sed & sapientes, atque prudentes provocasse adversum Ioannem Pontificem, quę dicentur inferius, demonstrabunt, jam in eum omnibus redditis infensissimis, quod una legatione prodegerit tot tantosque bene insumptos labores, totque sudores sanctissimorum Pontificum Nicolai, & Hadriani Prędecessorum.*

Ioannem Octavum hoc nomine pessimè vulgo audisse, Papissamque appellatum scribit etiam *Raderus in præfat. ad Concil. 8.* qui tamen addit, Summum Pontificem in publicum ambonem progressum, iterum anathemati subjecisse Photium a se antea restitutum, & Catholicos Græcos nunqnam spadonem pro restituto, ac legitimo Patriarcha agnovisse: Latinos verò, & Romanos Pontifices, omnibus modis eam suisse execratos.

Ut autem quivis perspiciat, neque ipsum veterato-

rem

rem Photium, neque ipsos schismaticos pessimè in Romanam Sedem animatos, immò ejus hostes infensissimos, nostræ Apostolicæ traditioni contradicere ausos, omittendum non est, flagitiosissimum virum, cum Synodum octavam falsasset, cum Ioanni VIII. fucum fecisset, simul hujus literas interpolasse, ac corrupisse; quas licet pene totas depravasset, attamen puduit eum delere, quod ille decreverat, ut post Photii obitum deligeretur Patriarcha ex Cardinalibus Presbyteris, vel Diaconis Ecclesiæ CPnæ. Constat id ex subdititiis, ac confictis literis, in quibus, quod dixerat Ioannes de Presbyteris Cardinalibus, & Diaconis ejusdem Ecclesię, post eorum expressionē protenditur ad alios Sacerdotes, verùm sub eadem Ecclesia consistentes, ἢ ἐξ ἄλλων ἱερέων τῶν τελούντων ὑπὸ τὸν θρόνον Κωνσταντινουπόλεως, & quod Pontifex ex suæ potestatis jure statuerat, immutatur, quasi Basilio, Leoni, & Alexandro suaderet, ut id lege sancirent, καὶ τοῦτο θεσπίσαι παραινοῦμεν τὴν ὑμῶν θεοφρούρητον βασιλείαν: & quod magis est, adjicitur, id conforme esse non solum sacris, sed divinis canonibus κατὰ τοὺς θείους καὶ ἱεροὺς κανόνας, subdens ὡς ἂν μὴ ἐναντίως τῇ ἐκκλησιαστικῇ εὐταξίᾳ καὶ τοῖς πατρικοῖς κανόσι τὰ καθ' ὑμᾶς διαπράττηται, *ne scilicet contra rectam Ecclesiastici ordinis constitutionem, & paternos canones aliquid apud vos agatur*: & mox ἵνα ἐν τῷ οἴκῳ κυρίου μηδὲν εὑρεθῇ ἀσυνθετον, μήτε ἄτακτον, *ut in domo domini nihil inveniatur incompositum, aut inordinatum*; quod ni fiat, omni asseveratione affirmatur, oriri totius Ecclesiasticæ disciplinæ dissolutionem, μή πως ἐκ τούτου κατάλυσις ἀναφυῇ πασῶν τῶν ἐκκλησιαστικῶν διδαχῶν, ut patet ex suppostitia epist. *tom. 8. Conc. pag.* 1466. a quibus non absunt aliæ ad Clerum Cpnum, ad Photium, & Episcopos, quas idem homo versutissimus concinnavit, *fol.* 1475. 1479. 1483. *in fin. &* 1487.

Idque liquidius fit ex his, quæ evenere in pseudo-Synodo, quam anno 879. post mortem Ignatii coegit Photius, ipsis Pontificiis Legatis Paulo, & Eugenio in fraudem illectis, octavum Oecumenicum concilium antiquare frustra conatus. In eo Conciliabulo, in quo

prout

prout libitum est, omnia fixit, refixitque, perlectis Ioannis literis, quas adulteraverat; noluit ut omnia quæ in iis continebantur, a Synodo admitterentur; sed ea tantum, quæ in sui confirmationem erant constituta, & ad ejus laudes, & præconia spectabant. Proposito eo capite, quo laici ab Episcopatu prohibebantur, ut refert Auctor *admonitionis ad lectorem de pseudo-Synodo Photij tom. 8. conc. fol.* 1442. quia illud propter Photii electionem editum videbatur, non uno modo ipse, suique sectatores studebant infringere, cum tamen in Synodo, quam habuit adversus Ignatium can. 17. idem de promotione laicorum, cuius reus erat, statuisset ipse Canonum Perversor; ut *ex nomocanone*, & d. Synodi can. 17. fol. 1524. d. tom. 8. in quo etiam hæc habet. *Et si enim huc usque quidam ex Monachis, & laicis exigente necessitate, Episcopali honore statim digni facti sunt, qui & virtute excellenti fuere, & suam Ecclesiam in altum extulere.* ἀλλὰ τὸ σπάνιον οὐδαμοῦ νόμον τῆς ἐκκλησίας τιθέμενοι, ὁρίζομεν τοῦ λοιποῦ μηκέτι τοῦτο γίνεσθαι: *Id tamen quod rarò evenit, Ecclesiæ legem nequaquam statuentes, decernimus, ut id deinceps minimè fiat.* Alteram vero partem, qua peregrini a Patriarchio pellebantur, ipsis Photianis piaculo fuit respuere, licet eo temperamento dicerent se eam amplecti, dummodo quis idoneus reperiretur in Cpna Ecclesia, ut idem auctor scribit δεύτερον ἐν ταῖς ἐπιστολαῖς κεφάλαιον περιείχετο δεῖν εἰς ἀρχιερέα Κωνσταντινουπόλεως προάγεσθαι ἐκ τοῦ πληρώματος τῆς ἐκκλησίας ἐκείνης, καὶ οὐχ ἑτέρωθεν. οἱ δὲ Φωτιανοὶ ἀντιφέρονται, καὶ πρὸς τοῦτο, μὴ βουλόμενοι τὸ ῥηθὲν ἀποδέξασθαι, ἀλλ' εἰ μόνον, εἰ παρεῖν ἐν τῷ Κωνσταντινουπόλεως κλήρῳ ὁ δι' ἀρετὴν ἄξιον χειροτονηθῆναι δυνάμενος. *Alterum caput quod in epistola continebatur, erat, ut ex Constantinopolitana Ecclesia, non aliunde, deligeretur Episcopus: quod etiam Photiani conantur infringere; negant enim id locum habere, nisi quis idoneus repertus fuerit in Constantinopolitana Ecclesia, qui eligi possit.* Quod tamen meritò relatus auctor reprehendit, quia fieri nequit, in magna præcipuè Civitate, ut non adsit qui meritò ad Episcopatum pergere possit. ἀλλὰ καὶ τοῦτο εἰκότως διωρίσατο ὁ

Πα-

Πάπας. Ἐπειδὴ γὰρ τοιούτοις χρὴ τῷ κλήρῳ ἐγκαταλεγέσθαι, ἐξ ὧν ἄν τις δύναιτο ῥαδίως εἰς ἀρχιερωσύνην ἀνάγεσθαι κατ᾽ ἀξίαν, ἄλλως τε ἐν πόλει τινὶ πολυανθρώπῳ, οἷα τυγχάνει οὖσα ἡ Κωνσταντίνου, ἐν δίκῃ ἂν τὸ πατριαρχικὸν ἀναδέχοιτο ἀξίωμα ὁ κληρικὸς ἐκείνης τῆς ἐκκλησίας. quæ verba ita vertit Interpres: *Verum cum tales ordinádi sunt Clerici, ut in ijs facilè queat reperiri, qui ad Episcopalem dignitatem meritò promoveretur, præsertim in magna aliqua Civitate, qualis est Constantinopolis: jure Summus Pontifex statuit, ut Constantinopolitanus Patriarcha ex ejus Ecclesiæ Clericis deligatur.* Hocque idem auctor, qui omnia penè decerpsit ex Niceta in vita S. Ignatii, roborat Cœlestini decreto, τοῦτ᾽ αὐτὸ πάλαι προδιώρισο καὶ ὑπὸ Καιλεστίνου Πάπα τοῦ πρώτου ὥστε ἐξ ἑτέρας ἐκκλησίας λαμβάνεσθαι τινα εἰς ἐπίσκοπον ἡνίκα ἐν τῷ κλήρῳ τῆς πόλεως τῆς ἐπιψηφισθῆναι ἄξιος εὑρεθείη. *Quod item Cælestinus Primus antè decreverat; ut scilicet tunc alter de altera eligatur Ecclesia, si de Civitatis ipsius Clero, cui est Episcopus ordinandus, nullus dignus (quod evenire non creditur) poterit reperiri.* Quapropter, quemadmodum *Possevinus in apparatu* ajebat, testimonia Photii, apud quem tot leguntur encomia de S. Cœlestino, Leone, & Gregorio, de Majestate Pontificia, eò majus pondus habitura, *quò Sedi Apostolicæ ille fuit infensior, ut non tam hostium dona, quam spolia de ipsius manibus eripiamus*; ita & nos concludere jure possumus, oportere ut certissima, ac firmissima sit ea regula, quam ipse Photius, ejusque asseclæ, licet omnem pudorem abjecissent, inficias ire veriti sunt.

Post tot Nicolai I. luculentissima testimonia, quæ omnem in re nostra controversiam tollunt; supervacaneum fuerit subtexere, eundem epist. 24. de Monasterio Corbejensi sanxisse: *Abbatem vero Fratres ipsius Monasterii de se ipsis eligendi semper babeant potestatem.* Et mox. *Non Canonicum, ac laicum, neque alterius Monasterij Monachum.* Idemq; sanxisse de monasterio S. Carilefi epist. 62. *Abbatem vero de se eligendi fratres Cænobij S. Carilefi semper habeant potestatem.* Supervacaneum etiam adjungi, non dissentire ab his Nicolai epistolis, præceptum Lotharii Imperatoris pro Monasterio Ambrosiano datum anno 841. excu-

sum.

ſumque a Ioanne Petro Puricello in Monumentis Baſilicæ Ambroſianæ pag.184. Concilium Calchuthenſe c.5. ibi: *ex ipſis eligantur Paſtores*: præceptum Karlomanni filii Ludovici Balbi pro Monaſterio Arremarenſi: ibi. *Niſi ex ipſis, qui regulariter ibi ſunt ab infantia nutriti, & ſecundum Sancti Benedicti inſtitutionem ex ſeſe, non ex alijs haberent eligendi licentiam Abbatem*: item Odonis privilegium pro eodem Monaſterio: *ex ſeſe non ex alijs habeant eligendi licentiam Abbatem*: Et Urbanum II. qui confirmans privilegia Monaſterii Sancti Pauli Narbonenſis, electionem præſcribit faciendam *de ſuo Collegio: de alieno autem ita demum, ſi neceſſe fuerit.*

Interea Apoſtolica traditio, & decreta Sanctorum Pontificum ei conſentientia, adeò omnes Chriſtiani orbis oras occupaverant; ut rectiſſimè Ioannes Octavus in laudata epiſt. hos canones dixerit Spiritu Dei conditos, & totius mundi reverentia conſecratos: quod vel ex forma electionum, quam per ea tempora viguiſſe liquet, ex antiquis formulis promotionum epiſcopalium a doctiſſimo Sirmondo collectis, impreſſis *tom.2.Concil. Gall. & tom.2. capit.* a Baluzio poſt formulas Marculphi, & Lindebrogii, inſpici poteſt.

Diem functo Epiſcopo, accurante Clero, & populo, ad Metropolitanum referebatur, qui Viſitatorem allegabat, ut electionem promoveret, quæ a canonica auctoritate diſſentiens non eſſet, concepta formula, & ad eum remiſſa, quam in conventu pro facienda electione indicto recitabat: ut ſacrarum regularum reminiſcerentur in eo munere ſincerè obeundo, eos, ex quibus conventus conſtabat, hortabatur Viſitator, hortabantur Principis miſſi, ſeu miſſi Dominici, ut eos vocabant, qui plerumque præſentes aderant. Congruentibus in aliquem ſuffragiis, decretum ſubſcribebatur ſuadente Viſitatore, qui illud ad Metropolitam tranſmittebat, cui accedebant aliquorum e Clero, & ordinibus, ac populo teſtimonia. Expectato Regis conſenſu, ut erat, eliciendus paſſim, juxta illorum temporum morem,

rem, convocatis a Metropolitano Coepiscopis condicta die, prævio canonico examine, ordinatio electi celebrabatur.

In tota hac solemnitate cunctis, qui in illius partem veniebant, nihil erat antiquius, quam ne quid committeretur adversus traditionem Apostolicam τὴν πατροπαράδοτον ut Petrus vocavit, sacros canones, ac decreta majorum; potissimum ea, quibus cautum est, ut ne eligantur alienigenæ, qui non sunt ex Clero, vel ex Ecclesia, ignoti homines, nuperi, adventitii.

Hoc in primis Metropolitani in suis literis inscriptis tam Visitatoribus, quam Clero, & plebi, commendabant, urgebant. Id in formula, quæ illis præstitui consuevit, quæque adstante Clero, ac populo legebatur, studiosè, diligenterque exigebant, ut ex epistola Hincmari Rhemensis formula 2. data ad Hedenulfum Ecclesiæ Cameracensis Visitatorem, in qua ait Hincmarus; *formam autem electionis qualiter, & qualem eligere debeant, tuæ dilectioni transmitto, quam publicè coram omnibus tua solertia relegi facias, ne de ignorantia se quilibet excusare prævaleat*: & formul. 3. Qualis autem fuerit ea formula, dignoscitur ex ejusdem Hincmari epistola ad Clerum, & populum Beluacensem form. 4. *Deinde ut de Ecclesia vestra, sive sit in Civitate, sive in Monasteriis his disciplinis institutum, & ita Apostolicæ formæ convenientem, de Diaconibus, vel Presbyteris, eligatis vobis, auctore, & fautore Domino, consecrandum Episcopum, &c. & si, quod absit, de Civitatis, ac Parochiæ vestræ Clericis ordinandus Episcopus nullus dignus, vel idoneus summo Sacerdotio, quod evenire non credimus, poterit inveniri; tunc alterum de altera diœceseos nostræ Ecclesia, &c. eligere procurate*: qua proposita eis præcipit, ut eligant, qui a decretis Siricii, Innocentii, Gelasii, Cœlestini, Leonis, atque Gregorii non discrepet. Ejusmodi autem formulam nemo non videt, esse ex Divo Gregorio mutuò acceptam.

Hoc idem Visitatores in eorum præcipuè memoriam revocabant, qui ferendis suffragiis, vel præbendo consensui, testimonioque dicendo advocati fuerant; tum

verò, si qui Principum nomine assistebant, primùm omnium, ut religiosi canones, ij præsertim, qui normam eligendi proximè declaratam præscribunt, ante suffragantium oculos ponerentur, eorumque sensum, auctoritatemque plane intelligerent, satagebant; ut ex formula 6. in qua Missi Imperatoris Ludovici ita Clerum, & plebem electionis causâ congregatam alloquuntur; *Notum sit omnibus suis fidelibus, qui in ista Parochia consistunt, ideo nos huc missos fuisse, ut concessam ab eo potestatem inter uos eligendi Sacerdotem adnuntiaremus*. Mandant deinde, ut recitatio fiat Apostolicarum sententiarum, ac canonum, præcipuè decretorum Innocentii, Gelasii, Cœlestini 18. & 20. quæ a nobis supra expensa fuere, & Leonis. Deum Optimum Maximum suadent rogare, ut eis Antistitem Civem, & de sua Ecclesia concedat; *Deum omnipotentem pariter invocetis, ut non de aliena Ecclesia Sacerdotem vobis mittat, sed de ipsa familia, si dignus in ea aliquis fuerit inventus, dare dignetur; sæpe enim inter eum, qui de aliena Ecclesia fuerit Pontifex factus, & inter gregem sibi commissum scandala, & contentiones oriuntur, & peccatis facientibus fit lupus, qui debebat esse Pastor, & semper inter eos, ut ait Apostolus, foris pugnæ, intus sunt timores*. Denique electionem faciendam semper ad meros cives contrahunt, *ut eum, quem meliorem, & doctiorem, & bonis moribus ornatiorem in ista Congregatione conversari noveritis, &c.* Facta nominatione, in patriam electi inquirebant, qua in Ecclesia altus esset, ac educatus exactè explorabant tum Missi, tum Visitatores, qui dum ad Metropolitanum referrent, earum conditionum, quod nimirum designatus ex Civibus esset, ex Ecclesiæ filiis, populo non ignoratus, non ingratus, potissimum mentionem faciebant.

Earum etiam expressio ante omnia in testimoniis Cleri, Civium, ac populi continebatur, ut ex form. 11. ibi; *ne Civitas non optatum Episcopum, aut contemnat, aut oderit, & fiat minus religiosa, quam convenit, cui non licet habere quem voluit*, quod decerptum est ex epistola Leonis 84. cap. 5. & mox; *Hedenulfum Ecclesiæ nostræ filium, & in Eccle-*

sia

sia nostra, suffragantibus stipendiorum meritis, ad onus usque Sacerdotale promotum vita, & moribus, & sancta conversatione idoneum approbatum; & form. 12. ibi: *Invenimus hominem ex nostris a puero nobis notum*: & in epist. ad Iuditham Augustam form. 12. *permissum est nobis iterum, ut alium, si potuissemus, ex nobis, huic officio congruum inveniremus; sed cum & inventus, ut credimus, in Deo, & vestro servitio habilis*: & in form. 1. Ioannis Cordesii, ibi: *Propterea seligimus hujus diœceseos, hujus Ecclesiæ Presbyterum nobis sufficientissimè cognitum*. Si autem ex alia Ecclesia peteretur Episcopus, quia in propria nullus eo munere dignus occurreret, hoc in decreto exprimebatur, ut in decreto Cleri, & plebis Senonensis de electione Ansegisi Metropolitani, qui ex alia Provincia arcessitus est, transmisso ad Episcopos Provinciæ Senonum, in quo etiam canon Cœlestini laudatur; *Ansegisum presbyterum Rhemorū diœceseos, Ecclesiæ autem Beluacensium, quem per licentiam vestram PP. Venerandi D. etiam Christianissimo Rege Carolo annuente, secundùm decreta Cœlestini Papæ, ex propria Ecclesia deficiente electione, pari consensu, ac concordi voluntate, ac devotione eligimus*. Earum certior fiebat Princeps a Metropolitano, cum assensus esset eliciendus.

Denique in examine faciendo, antequam Episcopus consecraretur; id maximè excutiebatur, ut ex form. 14. n. 19. & form. 21. in qua cum Borrellus Rotensis Antistes institueretur, profitentur ordinantes Episcopi, *eum esse filium Richelis fœminæ urbis præfatæ Rotensis*; & statim: *Borrellum prænotatum in gremio Sanctæ Sedis Ecclesiæ Sancti Vincentii, Rotensem civem*; tum inde: *ab ipsis utpotè incunabulis, & fidei rudimentis, scimus eum Clericum*; & form. 22. ibi: *ipsa inquisivere in Sacra Synodo, qui quivisset ex hac prænominata Ecclesia regimen vindicare illius Episcopij*.

Sed & historia Concilii Duziacensis primi, præsens argumentum non parum illustrat, de quo Aimonius *lib. 5. cap.* 24. Ejus aliqua fragmenta descripsit anno 1629. Sirmondus, acta Romam missa per Actardum, intercidisse professus; quod verè dici poterat, cum ea essent tincis,

blattiſque corroſa. Sed in ea poſtmodum integrã; dum Alexandri Petavii bibliothecam M.SS. Codicum luſtraret, incidit feliciter, quæ Cellotio publicanda conceſſit, ut Cellotius ipſe, & Labbæus fidem faciunt.

Regebat Laudunenſem Eccleſiam Hincmarus, alterius Hincmari Rhemenſis Metropolitæ nepos, quem in ea ſede ordinatum fuiſſe, quia Laudunenſe municipium Rhemenſi Eccleſiæ, in qua enutritus non minus ætate, quam ſtudiis creverat, antea conjunctum fuerat, teſtis eſt Carolus Calvus *l.* 55. *Cap.c.* 51. *pag.* 586. his verbis Præſulem a recta via flectentem revocare conatus, quæ adſcripſit & ejus vitæ auctor §. 2. *Prius te dignum duco monere, ut Clerum, & plebem tibi commiſſam, qui te nullo cogente, ſed ſpe ducti, quia pro amore tui avunculi, qui & nobis, & regno, ac Eccleſia Regni noſtri in multis profuit, me videbant te diligere, & quia putabant te illius veſtigia ſecuturum, & conſilijs obediturum, & quoniam Laudunenſe municipium Rhemenſi Eccleſia, in qua nutritus fuiſti unitum antiquitus fuerat, devotè elegerunt, & obnixè ſibi paſtorem ordinari petierunt, debitam ei vicem rependens, Epiſcopalem, ac paſtoralem benignitatem impendas*. Certè ſi Laudunum pars non fuiſſet prius Rhemenſis Eccleſiæ, parum gratia, qua Hincmarus Metropolita apud Regem pollebat, & illius erga ſuam Diœceſim merita, nepoti profuiſſent.

Inter crimina, quorum reus traducitur in eo Concilio Hincmarus Laudunenſis, & ex quibus ſede dejectus; illud grave nimis judicarunt Patres, impetratam fuiſſe ab eo *Abbatiam in tertia provincia, ultra Rhemenſem provinciam*: verba ſunt Hincmari Metropolitani in accuſatione adverſus nepotem propoſita *d. conſ. cap.* 1. cujus rei, & meminit vitæ auctor *d.* §. 2. qui de Carolo Rege loquens, ejuſque in Laudunenſem munificentia, ait; *Abbatiam quamdam ei contulit in tertia provincia ultra Rhemenſem provinciam*.

Remoto Hincmaro, qui in ejus locum ſubiret Hedenulfus electus fuit ex Eccleſiæ familia, *ut ex tom.* 3. *conc. Gall. pag.* 431. *Flodoard. lib.* 3. *cap.* 23. & 17. & ex relato

au-

auctore §. 19: ubi hæc habet; *Itaque curante Metropolitano Rhemensi, Clerus, & plebs Laudunensis Hedenulfum eligunt Ecclesiæ suæ filium, & in illa, suffragantibus stipendiorum meritis, ad onus usque Sacerdotale promotum vita, & moribus, ac sancta conversatione approbatum, sic enim de illo prædicant in ejus electionis decreto:* cujus decreti supra & nos mentionem fecimus.

Id autem præstitisse Rhemensem Archiepiscopum, ut mandatis Ioannis VIII. obsequentem se præberet, ex hujus *epist.* 314. elucet, in qua illi negotium dedit, ut ob Hincmari remotionem ab Laudunensi Episcopatu, ei muneri succederet alter ex Ecclesiæ Clero; *Noli ergo jam nunc Ecclesiam Laudunensem viduatam, & sine regimine pastorali dimittere, sed indifferenter electum, & de Laudunensis Ecclesiæ Clero virum idoneum, & in quo omnium vota consentiant, eidem Ecclesiæ præfice prorsus Episcopum:* ubi Sirmondus; *Superstite Hincmaro Laudunensi alium in ejus locum subrogari jubet, Carolo Imperatori de illius depositione assentiens, quam Hadrianus improbarat; Itaque tertio post mense electus est Hedenulfus.*

Actum quoque in eo Concilio de Actardo Nannetensi, de quo & in superioribus sermonem habuimus. Hujus bona ecclesiastica Nortmanni in suam provinciam incursantes, maxima ex parte deprædati fuerant, & lugendum in modum suæ Ecclesiæ, magnam vastitatem intulerant. Extorris sua sede, profugus Hadrianum II. Papam cum obsecrasset, ut ærumnarum suarum, ætatis, atque afflictæ fortunæ misericordiam caperet aliquam, ejus literis tum aliis Carolini Regni Episcopis, tum Hincmaro præsertim commendatus fuit, ut si qua vacaret Ecclesia, in ea senex locaretur. Vita functo Morinensis Ecclesiæ Præsule, quamvis Pontificiis literis fretum, non posse in eam transferri, salva Canonum auctoritate, Hincmaro visum fuit ex causis, quas Hadriano ita exponit: *in qua vacante Ecclesia Diœceseos nostræ, secundum Apostolicas literas vestras, incardinari non potuit; quia res Ecclesiæ Nannetensis*

sit a paganis residuæ, longe ab Ecclesia Morinensi Rhemorum provinciæ distant, & in duabus Provinciis regulariter conscribi non poterat. De quibus etiam Cellotius in notis ad hanc Hincmari epistolam: Contigit autem opportunè, ut per hæc tempora Pastore careret illustris Ecclesia Turonensis Actardi parens, & nutrix. Quapropter in Concilio Duziacensi, consonantibus Patrum sententiis, conclusum fuit, eam Sedem Actardo assignandam. Cur autem hunc in Ecclesia Turonensi constituendum censuerint, cujus, vacante Morinensi, Hincmarus rationem non duxit, id in causa fuisse perhibent in epistola Synodica ad Hadrianum, quia Actardus in Turonensi Ecclesia lustrali fonte ablutus, tonsus, ac enutritus fuerat, & per multos gradus provectus, quousque Episcopatus infulas meruit: *Venerabilem* (ita referunt dicta epistola) *denique Fratrem, & Coepiscopum nostrum Actardum, quem Clerus, & plebs Metropolis Ecclesiæ Turonensis, in eadem Ecclesia baptizatum, tonsum, & nutritum, ac per singulos gradus ad ordinem Episcopatus provectum, sibi incardinari deposcit; quamque vestra paternitas nobis incardinandum, etiam si locus eveniret in nostris regionibus in Metropoli recommendavit, auctoritati vestræ remittimus: quatenus illum in præfata Metropoli, & si vobis placet, eo tenore Archiepiscopum incardinetis, ut post decessum illius, præfatæ Metropoli Ecclesiæ, Cleri, ac plebis electione, sicut regulæ sacræ præcipiunt, & vetus consuetudo exigit a suffraganeis, & Provincialibus Episcopis ibidem Metropolitanus ordinetur Episcopus.* Eadem verba occurrunt in epistola Hincmari ad Hadrianum. Quamvis autem secundùm Antiochenos Canones Actardus sua Sede depulsus barbarorum impetu, atque incursu, potuisset alieno solo inseri, ita tamen ut cessante hac causa suam sedem repeteret: nihilominus magis canonibus congruere, ut Turonensi Ecclesiæ præponeretur Concilium existimavit, ut dicitur in eadem epist. *Rationabilius vidimus, ut petitione Cleri, ac plebis ipsius Ecclesiæ, & consensu nostræ unanimitatis, ac favore Domini nostri Caroli Regis gloriosi a vestra auctoritate eidem incardinetur Ecclesiæ.*

Di-

Diversam autem omnino fuisse Egilonis causam, de quo supra disseruimus, ab ea Actardi, doctè ait Cellotius; *Nam Egilo ex alia assumptus Provincia, ad Senonensem transferebatur, non rectè secundùm Canones, clamante Nicolao; indecorum, quin potius illicitum esse in aliena stipendia quemquam irrepere, & ex transverso venientem in castra, inter quæ non militavit, ducatum arripere, & profitente in animo sibi esse hanc temeritatem, & sacrorum super hoc Canonum violationem familiarius in illis regionibus dilatatam, generalis decreti sui ligone radicitus extirpare*. Qui etiam considerat, non sine maxima ratione inculcare Patres in epistola Synodica, Actardum fuisse in Turonensi Ecclesia renatum per baptismum, eamque ipsius fuisse altricem; *Hinc est, quod Hadriano epistolæ istę omnes inculcant, Actardum in Ecclesia Turonensi baptizatum, nutritum, tonsum, ad Episcopatus ordinem per singulos gradus esse provectum*;

Actardi *incardinationem* (ut ecclesiastico vocabulo utamur) libentissimè perfecit Hadrianus, qui pro eo rogaverat, eique pallii usum, etiam dum exul vagaretur, concesserat miseratione commotus. Quod pertinet ad alia Concilii acta, ut ait Cellotius in præfat. ad d. Conc. *in ijs si nevus aliquis Hadriano displicuit, tamen postea ex asse Ioanni Octavo probata sunt*; nempe cum in Gallias Ioannes profectus Concilium Trecis habuit, quod & testatissimum faciunt Auctor vitæ Laudunensis Hincmari §.19. ubi transcripsit verba Ioannis ex d.314. epist. ad Metropolitanum Rhemensem, qui ait: *agnovimus justum omnino fuisse judicium*, scilicet contra Laudunensem Antistitem, & Sirmondus antea laudatus. Apologiam pro hoc Concilio vide apud Cellotium.

Sed redeamus ad Ioannem Octavum. Ex ejus epistolis, in confirmationem juris, cujus semper Reges fuere retinentissimi, canonica auctoritate suffulti, ut nimirum Episcopi, aliique beneficiarii non alienigenæ, ac sibi non suspiciosi deligantur, non pauca excipi possunt, si quis eas consulere non gravabitur. Ecclesiæ Lausanensi, cum Summus ille Pontifex Hieronymum quendam præfecis-

set,

fet, & à Carolo Craffo confenfum poſtularet, fidem, ac teſtationem fuam interpofuit, *illum Regi fidelem in omnibus, propriumque eſse, ſicut cæteri Epiſcopi Regni exiſtunt*. Eaſdem teſtationes offendas epiſt. 171. ibi; *Communique fideli noſtro, ac veſtro*, & epiſt. 187, *quia nobis, ac vobis fidelis exiſtit*, & alibi frequentiſſimè.

Poſt Anſpertum Archiepiſcopum Mediolanenſem, in Romana Synodo, ob ejus ſcelera, dignitate proturbatum, Clero Mediolanenſi præcipit, ut alium a ſe conſecrandum ſufficiant *epiſt.* 261. Qualis autem, & ex quo cœtu hic capi debeat, hoc modo denotat; *Et ideo præſenti vobis ſtatuto jubemus, ut omnes uno animo, unoque voto convenientes, atque convocantes Paſtores, vel populum Civitatis, de electione alterius, qui de Cardinalibus Presbyteris, aut Diaconibus dignior fuerit repertus, cum Chriſti ſolatio ad Archiepiſcopatus honorem promoveatis*. Non ait, *qui dignior fuerit repertus*, abſolutè, *ſed qui de Cardinalibus Presbyteris, aut Diaconibus dignior fuerit repertus*, ut quivis cognoſcat, comparationem magis, & minus digni, intra ipſam Eccleſiam, ejuſque alumnos eſſe ineundam.

Adelardum Epiſcopum Veronenſem a fidelium communione ſejunxit, quod Nonantulanum Monaſterium invaſiſſet, *timorem* (ut ait in epiſt. 47. ad Carolum Calvum) *divinum parvipendendo, contra ſacra præceſſorum noſtrorum, noſtrique privilegij inſtitutiones, quibus de propria ſemper congregatione Abbatem fieri jubetur*. Quod & ſignificat Archiepiſcopis *epiſt.* 58. ubi notanda ſunt ea verba; *ſed ſolius hucuſque Abbatis e gremio fratrum electi, atque prælati, moderamine regebatur*, quæ extant & in epiſt. 49. ad Clerum Veronenſem.

Res poſcit ut aliquantulum in diſcutienda ejus *epiſt.* 281. immoremur, qua Genevenſibus juſſit, ut Optando Epiſcopo a ſe conſecrato obtemperarent. Fuerat ille electus cunctis ſuffragiis, ut ex iis verbis intelligimus: *Ordinationem electi veſtri differre*, & proximè ſubjectis: *præcognita veſtrâ omnium in eodem Optando electione*. Accedebat non modo aſſenſus, ſed etiam Caroli Impera-

toris,

toris preces, qui fautor erat Optandi, suæque dignitatis amplificator, atq; optimatum studia: *secundum deprecationem ejusdem Serenissimi Imperatoris filij scilicet nostri spiritalis Caroli, & optimatum ejus*: Vel erat Optandus de Ecclesiæ Clero, vel eum hujusmodi esse Pontifex credidit; quod licet expiscari ex iis verbis; *& qualiter idem Serenissimus Imperator eidem Ecclesiæ electionem perenniter de proprio Clero donaverat*: quæ etiam monstrant hanc fuisse immutabilem, ac immobilem regulam, ut electio fieret ex proprio Clero. Nimirum impetrabantur privilegia a Principibus, ne se immiscerent electionibus, quas illi ad potestatem suam retrahebant, sed harum libertas concedebatur, ita ut ab Apostolica traditione non dissonaret. Illud etiam Pontificem incitavit, ut maturaret ordinationem, diuturna Ecclesiæ viduitas propter cujusdam Bosonis dissensionem, cui se comitem Metropolitanus adjunxerat; *Diutius ipsa Ecclesia ne viduata maneret Pastore*.

Sed quamvis hæc omnia concurrerent, & quia alium suprascriptæ sedi superimposuerat Oteramus Viennensis Metropolitanus, Pontifex hac de causa nimis obirato esset animo; attamen cum huic ille se purgasset de Optati rejectione, eò quod istius non esset Genevensis Ecclesia parens, & educatrix; non modo accepit excusationem, sed etiam rectè factum quod sibi displicuerat, ingenuè confessus est, *ut ex epist.* 295. quippe qui scripserit *se ubertim cognovisse* (Oterami literas) *alicujus rectitudinis zelo compositas*, subdens; *quia post plurima in Ecclesia Genevensi fatemini vos consecrasse Episcopum, ut quidam Optandus nomine Clericus advenerit, qui in Ecclesia Genevensi nec baptizatus, Clericatus, ordinatus, acclamatus, eruditus unquam extiterat, Ecclesiam illam invaserit*. Quin etiam festinatæ a se consecrationis Episcopi culpam in Oteramum transfert, qui eum ordinare diu contempserit. Et licet se offensum non dissimulet, quod saltem ille non supersedisset novi aliquid moliri donec ad se referret, & vitium quod ille Optando objiciebat, & ipsi regerat, diffidenter tamen, & infractè, forsan quia rei certius non

erat, ut ex his percipimus; *interim silentio est tegendum: Verumtamen his interim necessariò prætermissis*, ad proximum Romanum Concilium controversiæ discussionem, ac decisionem rejecit, in quo de ea nihil dictum, ea fortasse de causa, quod Canones servando Metropolitanus nihil deliquisset.

In Conventu Cabilonensi, in quo magna Episcoporum frequentia de Monasterio Tornutiensi ita decretum anno 876. *Abbates vero ex seipsis sicut a piissimo Rege Carolo, &c. usque nunc licentiam habuerunt, ita & in antea, ut perpetualiter eligant, inviolabiliter decernimus*. Quod Ioannes Octavus in Concilio apud Trecas laudavit; idemque statuit in Synodo Tricassina de Monasterio Floriacensi, ut ex privilegio tom. 9. Conc. fol. 318. ibi; *A proprijs Abbatibus Monachis ex eodem cænobio regulariter electis in perpetuum gubernentur*.

Quod Bosqueto, Thomasino, aliisque doctissimis Viris licuit, nostræ regulæ ex ea norma, ad quam exigebantur Abbatū electiones, robur adjungere; & nobis fas esse putamus. Ab aliorum Pontificum nunquam variato, semper incorrupto instituto non discessit Marinus Primus, qui de Monasterio Solemniacensi ita cavit; *Placuit huic paginæ inseri, ut obeunte Abbate prædicti cænobij, nullus ibi quacunque subreptionis ambitione Abbatem statuere præsumat, nisi quem ejusdem loci Monachi secundum autenticam, & regularem sustitutionem ex seipsis elegerint ordinandum*.

Id ipsum scilicet, ad episcopatum, vel alia beneficia advehi extraneos, & Ecclesiæ, cui Rector sufficiendus est, aut in qua collatio fieri debet, ignotos; esse sacrorum canonum statutis, ac interdictis adversum, & si quid hujusmodi patretur, manifestò Ecclesiastica jura violari, verbis disertissimis testatus fuit Stephanus Pontifex V. hujus nominis, quem alii quartum faciunt, in sua epistola, cujus memor fuit Flodoardus *lib. 4. cap. 1. historiæ Rhemensis*, & in controversia de electione Episcopi Lingonensis definivit. Historiam narrat, ac prosequitur idem Flodoardus. Cum enim Isaac Episcopi Lingonensis

mors

mors, eam ſedem vacuam reddidiſſet; acre repente jurgium, ingenſque contentio de ſubſtituendo ſucceſſore ſuborta eſt, expetentibus Clero, & Populo Theutboldum ipſius Eccleſiæ Diaconum; quorum deſpretis votis, ac deſideriis, Aurelianus Lugdunenſis Metropolita Egilonem, qui Roberto Sammarthanis, & Vignerio, Geilo, ſeu Gerlo, Monacum conſecravit. Perlata diſſidii hujus querela ad Stephanum, cum pluries commonuiſſet Metropolitanum, ut ſui loci, & ſacrorum canonum non eſſet immemor, & quod illis refragantibus egerat, mutaret, & contumax ille, ac ſui propoſiti tenax, in eo obſtinatè perſiſteret; Egilonis electionem tanquam omnino invalidam, rejecit, & Theutboldum Epiſcopum Lingonenſem pronunciavit, eique manum impoſuit: Quid Pontificem Maximum permoverit, ut hoc decretum proferret, ſatis patefecit iis Epiſtolæ verbis, quæ Flodoardus recenſet. *Sed is priori inobedientiæ* (de Metropolitano loquitur) *contumaciam adjiciens non ſolùm oblatum conſecrare, ſeu quid in eo reprehenſibile judicaret ſibi reſcribere contempſerit, verùm etiam contra interdicta, & ſacrorum canonum ſtatuta, quemdam extraneum, & eidem Eccleſiæ ignotum, in angulo ordinatum, illi ingerere niti præſumpſerit; At hi potius* (populares nempe) *laborem ſubire, quam ſubjici ignoto eligentes, ad ſe redierunt, implorantes, ne pateretur Eccleſiaſtica jura violari.* Hac juſtiſſima de cauſa ſe ductum fuiſſe, ut totum illud negotii ad ſuam poteſtatem revocaret, Fulconi Rhemenſi reſcribit, eique imponit, ut provinciæ Epiſcopis eam communicet, ſuumque decretum exequatur, ut ex fragmento quod Sirmondus, Colvenerius, Binius, aliique in lucem emiſerunt.

Sedente in Petri Cathedra Formoſo anno 891. in Synodo Magduni ad Ligerim, cum Sancti Petri Senonenſis Monachi expoſuiſſent, *ſe plurimum ex revolutis temporibus diſcriminis jacturam toleraſſe enormiter, idcirco, quod eis a ſuis Pontificibus Senonenſis videlicet Eccleſiæ præſidibus, multi ex aliis cœnobiis in prelaturam regiminis, Abbates conſtituerentur*; in eam ſententiam deſcendere omnes Epiſcopi, qui

illuc convenerant, *ut nullus deinceps ordinaretur Pater Monasterij, nisi quem ipsi sua dispositione, & libitu voluntatis ex suis eligerent*, ut ex Chronico S. Petri Vivi Senonensis, edito a Dacherio tom. 2. Spicilegij.

Nostræ Apostolicæ traditionis, æque ac alii Pontifices custos, ac conservator fuit Stephanus Sextus, qui in epistola ad Arnustum Archiepiscopum Narbonensem ita verba facit; *Illud quoque nostra Apostolica auctoritate juxta Canonicam Sanctionem nobis addere placuit, ut quando Divina vocatione vos, vestrique successores ex hac luce migraveritis, quamdiu in ipsa Ecclesia Narbonensi repertus fuerit, qui dignus sit officio Pontificatus ipsius fungi, nulli liceat ex alio loco inibi ingredi, nec jam dictam sibi præditus quacunque dignitate, aut regia auctoritate, usurpare Sedem, sed Conventu vicinorum Coepiscoporum occurrere valentium facto, absque alicujus potestatis interdicto benedictionis Cleri, vel plebis, percipiat dignitatem. Si verò aliquem de suffraganeis Coepiscopis contigerit mori, perquirens Metropolitanus Episcopus electionem plebis ipsius, eam visitare studeat, utpotè viduatam Ecclesiam. Quod si fortè ibi talis non repertus fuerit, qui onus Sacerdotale ferre queat, per Canonicam auctoritatem, & nostram Apostolicam permissionem, licentia sit illi, absque ulla retractatione, de sua Ecclesia talem inthronizare, qui suffraganeæ suæ Ecclesiæ dignus præesse valeat Pastor.*

Proximè insequentium temporum memoriam licet maxima, quæ per summam indignitatem in Italia accidit Ecclesiæ devastatio, & profanatio, caligine obduxerit, non tamen adeo tenebris involuit, ut non aliqua scintilla retentæ in hac parte ecclesiasticæ disciplinæ effulserit, cujus in aliis penitus antiquus ille nitor turpissimè fœdatus interiit. Restant pristinæ institutionis vestigia in epistolis Ioannis IX. 2. & 3. & in epist. 2. Benedicti IV. ad Clerum, & Populum Lingonensem data anno 905. aut 906. apud Philippum Labbeum tom. 9. Concil. Gener. Cum enim fuisset in antedicta Lingonensi Ecclesia Teutboldus Episcopus constitutus, qui se fuisse in ea Diaconatu insignitum confingens, Stephano V. impo-

fue-

fuerat, certior factus Ioannes IX. a Populo, & Clero, hunc nullo sacro ordine in ea Ecclesia fuisse initiatum, hoc potissimum nomine eo ab Episcopatu exploso, Argrinum, cui id objectari non poterat, libentissimè illis Pastorem concessit, aut potius restituit, ut ex d. epist. 2. & 3. in quibus ait, prius exquisito judicio Synodi hac de causa indictæ, ad eam pronunciationem processisse; quod ratum habuit Benedictus Quartus epist. 1. & 2. *Nunc ergo quia sicut per vestra rescripta didicimus, Teutboldus neque a vobis expetitus, neque electus, neque acclamatus est, sed nec ad aliquos sacros ordines in vestra Ecclesia provectus, sicut hoc veris approbare potestis indiciis, & ita se res habet, sicut prædecessori nostro piæ recordationis Ioannis Papæ jamdudum innotuistis, non nobis videtur esse incongruum, sed potius omni Sacra, & Canonica auctoritate fulcitum, more prædecessorum nostrorum sententiam mutando in melius, ut de multis exemplis evidentissimis approbare possemus. Ideo Argrinum Pastorem vestrum a vobis unanimiter electum, & expetitum, vobis canonicè præesse concedimus, quem sicut dicitis, utique patet inconsideratè fuisse per subreptionem a vobis expulsum*: qui d. epist. 1. ait, gravem eam, & Romano Pontifice dignam, dixisse sententiam, *post Sanctam convocatam Synodum in palatium Lateranense, consilio, & hortamine Reverendorum Patrum sibi assistentium*.

Extinctum per ea tempora omnium bonarum artium, ac disciplinarum lumen, religionem depressam, ac abjectam in Italia, deplorant omnes, vel ipsis id ultro concedentibus Mabillonio, ac Arnaldo; licet hujus sæculi patrocinum suscipientes, extra Italiam, utcunque barbaries regnaverit, pietatem non refrixisse, sed magis magisque efflorui sse, veramque religionem in gentes, in quas antea non penetraverat, propagatam fuisse pugnent.

Decretum quod Christophorus Pontifex edidit de Monasterio Corbejensi, ab aliis, quæ retulimus, nihil distat, in quo legitur, *& eligendi sibi Abbatem de suis semper habeant potestatem*.

Romanum Concilium anno 964. Leonem Romanam

næ Cathedræ occupatorem, ea expulit tanquam ex laicis electum. Qui ab eo ordinati fuerant, ut ait Sigibertus, jussi sunt Chirographo suam proscriptionem exprimere: *Pater meus nihil sibi habuit, nihil mihi dedit*. De iis idem pronunciatum fuisse, quod de institutis a Constantino Neophyto, & testis est idem Sigibertus, & ex Concilii actis apparet.

Edgaro Anglorum Regi obsecranti, ut ex Episcopatu Vuintoniensi abactis Clericis ob mores deformatissimos, in eorum locum summitterentur Monachi sub Ethcuvaldo Episcopo, annuit id Ioannes 13. epist. 2. hac lege, *ut pastore ad laboris sui præmium vocato non aliunde, quam ex illa congregatione alter in locum regiminis succedat, quod si impedientibus, quod absit peccatis, ad hoc Pontificale officium in eadem congregatione idoneum inveniri minimè posse contigerit, &c. ex alia congregatione qui dignus inventus fuerit Monachus assumatur.*

De Cœnobio Glostenensi ita Concilium Londoniense anno 970. *ut nullus nisi ejusdem loci Monachus ibi fungatur Abbatis nomine, vel officio, quod si alterius loci Abbatem, vel Monachum eidem loco præfici necessitas ingruerit, &c.* Et quod maximè notandum, addit Concilium, infimum ex eadem familia dummodo eo munere non indignum, cuicunque extrario licet meritis præclarissimo, anteponendum. *Tamen ne hoc fiat observato omnimodo, si ibidem quispiam, vel extremus congregationis, illi officio aptus reperiri potuerit*: quod confirmavit Ioannes 13. suo diplomate; *ipsi quoque Monachi de suis sibi adhibeant Pastorem*, idque actum fuit in Synodo generali. Eisdem verbis conceptum diploma a Ioanne 13. pro Monasterio Sanctæ Mariæ Glastengeburi, petente pariter Edgaro Rege.

Quamvis Arnulphus filius esset Lotharii, Concilium Rhemense anno 989. Ecclesiæ Rhemorum regimen ei non detulisset, nisi ibi fuisset ortus, & eductus. *Hunc inquam dicimus Laudunensis Ecclesiæ filium, & ut verum fateamur Rhemensis. Ea quippe Civitas Rhemense territorium,*

Rhe-

Rhemensis Parochia est, nec sic a Beato Remigio divisa, ut fieret aliena. Nimirum ille Deo plenus unitatem appetens, non scissionem affectans sic scidit, ut cohaereret sicut pars in toto, & quis, & quantus futurus esset intelligens, natale solum beavit Sacerdotii dignitate. Eligimus ergo hunc Arnulfum hinc ortum, hinc educatum.

Sed quamvis ea, quam diximus in urbe, ac per Italiam esset illorum temporum infelicitas, nemo tamen ex aliena Ecclesia ad Romanam Sedem accitus fuit, nisi ita exigente necessitate, quam legem omnibus aliis præpollere, omnibus aliis imperare par est: nimirum cum nō adesset in Romana Ecclesia, qui extremo illo omnium honorum, ac amplitudinū fastigio, se parem ostenderet. Anno 1046. cum tres Petri Cathedræ invasores in Concilio Sutrino fuissent depositi, hoc est privati iis reditibus, quos transigens Gratianus, qui postea Pontifex electus, Gregorii Sexti nomen sibi ascivit, ad quietem, & unionem Ecclesiæ redimendam Pseudo-Pontificibus assignaverat; ipse quoque Gregorius, vel ut ait Hermannus, dignitate motus fuisset, vel ut Leo Ostiensis, sponte ea se abdicasset, in Pontificio solio suffragantibus votis Cleri, ac populi, rem promovente Christianæ Reipublicæ apprimè necessariam Henrico Secundo Imperatore, qui Concilio interfuit, locatus fuit Clemens Secundus ex Episcopatu Bambergensi transuectus. Translationis hujus hanc rationem assignat Leo Ostiensis, quod *post factam diligentem inquisitionem nullus alius tanto munere, & officio dignus inventus fuerit*, & Desiderius Abbas Cassinensis *in lib. dialogorum*: *Quia in Romana Ecclesia non erat tunc talis electa persona, quæ dignè posset ad tanti honorem sufficere Sacerdotii*, quo loci adnotat Christianus Lupus; *Ex hac enim sola causa canones permittunt Episcopum eligi ex aliena Ecclesia*; quibus verbis eruditissimi viri, liceat & nobis adnotare non aliam causam subesse posse nisi hanc unam, & solam, ex qua sacræ regulæ extraneos ab Episcopatibus, & beneficiis rejicientes prætermitti possint, cum nempe ex Civitate, ex Ecclesiæ gremio ne-

nemo præsto sit, qui iis sese tantisper idoneum ostentet.

Justè, an secus ad Portuensem Ecclesiam ex alia, cujus antea erat Episcopus, Ioannes transmigrasset, Leo Papa nonus examinandum duxit in Synodo secundum vigentem morem, ut translationum causæ, quas sola necessitas, vel utilitas maxima Ecclesiæ extorquere poterat, in Synodis excuterentur. Patet id ex epist. 16. *Quapropter quia transmigrationem fecisti de Sede Tuscanensi ad Portuensem, dignum duximus in Synodo prius ventilare, utrum justè facta fuerit, vel injustè, quod & fecimus residentes in Synodo in Ecclesia Sancti Salvatoris*. Causarum, quæ adducebantur, eam validiorem arbitrata est Synodus, quod Ioannes esset Ecclesiæ Romanæ filius, quod ex hujus alumnis superesset solus, ut propterea hac in re, veluti quoddam exemplum, ac imaginem translationis Periginis, intueri possimus; *Quæ etiam fuerit necessitas, quæ utilitas satis patenter est expressum; necessitas quia jam Romana Ecclesia in filiis, quos ipsa lactaverat, defecerat, quorum tu pars superstes eras congrua*; quanquam & aliæ causæ maximi momenti his accederent, dein adscriptæ; *Utilitas verò, sive pro rebus ipsius Ecclesiæ, quæ tibi notæ erant præ aliis, sive pro consiliis dandis, sive etiam pro mediatione Romanæ Ecclesiæ, & Imperatorum, quorum tu sæpè mediator fuisti*. Sed & quotiescunque de Abbatum electione agendum fuit, idem Leo veterem, & avitam regulam diligentissimè custodiit; quemadmodum liquet ex epistola 15. qua vult, ut Cluniacenses Fratres eligant *quemcunque de sua Congregatione*: epistola 16. quæ attinet ad Monasterium Corbejense, ibi: *Sancimus præterea inter se Abbatem eligere Fratres*, & epistola 19. in qua de Abbate Sanctæ Sophiæ in Beneventana Urbe hanc legem dixit: *Liceat quoque ipsis Monachis ex eadem Congregatione eligere Abbatem sibi, si inibi idoneum ad hoc officium invenerint; sin aliàs, undecunque possunt, dignum Rectorem sibi eligant*.

Apostolicum canonem Concilii Lateranensis sub Stephano Quarto, ratum habuit Nicolaus Secundus Pontifex in Concilio Romano habito anno 1059. *Eligant*

gant autem de ipsius Ecclesiæ gremio, si reperitur idoneus, vel si de ipsa non invenitur, ex alia assumatur. Eligi oportere ex Cardinalibus Presbyteris aut Diaconis, expressit Stephanus Quartus, ut superius visum fuit: nequaquam ex Episcopis, quos etsi Cardinales, ad Petri cathedram transferri olim fuit Ecclesiæ ignotum. Quocirca cum adversus Marinum Basilius Imperator, cui hac in re imposturam fecerat, ut jamdiu in Marinum conceptum virus evomeret, Photius ei infensissimus, quippe qui Hadriani secundi Pontificis Legatus, octavam Synodum celebrarat, & Pontifex Maximus renunciatus, ipsam validissimè communierat; opposuisset Marinum è legitimorum Pontificum albo expungendum, utpotè ex alia Ecclesia translatum, fuisse hanc dolosam Photii strophamn, asseveravit in literis ad Stephanum sextum Pontificem ejus successorem Stephanus Metropolita Neocæsariensis, & idem Pontifex Basilio rescripsit. *Qui dicunt Marinum antea Episcopum, eumque ad aliam Sedem non potuisse transferri, ostendant.* Et rectissimè quidem; nam Diaconus existens Marinus, in eam celsissimam Sedem dignitatis, atque honoris ascenderat; quem fuisse Romanæ Ecclesiæ Archidiaconum, scriptum extat in Fuldensibus Francorum annalibus: ut propterea hoc inficiari non debuerit in illius vita, libri Pontificalis ex variis Scriptoribus conflati supplementum, cujus Auctor cautè legendus, quia sæpè labitur. Primum ex alia Cathedra translatum Pontificem, fuisse Formosum Episcopum Portuensem, verissimè ait Christianus Lupus; & licet hac de causa post mortem ille fuerit degradatus, *iniquam, & latrocinalem fuisse degradationem* affirmat idem gravissimus Auctor. Vtcunque res se habeat, ne hoc posset in exemplum trahi, in sua Romana Synodo constituit Joannes Nonus; *Quia necessitatis causa de Portuensi Ecclesia Formosus pro vitæ merito ad Apostolicam Sedem provectus est, statuimus, & omninò decernimus, ut id in exemplum nullus assumat, præsertim cum sacri canones hoc penitus interdicant, & præsumentes tanta feriant ultione, ut*

etiam in fine laicam eis prohibeant communionem. Quibus verbis innuere videtur primum, ac secundum canonem Sardicensis. Sed cum non obstante ea constitutione, aliqui ex Germania Episcopi fuissent in Sedem Apostolicam transducti, huic novitati modum imposuit Nicolaus Secundus; & licet ex Florentino Episcopo Pontifex ipse, decretum illud suæ promotioni adversum emisit, ut idem Christianus Lupus prosequitur.

Et quidem meritissimè Nicolaus eam licentiam refrænavit, ac compescuit. Etenim, ut ait Atto II. Vercellensis Episcopus, quem doctissimum Theologum, & Canonistam prædicat Ughell.in Ital.Sac.lib.2.de pressur. Eccles. *cum aliquis dignissimus Sacerdos diù in Ecclesia militans ab Episcopali electione ipsius cui servierat Ecclesiæ, a Principibus reprobatur, numquid non Dei filius despicitur? ut illud, ego dixi Dij estis, & filij excelsi omnes. Cum vero alicujus potentis filius impar meritis, & injustè præponitur, quid aliud quam Barabbas eligitur qui filius patris interpretatur, ut merito eveniat quod scriptum est; Ego sum Deus omnipotens reddens iniquitatem patrum in filijs, ac Nepotibus*. Quibus verbis Atto, qui decimo sæculo floruit, videtur respectum habuisse ad deplorandam, ac miserrimam conditionem suorum temporum, quibus non Pontifices, sed monstra potiùs vidit Ecclesia, & dignitates non meritis, sed pretio, ambitu, ac Principum, & potentum captata quomodocunque gratia, comparabantur; contemptis iis, qui Ecclesiis assiduam præbentes operam, ætatem contriverant.

Divi Gregorii Magni in anteferendis civibus, & qui erant ejusdem Ecclesiæ, quotiescunque de Episcopatibus, vel aliis beneficiis Ecclesiasticis conferendis tractaretur, se imitatorem præbuit Gregorius Septimus. Memor maximus ille Pontifex, ac omni laude cumulatissimus, de quo ait Bertholdus Constantiensis; *Erat enim catholicæ religionis ferventissimus institutor, & Ecclesiasticæ libertatis strenuissimus defensor; noluit sanè ut Ecclesiasticus ordo manibus laicorum subjaceret, sed eisdem & morum sanctita-*

ctita-

ftitate, *& ordinis dignitate præemineret*: memor, inquam, quibus meritis ad Petri cathedram sibi viam parasset, & gravissimi illius testimonii, quod in suæ electionis decreto ei impartitum fuit his verbis, *in gremio hujus matris Ecclesiæ a pueritia satis nobiliter educatum, & doctum, atque pro vitæ merito in Archidiaconatus honorem usque hodie sublimatum*, anno 1075. destinatis Legatis, qui darent operam, ut idonei Pastoris a Clero, & Populo Feretrano, atque Eugubino ex eorum Ecclesiis electio fieret; hos ita suis literis, ut ex epist. 41. lib. 2. compellavit; *Quapropter misimus ad vos hos Religiosos Sanctæ Romanæ Ecclesiæ filios, videlicet Abbatem Sancti Sabbæ, & Abbatem Sancti Bonifacii, ut si forte in Ecclesia vestra talis persona, quæ huic regimini congrua sit, reperiatur, diligenter inquirant, & eam sicut dignum est, vestra dilectione collaudatam, & Canonico Decreto probatam, nobis ad ordinandum quanto citius præsentare studeant. Sin verò inter vos talis reperiri non possit, ipsi cum omni diligentia, & sollicitudine aliunde aliquem, qui vobis secundum Deum præesse possit, invenire procurent, & ad suscipiendam Episcopalis Officii ordinationem, ad vos sine mora transmittant.*

Ut autem in Italia alienigenas, quique non essent ex Ecclesiæ sinu, proscriptos voluit, si aliquis ex civibus, & Ecclesiarum filiis idoneus appareret, quod ex præfata *epist.* constat: ita & in Gallia, ut clarum est, *ex epist. 21. lib. 6.* quæ data est anno 1079. ad Arelatenses Episcopo destitutos; *His itaque curis, ac tantæ desolationis vestræ causa stimulante, misimus ad vos fratrem nostrum, videlicet Leodegarium Vvapincensem Episcopum, quatenus cum illius consilio, aut talem personam secundum Deum eligatis, quam Vicarius vester Hugo Diensis Episcopus, literis suis nobis commendet, aut si apud vos tanto regimini digna inveniri persona non potest, in manu fratris nostri Leodegarii Vvapincensis Episcopi firmetis, vos illum suscipere in Pastorem, quem consecratum, & honore pallii insignitum, vobis ex parte Sancti Petri miserimus.* Proscriptos quoque voluit in Hispania, ut demonstrat *epist. 2. lib. 9.* anno 1080. Alphonso Castellæ Regi inscripta; *Quapropter Serenitatem*

tuam studere oportet; ut cum consilio præfati legati nostri Richardi Massiliensis Abbatis, aliorumque Religiosorum Virorum eligatur inde, si evenire potest: Sin autem, aliunde expetatur talis persona, cujus Religio, & doctrina Ecclesiæ vestræ, & Regno decorem conferat, & salutem.

Sed quando in epistola ad Arelatenses memoratur Hugo Episcopus Diensis, qui dein Legatus fuit Apostolicæ Sedis, & Archiepiscopus Lugdunensis; non me piget hic advertere, fuisse hunc in Episcopum Diensem electum anno 1073. *de Dei, & Christi ejus judicio*, ut Cypriani verbis ait Hugo Flaviniacensis, *de Clericorum pene omnium testimonio, de plebis, quæ tunc affuit suffragio, de Sacerdotum, & bonorum virorum collegio.* Et tamen cum ille consecratus fuit a Gregorio Septimo, id Romanos criminatos fuisse, testis est idem Auctor, & hujus criminationis causam hanc fuisse, quam his verbis exponit: *Non multò post ipse, qui commendabatur advenit. Et quia solam Clericatus tonsuram habebat, in mense Decembris per manum ejus (idest Gregorii Septimi) usque ad Presbyteratus gradum promotus est; cum hoc aliqui calumniarentur Romanorum, & promerent morem sanctæ Romanæ Ecclesiæ, neminem licet electum antistitem, a Papa ordinandum, nisi in eadem deserviret Ecclesia; quod tamen in ipso Domnus authentica potestate sua fecit. Complacuerat enim sibi in illo anima ejus. In Quadragesima verò, Sabbato in Presbyterum, & sequenti Dominica ad Missas in Episcopum consecratus est.*

Indignatos fuisse Romanos opinatur Baluzius, quod Gregorius Hugonem instituisset absolutè, nullique Ecclesiæ addixisset, cum eum ad Ecclesiasticos ordines promovit: moris quippe esse in Ecclesia Romana, neminem, licet electus sit in Episcopum, a Papa ordinari posse, nisi in Ecclesia aliqua, in qua ministerium suum exequatur, intituletur. Verùm si rectè perpenderimus Flaviniacensis verba, Romanorum indignatio, & querela fuit, non potuisse Hugonem illius Ecclesiæ sedi admoveri, in qua stipendiis non meruerat, in qua non militaverat; quod tanquam novum, & inusitatum, & contrarium

rium

rium mori Sanctæ Romanæ Ecclesiæ incusabant.

Quod & de Beneficiis regularibus, ut vocant, non semel rescripsit Gregorius, ut epist. 6. lib. 9. ibi: *Præterea quoties eorum Rectores obierint, vestri sit studii, alios cum consensu probabiliorum fratrum, de eadem Congregatione, si fieri potest; sin autem, aliunde, secundum Deum, & regulam Sancti Benedicti, Abbates eligere, ibique substituere*: & lib. 4. epistol. 20. in qua Abbatem quemdam indignè, & contra regulas Sanctorum Patrum, regimen usurpasse declaravit; tum quia erat extraneus, tum etiam quia interventu pecuniæ illud fuerat consequutus. Nec in diversum abiere Paschal. II. epist. 62. & 92. Innoc. II. epist. 33. ibi; *Verumtamen eodem Abbate decedente, vel ad locum alium ipso, vel ejus Successoribus transmigrantibus, fratres Monasterii Sancti Ægidii, eligendi de Congregatione sua Abbatem, absque impedimento habeant libertatem*, & mox. *Quo nimirum defuncto, vel etiam remoto, de Congregatione sua, &c.* Anastas. IV. epistol. 11. iis verbis: *Obeunte verò te ejusdem loci Priore, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia, seu violentia præponatur, sed fratres in aliqua persona de vestro Collegio, si idonea reperta fuerit, &c.* Et demum Alex. III. epist. 21. append. 3. ubi de Abbate Sancti Salvatoris Messanensis verba facit; *Obeunte verò te nunc ejusdem loci Archimandrita, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia, seu violentia præponatur, nisi quem fratres Monasterii, &c. de se ipsis providerint eligendum.*

Et quamvis sub Innocentio Tertio electionum forma immutata fuisset, & populus ab iis seclusus; attamen id fuit omnino retentum, ac præfractè observatum, ut alienigenæ ab Episcopatibus, aliisque beneficiis longè abessent, utque ad ea venire non possent, nisi qui erant ex ejusdem Ecclesiæ familia. Quod ex innumeris ejus epistolis planissimum est, tam extantibus in lib. Regesti a Bosqueto editi, quam convectis in lib. decret.

Nihil magis obvium in Regest. ut in epist. 13. lib. 2. regest. 14. ibi; *Si possent in personam idoneam de gremio ipsius*

Ec-

Ecclesiæ convenire; ubi hæc adnotat vir consultissimus Bosquetus: *Hoc maximè ab antiquis observatum est, ne extranei, & peregrini ad prælaturas assumerentur. Cælestin. PP. 1. epist. 2. ad Episc. Gall. cap. 4. Nec emeritis in suis Ecclesiis Clericis, peregrini, & extranei, & qui antea ignorati sunt, ad exclusionem eorum, qui benè de suorum Civium merentur testimonio, præponantur. Ideo* Julius *PP. in Apolog. 2. apud Athanas. Gregorij Cappadocis in Episcopum Alexandrinum electionem reprobat, quod neque Alexandriæ baptizatus, nec plebi cognitus esset. At ulterius quoque observatum, ut non solum extranei, & ignoti, sed etiam alterius Ecclesiæ Clerici non eligerentur, ibi enim quis militiæ suæ fructum percipere debet, ubi stipendia meruit, ut ait Cælestin.* Quod & in Monachis locum sibi vindicasse subjicit; & lib. 2. reg. 14. epist. 87. ibi; *Cum enim ad nos fuerit appellatum, ut non nisi de Ecclesiæ gremio, & in loco tuto electio fieret*: ubi idem Bosquetus ita loquitur. *Hoc rigide fuisse olim observatum, passim his in epistolis probamus, ne quis nisi de ejus Ecclesiæ, cui præesse debebat, catalogo eligeretur. Sed in Polonia ad hæc usque tempora eam observationem viguisse, ex hac Cantoris exceptione colligitur; Et patet ex alio contemporaneo facto, quod refert Matthias de Michovia lib. 3. cap. 32. Rer. Polon. anno Domini* 1207. *Magister Vincentius Kadlubkonis de Karuoruvico prope OpathoW Nobilis de domo Koke Præpositus Sandomiriensis, propter ingenij excellentiam, per Capitulum Cracoviense in Episcopum Cracoviensem electus est, quamvis in Ecclesia Cracoviensi nullam obtineret præbendam, ab Innocentio Tertio confirmatus & ab Henrico Archipræsule Gneznensi consecratus. Igitur personam extraneam, quæ de Clero, & Capitulo Poznaniensi non esset, rectè ab electione Cantor excludebat. Contra verò probatum, Canonicum Poznaniensem electum fuisse.*

Quibus addenda est *epistol.* 154. *lib.* 3. *regest.* 15. ubi objectionem, qua Plebani Veneti electio impugnabat, quod esset extrancus a Patriarchatu, & Imperio, non respuit Innocentius, ut ex iis verbis apparet. *Adjiciebat etiam, quod magis erat extraordinarium consentire in hominem non solum extra totum Patriarchatum, verum etiam*

extra

extra totum Imperium constitutum, quam in vicinum, & familiarem, suffraganeum ejusdem Ecclesiæ, de cujus Pastoris electione tractatur. Quo loci hæc habet Bosquetus: *Sexto Plebani Veneti electionem ab una partium accusari, quod esset extra Patriarchatum, & Imperium; ratione Juris, quod domesticas personas priùs asciscit ad electionem, nec nisi ob necessitatem extraneas vocat. Deinde quia Principum interest, ne ignoti, ne alienigenæ Ecclesias suas regant, & Homines sui fiant, ut Gallicis Constitutionibus statutum est.* Subdit Bosquetus: *hæc exceptio licet falsa contra Stephanum Cantuariensem electum, Angliæ interdicto, & Joannis excommunicationi ansam dedit hoc tempore.*

Rectissimè ait falsam fuisse exceptionem, quia Stephanus de Langethune Sancti Chrysogoni Presbyter Cardinalis, quem Archiepiscopum Cantuariensem constituit Innocentius, Anglus erat natione, licet Joannes, ut eum excluderet, causaretur in Gallia illum diu moratum fuisse. Neque tamen id solum effecit, ut Joannes excommunicatione plecteretur, & Regnum Sacris esset interdictum; sed alia adjuncta Joannis insignia facinora hoc extorserunt: tum quia anno 1207. celebrato conventu apud Uvintoniam, decimam tertiam omnium bonorum etiam Ecclesiasticorum, Angliæ occupavit; tum etiam quia per Fulconem de Chantelou, & Henricum de Cornelle milites, Monachos Cantuarienses ex Anglia expulit, in quorum locum Augustini regulam sectantes subrogavit. Neque precibus Episcoporum ejus furens animus emolliri, aut flecti potuit, qui propterea cum Jozelino Bothoniensi, & Ægidio Herefordensi Anglia excesserunt, Regnum interdicto subjicientes, ut refert Mathæus Parisius, ad quem relegamus, si quis eam historiam diligentius perscrutari velit.

Potiorem in beneficiis obtinendis causam esse indigenarum, quam exterorum, idem Innocentius Tertius evidentissime ostendit *in cap. memoriæ 4. ex de postul. Prælat.* in quo, cum loco Guilielmi Archiepiscopi Strigoniensis defuncti, alius esset sufficiendus, adeo a jure

ab-

abhorrens existimavit, ei Ecclesiæ aliquem ex alienigenis præesse, ut maluerit Archiepiscopum Colocensem a suæ Ecclesiæ vinculo absolvere, & ad Metropolim Strigoniensem transferre: cum tamen nemini ignotum sit, quantopere œcumenica Concilia, & Sacri Canones hujusmodi translationes, sive divortia odio habuerint. *Quia vero* (ait Summus Pontifex) *non plenam de Personis illius Regni notitiam habebamus, ideoque non poteramus salva conscientia, eidem Ecclesiæ de alia Persona, quæ de Regno Hungariæ originem duceret, congruè providere, nec vellemus ei præficere alienum: a vinculo, quò tenebatur, &c. Colocensis Ecclesiæ absolventes ad Metropolim Strigoniensem transferimus, & ei licentiam tribuimus transeundi.* Ex quo text. præter Gl. v. *alienum*, & alios intetpretes, quod nos tuemur, deducit etiam Thomasin. p. 2. lib. 1. cap. 103. n. 6. *Strigoniensi in Hungaria Metropoli Archiepiscopum daturus idem Innocentius tanti momenti esse duxit, ut ne extraneo cuiquam Ecclesia illa crederetur, ut eo transferre maluerit Metropolitanum Colocensem.* Sanè fateri cogimur, nihil magis contrarium Canonibus, quam alienigenas posse ad Beneficia accedere; cum minus deviam translationis insolentiam putaverit Innocentius, a qua Romana Sedes omnino aversa, disciplinam a majoribus acceptam non remittebat adhuc: ut manifestum est epistol. 8. Eugenii Tertii, qui expetente Friderico Imperatore, ut Cicensis Episcopus in Ecclesiam Magdeburgensem transmigraret, hujus rei potestatem, ac gratiam facere noluit, hanc causam assignans; *Cum translationes Episcoporum sine manifestæ utilitatis, & necessitatis judicio, divinæ legis oraculum non permittat: cum etiam multo amplior, quam in aliis electionibus Cleri, & populi eas debeat prævenire concordia*: & Episcopis Germaniæ imposuit, ut quantum viribus eniti possent, Fridericum, qui Cicensem Antistitem ope, consilioque juvabat, ab incœpto avocarent, eique suaderent, ne *Contra Deum, contra sacros Canones, contra Regiæ dignitatis officium, eidem causæ favorem ulterius impenderet.*

Ejusdem rei maximum documentum dedit, & li-

& libro primo Regesti epistol. 13. ad Archiepiscopum Neopatrensem, Episcopum Germopilensem, & Electum Avellanensem; quibus formam præscripsit, quæ servari deberet in Electione Episcopi Thessalonicensis, ita ut indigenas aliis omnibus prætulerit: *Illos, ad quos pertinet electio Thessalonicensis Ecclesiæ moneatis, ut personam idoneam, siquidem in partibus illis reperta fuerit, absque mora per electionem, seu postulationem Canonicam concorditer sibi præficiant in pastorem; si verò propter personarum defectum, quo non solum ipsam Ecclesiam, sed & totam provinciam credimus laborare, personam idoneam non potuerint ad ejus regimen invenire, vos id nobis per vestras literas intimetis.* Ex quibus verbis colligimus, curæ fuisse Innocentio, ut ne quidem in Græcia in eam regulam peccaretur, eumque voluisse, ut si nullus in Ecclesia existeret, qui posset Episcopatum dignè nancisci, recurri deberet ad alios, si qui essent idonei in tota Provincia; nec nisi universa Provincia perlustrata, ac nemine in ea invento, qui illa dignitate, meritis suis id exigentibus, decorari posset, ad externos transitus fieret.

Quare cum Innocentius Tertius exoptaret flagrantissimè, ut Petrus de Corbolio, qui suus fuerat Magister, Senonensi Sedi præficeretur; assensum Philippi Augusti Regis Gallorum per Octavianum Ostiensem Episcopum suum Legatum in hanc rem exquisivit, arrepta occasione, quod Galliæ Regnum in sacrorum communionem velut postliminio restitutum fuisset, quibus interdictum fuerat ob Philippi facinus, qui dimissa Ingeberge Canuti Danorum Regis sorore, ac legitima conjuge, Mariam filiam Ducis Moraviæ, & Bohemiæ superduxerat anno 1196. quo pacto cum Pontifex exulceratum prius Regis animum demulsisset, suo desiderio morem gessit Philippus, vel ut recenti beneficio parem gratiam rependeret, vel ne iterum in Pontificis, cum quo vix in gratiam redierat, offensionem incurreret; quod eò facilius concessit; quod Petrus de Corbolio Parisiis ætatem exegerat, & in scholarum regimine floruerat, quem pu-

Pp blicè

blicè docentem audierat Innocentius institutus in Academia Parisiensi, ut ipsemet fatetur scribens Philippo *lib.1. reg. epist. 168.* Ex his, quas diximus causis, vehementer id cupiente Pontifice, singulare beneficium Petro indultum fuisse a Philippo, ait doctissimus Antecessor Franciscus Florens *ad tit. de postul. Præl.* qui facti rationem exponens, cur eo in negotio Regis concessione fuisset opus, subjungit: *Cum non tantum ad apices dignitatum Ecclesiasticarum, sed etiam ad quælibet beneficia, citra Regum nostrorum concessionem, non pateat aditus extraneis; cujus juris rationem agnoscit, ac significat Innocentius Tertius in cap. 4. h. tit. in fin. vers. quia verò non plenam, &c.* Quibus verbis vir magnus declarat, extraneorum abstentionem a beneficiis quibuslibet, disertè statutam esse in *d. c. bonæ*: qui etiam ad *tit. de elect. & elect. potest.* ait de gremio illius Ecclesiæ Episcopum excipiendum, in qua fieri debet electio, & reliquis præferendum, ex canonibus dist. 61. & Cœlestini decretis; *primùm enim illi* (addit) *reprobandi sunt, ut aliqui de alienis Ecclesiis meritò præferantur, vel si non in ea Civitate occurrunt digni, saltem peti debent ex eadem diœcesi.*

Cur autem utile, ac proficuum fuerit Colocensi Archiepiscopo ea translatio in Ecclesiam Strigoniensem, colligitur ex *epist. 156. lib. 14. reg. Innoc.* adjunctis notis Bosqueti, in quibus amplissima, ac præstantissima jura illius Præsulatus explicantur.

Equidem Innocentius auxilio nobis copias in aciem educit, nobis ubique pugnat, nobis victoriam, ac trophæa comparat. Quocunque nos vertamus, in ejus scriptis, quibus immortalem nominis gloriam sibi conquisivit, cernimus, illi quod nobis extruendum est ædificio, fundamenta substerni, lapides, cæmenta, quibus in altum extollatur, convehi. Prima apud eum in Episcopatibus, aliisque quotquot sunt Sacerdotiis tribuendis, indigenarum causa est; his deficientibus proxima eorum, qui his vicini, & finitimi; ut videre est ex locis in medium prolatis, *& ex epist. 158. lib. 1. reg. 13.* Diu vacabat Ecclesia Bremensis propter dissensionem civium dignitatem

tatem prensantium, quorum nemo idoneus, qui eam impetraret, ut ex iis verbis cognoscimus: *ut quoniam mora præteriti temporis Ecclesię viduatæ, ac ad nihilum ferè redactæ, fuit quamplurimum hucusque damnosa, & futuri protractio poterat perniciosa magis esse*: & ex iis quæ sequuntur; *nos igitur consuli volentes Ecclesiæ diutius desolatæ*, cum tamen non penuria, ac inopia hominum ad id muneris idoneorum pressi fuissent Bremenses, sed iis abundassent, si in externos electio excurrere potuisset; qua in angustia maluit Innocentius, eorum consilium amplexus, transferre aliquem ex vicinia, quem satis cognitum, ac judicatum habebant, licet tantopere translationes, ut monuimus, vitaret Ecclesia, quam Externum eis ingerere; quod videtur Pontifex designare voluisse ea clausula: *Unde tam ipsi, quam dictus Præpositus per suas literas speciales a nobis humiliter postularunt, ut Ven. fratrem nostrum Osnaburgen. Episcopum eisdem vicinum, & per omnia cognitum, ipsis in Archiepiscopum concedere dignaremur*. Hac de causa, *quia vicinus, & per omnia cognitus erat*, qui postulabatur, Bremensium preces benignè excepit: quin etiam, *propter necessitatem temporis* indulsit, ut ille etiam ante pallium susceptum, ad Ecclesiæ gubernationem accederet.

Ex indigenis ei statum erat, fixumque, ut aliis præcurrerent, qui forent ex Ecclesiæ, de cujus Sacerdotiis ageretur, catalogo, ut esset Clerus illius veluti quoddam seminarium, ex quo existerent probatissimi Episcopi, ac beneficiarii. Quapropter cum Ecclesiæ Mediolanensis Clerici ob dissensiones eorum, qui Episcopatum ambientes, de eo inter se certabant, ac rixabantur, præmonente Innocentio, in ipsum totum electionis arbitrium contulissent, dummodo tamen, deligendus esset illius Ecclesiæ miles, ut ex lib. 4. regest. 16. epist. 141. ibi: *Suppliciter postulantes, ut quem mallemus de gremio Ecclesiæ vestræ vobis dignaremur concedere in pastorem*; non existimavit posse incolumi canonum auctoritate extra Ecclesiæ confinia evagari; *Nos autem super hoc deliberatione habita diligenti, suspicionis, & dissensionis materiam vitare volentes, dilectum*

 filium

filium Henricum Cimiliarcham Ecclesiæ vestræ, virum providum, & honestum, in pastorem vobis duximus concedendum.

Plurimum momenti apud eum habebat ea ratio, quæ veluti basis earum conclusionum, ex quibus jus nostrum dimetimur; nempe justissimum esse, ut alii in Beneficiorũ institutione præire debeant, qui in Ecclesia, suæ virtutis non mediocria specimina ediderunt; in inferioribus gradibus laborantes, ut ad altiores sibi viam sternerent: iniquissimum, ut horum præmiis insidias struant externi per cuniculos ad sua Sacerdotia irrepere festinantes. Unde in ep. 177. lib. 4. reg. 16. cum hoc præhabuisset: *Constitutus in præsentia nostra Dil. Fil. I. Diaconus nobis humiliter supplicavit, quod cum in Antiochena Ecclesia per novem annos, & amplius in regimine Scholarum, & Divinis officiis fideliter servierit, & devotè Diaconatus ordinem suscipiens in eadem, ipsum in Canonicum ejusdem Ecclesiæ recepi faceremus*; Patriarchæ, & Capitulo Antiocheno in mandatis dedit, ut ipsum in Canonicum reciperent, ea ratione, & quidem mascula subjecta; *cum dignum sit, ut ubi laborasse dignoscitur, ibi stipendia consequatur.*

Et quamvis eâdem, qua Gregorius Septimus constantiâ præditus, in id nervis omnibus contenderit, ut electiones nullo servitutis premerentur jugo, immo omnimodè libertatem recuperarent, neve quicquam Romanæ Sedis majestati detraheretur, aut decederet, cujus rei argumento esse potest epist. 202. lib. 3. reg. 15. Regi Cypri inscripta; attamen quantum publicæ tranquillitatis, & non modo status politici, sed etiam Hierarchici interesset, agnoscens, Episcopos, aliosq; Sacerdotia obeuntes, erga Reges animo esse fideli, ac devoto; Apostolicæ Sedis Legato in Anglia commoranti rescripsit lib. 4. reg. 16. ep. 138. uti studium omne, operamq; poneret, ut ad *Episcopatus, ac Abbatias in eo Regno vacantes* evocari deberent homines non solùm industrii, idonei, probique, *verum etiam Regi fideles, & Regno utiles, necnon ad consilium, & auxilium efficaces, Regio assensu requisito.*

Celeberrimum est Concilium generale Lateranense sub

sub Innocentio Tertio, de quo Abbas Urspergensis, qui eo tempore vivebat. *Anno ab Incarnatione Verbi* 1215. *Celebrata est Sancta universalis Synodus Romæ in Ecclesia Salvatoris, quæ Constantiniana vocatur mense Novembri, Præsidente Domino Innocentio Papa Tertio Pontificatus ejus anno* 18. *in qua fuerunt Episcopi* 412. *inter quos extiterunt de præcipuis Patriarchis duo, videlicet Constantinopolitanus, & Hierosolymitanus; Antiochenus autem gravi languore detentus, venire non potuit, sed misit pro se Vicarium Antheradensem Episcopum; Alexandrinus verò sub Saracenorum dominio constitutus, fecit quod potuit, mittens pro se Diaconum suum germanum. Primates autem, & Metropolitani* 71. *caterum Abbates, & Priores ultra* 800. *Archiepiscoporum verò, & Episcoporum, Abbatum, & Priorum, & Capitulorum absentium Procuratorum non fuit certus numerus comprehensus; Legatorum verò Regis Siciliæ in Romanorum Imperatorem electi, Imperatoris Constantinopolitani, Regis Franciæ, Regis Angliæ, Regis Hungariæ, Regis Hierosolymitani, Regis Cypri, Regis Aragoniæ, necnon & aliorum Principum, & Magnatum, Civitatum, aliorumque locorum ingens fuit multitudo.* In hoc Concilio fuit præscripta forma electionum, *ut ex cap.* 41. & 42. & *seqq. de electione, & electi potestate.* Inter alia vero, quæ in eo constituta fuerunt, sive potius renovata, rectissimè principem locum obtinet, ut electio Rectoris, sive in Cathedrali, sive in Regulari Ecclesia ultra tres menses ne prorogetur, neque suo parente orbata diutius squaleat; alioquì potestas eligendi ad superiorem devoluatur: ut si in Ecclesia idoneus reperiatur, extraneus assumi nequeat. *Is vero, ad quem fuerit devoluta potestas, Deum præoculis habens, non differat ultra tres menses, cum consilio Capituli sui, & aliorum Virorum prudentium viduatam Ecclesiam de persona idonea ipsius quidem Ecclesiæ, vel alterius, si digna non reperiatur in illa, canonicè ordinare: si canonicam voluerit effugere ultionem.*

Cum autem in eo Concilio non id tantùm Innocentius instituerit, Ecclesiæ depravatos mores corrigere, sed etiam pleraque statuere de Græcis, qui nuper schis-

matis

matis eluviem absterserant; & ea electionum forma communis esse deberet tam Ecclesiæ Occidentali, quàm Orientali, qua de re Patriarchæ Orientis, vel per se, vel per suos Vicarios Synodo interfuere, eique subscripserunt; fuit canon 23. cum aliis in patrium sermonem a Græcis conversus, ut patet ex Codice Mazarino, ἐκεῖνος δὲ πρὸς ὃν ἐκκυλισθήσεται ἡ ἐξουσία Θεῖον ἔχων πρὸ ὀφθαλμῶν μὴ ὑπερθέσθω ἔξω τριῶν μηνῶν μετὰ βουλῆς τοῦ καπιτούλου αὐτοῦ, καὶ ἄλλων φρονίμων ἀνδρῶν τὴν χηρεύουσαν ἐκκλησίαν ἐκ προσώπου εἰδήμονος τῆς αὐτῆς μὲν ἐκκλησίας, ἢ ἄλλης ἐὰν ἄξιον μὴ εὑρεθείη ἐν αὐτῇ κανονικῶς ζεύξασθαι ἐὰν τὴν κανονικὴν θελήσῃ ἐκφυγεῖν δικαίωσιν. Hoc autem ostendit utriusque Ecclesiæ consensum in extraneorum ablegationem a beneficiis, ut rectè Gabriel Cossartius tom. 11. conc. p. 142. *Græca verò translatio eadem ætate facta, utriusque concordiam Ecclesiæ demonstrabit. Aderant siquidem Concilio Constantinopolitanus, & Hierosolymitanus Patriarchæ: miserant Legatos suos Alexandrinus, & Antiochenus: ex ijs Patriarchatibus Metropolitæ, aliique Episcopi multi convenerant, qui ut secum decreta Concilij referrent, Græcam in linguam, quamvis ineleganter immò multis in locis barbarè translata sunt.*

Cum autem ita sexcentis in locis Innocentius statuerit, cum ita pronunciaverit in Causa Strigoniensis Ecclesiæ, cum ita eo Præsidente definitum fuerit in Concilio generali Lateranensi; nemini in mentem venire poterit, ipsum *in capite ad decorem de Institutionibus* sibi non constitisse, in quò Patriarcham Constantinopolitanum corripit, quod in ea Urbe, Venetis tantùm Beneficiorum gratiam faceret. Equidem Caput illud nostrorum ingenia mirè torsit, quos derident vulgo, quod Historiam non callentes eorum temporum incuria, ac incogitantia, in scopulos impegerint. Sed non pugnat cum aliis Innocentii III. Constitutionibus, imò potius ex eo, his quæ hactenus probavimus, robur astruere possumus. Pro hujus Textus enarratione licet quamplurima attulerint, præter antiquos Interpretes a Barbosa laudatos, Petr. Greg. *lib. 1. de rescript. c. 30.* Arellan. *ib. 3. antinom. 3.* Garz. *de beneficijs 7, p. cap. 9. per totum*,

So-

Solorz. *lib.3. de Jur. Indiarum cap.* 19. Azor. 2. *p. Institut. lib.6. cap.4.* Philip. Berter. *diatriba 2. cap.3.* attamen illius germanam, ac genuinam interpetrationem petendam ex Historia obsessæ, ac captæ Urbis Constantinopolitanæ, quam refert Besold. *in histor. Constantinop.* quæque apparet ex gestis ab Innocentio Tertio editis a Francisco Bosqueto; jampridem doctissimis Viris fuit animadversum. Notum est, ejectis Alexio, & Isacio, qui de Imperio inter se contendebant, junctis Gallorum, ac Venetorum copiis, Duce Balduino Comite Flandriæ, Metropolim illam subjugatam fuisse, pactis ante obsidionem conventis inter Balduinum Marchionem Montisferrati, Marchionem Blesensem, & Clarimontis, Comitem Sancti Pauli, & Henricum Dandulum Venetorum Ducem, ut si Imperator e Gallis crearetur, e Venetis Patriarcha deberet assumi: quæ pacta ex gestis Innocentii a Bosqueto typis traditis, *fol.* 82. inspici possunt. Translato igitur Imperio a Græcis ad Latinos, cum fuisset Balduinus Imperatot renunciatus, electus fuit Patriarcha Thomas Maurocenus Venetus, quem confirmavit Innocentius, cui & ille se subjecit, ut ex actis ejusdem Innocentii, & epistolà ad Balduinum transmissa, quę habetur apud Bosquetum in notis *ad epist.* 18. ejusdem Pontificis. Cumque Thomas Venetias revertisset, jurare coactus fuit, se non passurum, ut aliquis in Canonicum S.Sophiæ eligi posset, nisi qui esset origine Venetus, vel Venetiis per decennium habitasset. Quod cum rescivisset per Legatos suos Innocentius, rescripsit quod habetur *d. c. ad decorem*: qui postea juramentum illud, quod Veneti a Mauroceno vi extorserant, rescidit, ut ex epistola quæ legitur apud Bosquet. loc. cit. *Nos igitur attendentes juramentum illud, quasi prorsus illicitum non esse servandum, quod a te Venetiis constituto fuit a Venetis violenter extortum, sicut tua nobis insinuatio patefecit, ut videlicet neminem sis facturus Canonicum in Ecclesia Sanctæ Sophiæ, nisi Venetum natione, vel qui continuè per decennium Venetiis habitasset, quodque bona fide modis omnibus, quibus poteris laborabis,*

ut

ut semper in Ecclesia sanctæ Sophiæ sit Venetus Patriarcha:cujus juramenti meminit Cujac. ad cap.8. de Clericis residentibus,*quem*(de Mauroceno loquitur,)*& Romanus Pontifex cap.5. infra de institut. reprehendit pro Imperio suo, quod Venetos tantum suę nationis homines in Ecclesiis Constantinopolitanis constitueret, ut Venetis cum institueretur promiserat*. Hoc præhabito, nemo non videt, canonem illum aliis juris Pontificii locis non refragari, & facili negotio cum iis in concordiam adduci posse;tum quia nullus ferè tunc temporis aderat Constantinopoli Clericus, qui aliis ex Patrum regulis deberet anteferri; siquidē Jo:Commatenus Græcus Patriarcha,cum universo Clero e Civitate abjerat, quò pertinent ea verba cap.10. de Clericis non residentibus, *qui Ecclesias,vel prębendas in hac deserunt novitate*, ut ait Cujac. ideoque novi Coloni, ut proprii Ecclesiæ Constantinopolitanæ Clerici haberi debebant; qui cum essent tam Franci, quam Veneti, utrique debebant beneficiorum participes fieri, ut eximiè Bosquetus ad epistolam 13. lib. 1. regest. Innoc. cujus verba sunt elegantissima: *Igitur meritò iterum arguit Innocentius Patriarcham, quod ita mordicus suo errori adhæreret, ut Francis exclusis,solos depopulares beneficiis ornaret. Nam licet ignotos Clericos, & extraneos ordinare, imò nec recipere, iure sit prohibitum, & propriæ Ecclesiæ Clericos, vel Paræcos aliis omnibus anteferri, Patrum regulis cautum; attamen quia jam fere nullus Constantinopoli Clericus, nam Ioannes Commatenus Patriarcha Græcus cum omni Clero Civitatem exiverat, novi Coloni, ut proprii Clerici, & Ecclesię Constantinopolitanæ domestici, censeri debebant. Et cum ea Francis simul, ac Venetis ex pacto cessisset: Francis etiam, Venetisque, Ecclesiasticæ militiæ stipendia communia esse debebant. Nec obstare poterat, quod Græcorum Sacerdotium in Venetos, ut Imperium in Francos translatum erat. Id enim, quod ad Sacerdotium attinet, Innocentius reprobarat: quò etiam valido, apicem quidem Sacerdotij in unum Venetum, at vel ipsum Sacerdotium omne, in universos Venetos transisse quis credat?* Ex quibus patet, Bosquetum non dubitasse,quin si Clerici Regiæ urbis suis derelictis Ecclesiis

cx

ex urbe non excessissent, & non perseverassent in schismate, aut non recens illud deposuissent, fuissent extraneis in beneficiorum collatione anteponendi; quod videtur subolvisse *Glos. d. cap. 4. bonæ de postul. præl. v. alienum* ubi cum peregrinos ab sacerdotiis alienos fecisset *ex 71. dist. cap. hortamur, & C. de episc. & cler. in ecclesiis, & ff. de tut. & curat. datis ab. l. divus*, ait non obstare *cap. fin. de cler. peregr.* neque d. cap. ad decorem *quia illi erant omnes extranei, & qua ratione illi Veneti instituebantur, eadem ratione & alii, dummodo aliud impedimentum non obsistat, & d. cap. ad decorem*: quo loci cum dixisset ei opponi *Canonem Afros distinct. 91. & cap. fin. de electionibus*, quibus prohibetur, ut possint institui Clerici alienæ Diœcesis, ita hanc antinomiam dissolvit: *sed hic omnes erant extranei, tam Veneti, quàm alii, & ideo undequaque essent, debebant in Ecclesia Constantinopolitana institui, & non Veneti tantùm*; tum etiam quia Græci Clerici non modo è Civitate exiverant, sed etiam post illam cladem, in schismate obduruerant, & Romanum Pontificem agnoscere nolebant, sibi primam Sedem Orbis Christiani arrogantes, qui ab orthodoxis dogmatibus, in aliquibus etiam declinabant; ideoque indigni erant, qui beneficiis ornarentur: item quia eo tempore primum Constantinopolitana Ecclesia, quæ antea erat inobediens, & rebellis, Catholicæ communioni se restituerat, ac proindè etiam si aliquis e Clero Hellenico, abjurato schismate, civitatem non deservisset, non poterat ullo potiri privilegio tanquam indigena, & ex Ecclesiæ gremio, quæ catholica nulla fuerat: immò non modo non poterat meliore conditione esse, quam novi Coloni, qui ut proprii Ecclesiæ Clerici, & domestici haberi debebant, ut argumentatur Bosquetus, quorum plerique etiam ex longo tempore Clerici, & qui per multos Ecclesiasticos gradus ascendissent; sed etiam his loco cedere debebat tanquam non Canonicè institutus, & tunc a schismate in catholicorum consortium remeans, & inter laicos hoc nomine rejectus, ut mox dicemus: quod videtur in

mente habuisse Ioannes Andr. d. cap. ibi : *quia nulli erant ibi Clerici, quia Terra erat de novo conversa*, & Abb. n.3. his verbis: *in Glos. in verbo undequaque ibi : omnes erant extranei, & hoc ideo, quia Ecclesia Constantinopolitana tunc de novo fuit conversa ad fidem, unde non erant Clerici inde geniti, sed oportebat assumere extraneos*. Qui etiam explicando dictum Glossæ, concludit, *licet extraneus possit institui in beneficio, dummodo idoneus sit*; tamen hoc ita temperandum esse, si indigenæ idonei non existant: *credo tamen ubi inde geniti essent idonei, quod non debent postponi propter extraneos*; subjicitque juri, & æquitati consonum esse, *ut unus non occupet beneficia, vel stipendia alterius, ne detur*, ait, *materia depauperandi beneficia; & inducuntur facilius ad residentiam tales indigenæ, quam Extranei*. Quæ interpretum antiquorum verba eò libentius in medium protuli, quò quisque intelligat, non illos loris cædendos, quippe qui historiæ, vetustatisque rudes, ac ignari. Quod est recentiorum vitium, beneficio temporum majorem historiæ, & humaniorum literarum ad jus civile, vel Canonicum lucem afferentium, qui quoties, vel minima eos carpendi occasio in his, quæ ad antiquitatem pertinent, se obtulit, perquam inclementer miseros illos semibarbaros exsibilant: qua in re plerunque verendum est, ne inanis jactationis gloriolam captare videantur, dum etiam ea, quæ ex vero dicta sunt falsò insimulant, ac reprehendunt, ut de Accursii obtrectatoribus scripsit Contius *subsec. lib. 1. cap. 2.* His addendum, quod pacto continebantur, non tantum ij ex Venetis, qui Constantinopolim incolerent, vel in ea lucem aspicerent, sed omnes, qui Venetiis originem ducerent, & in ea Civitate domicilium haberent, qui quo ad novam Romam velut alienigenæ erant judicandi: ideoque tantum abest, ut Innoc. *in dict. cap.* secum ipse pugnaverit, ut pactum irritum declaraverit, tanquam regulis Patrum adversarium, quia eo exteris beneficia addicebantur. Præterquam quod cum a Francis, licet ope Venetorum, Urbs Regia capta fuisset, pacis publicæ intererat, ne ad Veneti

tra-

tractus angustias, exclusis Francis, aliisque latinæ communionis hominibus, qui ad tuendum Imperium undecunque ad Urbem accedere possent, quique a Balduino, sibi rebusque suis diffidente, & Græcorum perfidiam meritò metuente undique arcessebantur, beneficiorum illustrium, & ipsius Patriarchatus spes omnino redigeretur, ut ait Marc. *de concord. Sacerdot. & Imper. lib. 4. cap. 9. num. 10.* Præsertim cum de injuria, qua populares sui afficiebantur a Patriarcha, Imperator cum Innocentio conquestus fuisset, ut constat, *ex d. ejus epist. 18. lib. 1. regest. 13.* ac satis animo Pontifex provideret, quantum, nutantibus adhuc, atque fluctuantibus novi Imperii rebus, dissidium illud, si non illico fuisset compositum, nocere potuisset. Et hæc vera dicti capitis sententia, quam primus olim indicaverat Franciscus Roaldesius antecessor insignis, ex quo deinde præstantes viri Ioannes a Costa, & ex eo Berterius in libris Pithanon, & deinde reliqui promiscuè eam tradiderunt, inter quos Florens *de translatione Episc.*

Sed ajunt, generalis regula est, quam tradit Innocentius. *Non est apud Deum acceptio personarum: non decet sanctuarium domini jure hæreditario possideri.* Ergo sanctuarium Dei jure hæreditario possidetur ex mente Innocentii, cum certo hominum generi Sacerdotia mancipantur. Ergo idem absurdum consequitur, si beneficia indigenis addixerimus. Næ qui ita loquuntur, ab Innocentii scopo, ac sententia quamlongissimè aberrant, merasque afferunt nugas. In specie, de qua egit Innocentius, non erant Veneti indigenæ, non erant in Ecclesiis Constantinopolitanæ diœceseos stipendiis emeriti: nullo in eis se ministerio exercuerant, in quos propterea, si soli in iis locati fuissent, quadrare videbatur quodammodo ea exprobratio, beneficium Ecclesiasticum successionem hęreditariam non agnoscere: quadrare etiam & altera, *non esse apud Deum acceptionem personarum.* Nam quibus meritis quibus laboribus, quam ob Ecclesiæ utilitatem cæteris præstarent Veneti, quicquam non erat. Itaque nihil mo-

vere poterat Maurocenum ad tantam injuriam Gallis, & aliarum gentium hominibus irrogandam: ut proinde recte Innocentius ita ei succensuerit, *prout caro, & sanguis revelavit tibi*, reg. 13. lib. 1. epist. 18.

At cum iis, qui de Ecclesiis benè meriti sunt, qui eas sudoribus suis rigarunt, Sacerdotia largimur; hoc non est Sanctuarium Dei jure hæreditario possidendum tribuere, sed labores insumptos sua mercede, suis præmiis non defraudare. Cum indigenæ in beneficiis aliis præferuntur, hoc est utilitati Ecclesiarum providere, ab eis perniciem, exitium avertere; quod externis commissa earum administratio, ut experientia docuit, secum trahit. An Cœlestinus, Leo Magnus, Gregorius, totaque Pontificum cohors, an tot Concilia, quæ ad beneficia vocant, qui sunt ex Ecclesiæ sinu; serva, ac captiva Sacerdotia effecerunt? in iis jus hæreditarium induxerunt? An Concilium Lateranense, cui præfuit idem Innocentius Tertius, in quo assentiente utraque Ecclesia, sancitum fuit, ut Episcopi sumerentur ex Ecclesiæ gremio, sanctuarium Dei hæreditarium reddidit? subversum ivit Apostolicum Canonem, quo id fieri prohibetur? Quomodo hæc simul stare possunt, quod ait Nicolaus Primus, violari jus naturæ, legem Mosaicam, legem gratiæ, cum extranei ad beneficia arrepunt, cum Ecclesiæ filii, ac alumni posthabentur; & quod Adversarii jactitant, si id fiat, beneficia Ecclesiastica assumere naturam rei hæreditariæ? Successionem in beneficiis vetuit canon apostolicus 76. At vero indigenarum prærogativa ab Apostolis, ab eorum traditione, a jure divino originem ducit suam. An pugnantia docebant Apostoli? An jus divinum a seipso dissidet?

Ne imponamus quæso parum peritis. Canonis apostolici 76. verbis, & Prophetæ dicentis, *Deus meus pone illos, ut rotam, qui dixerunt, hæreditate possideamus sanctuarium Domini*, vim ne faciamus manifestissimam: eorum mentem ne circumveniamus. Hujusmodi verborum finis, ac scopus est, *ne quis sibi beneficia Ecclesiastica paterna vin-*

vindicet hæreditate, aut successorem sibi constituat in beneficio; ut dicitur in Concilio Londoniensi anni 1138. can. 6. ubi ita David locus explicatur, ne Sacerdotia alicui familiæ sint astricta, qui mos apud Armenos cum inolevisset, fuit abolitus Conc. Cpni can. 33. Quem apud Hibernos reprobat Bernardus, apud Arvernos Hildebertus: quem cum eliminare e suis Regnis studeret Henricus Daniæ Rex, in ipso conatu morte interceptus rem ad finem perferre non potuit, Krantzius *lib. 5. Daniæ cap. 10.* idque ea de causa interdictum, ut in collatione beneficiorum, non gratiæ conciliandæ, & aucupandæ, non personarum ratio habeatur, sed meritorum: non affectui, non personarum lucris serviamus, sed Ecclesiarum utilitatem sequamur, quæ est ratio expressa in Concilio Rhemensi anni 1131. can. 16. *Indubitatum est, quoniam honores Ecclesiastici sanguinis non sunt, sed meriti, & Ecclesia Dei non hæreditario jure, aliquem non secundum carnem successorem expetit, sed ad sui regimen ex officiorum suorum dispensatione honestas, sapientes, & religiosas personas exposcit; ea propter auctoritate prohibemus apostolica, ne quis in Ecclesiis præbendas, præposituras, capellanias, aut aliqua Ecclesiastica officia hæreditario jure valeat vindicare, aut expostulare præsumat.* Quæ ratio occurrit & in aliis Conciliis eadem, ob quam ex evangelio immutata fuit lex veteris testamenti, quæ Sacerdotium coercebat solummodo inter eos, qui essent ex genere Levitarum, ut in plerisque Pontificiis epistolis narratur. Atqui cum beneficia dantur indigenis, non personis prospicimus, sed Ecclesiarum necessitati, atque utilitati, earumque recto regimini, quibus illi magis tempestivi, ac commodi, quibus illi præstabiliores, uberioremque facere frugem solent; qua de causa digno civi, exoticus quamvis dignior, cedit, ut infra probabimus, quibus obtrusio alienigenæ perniciosissima: cum ex indigenis conferuntur iis, qui in Ecclesia militarunt, non quicquam gratiæ datur, sed jus suum meritis tribuitur, & iis meritis, quæ inspici debent juxta præscriptum juris naturalis, & divini, ut nempe quis in

ea Ec-

ea Ecclesia *in qua laboravit, ibi stipendia, ac mercedem accipiat*, ut ajebat Innocentius ipse in relata epistola, qui propterea voluit, ut Clericus ille, a quo aditus fuerat, in Ecclesia Antiochena beneficio donaretur, in qua divinis officiis vacaverat, & in scholis docuerat, utut alibi beneficium consequi potuisset: & ut ajebat Nicolaus Primus ex Divo Ioanne Baptista sæpius recudens, ut quisque esset contentus suis stipendiis: ad quod respexit etiam concilium octavum in canone supra adducto.

Quare cum Bosquetus ad *d. epist.* 18. dixisset, ignotos Clericos, & extraneos non modo non ordinari, sed nequidem recipi posse, *& propriæ Ecclesiæ Clericos, vel paræcos alijs omnibus anteferri patrum regulis cautum*, & ob discessum Commateni cum omni Clero, non fuisse meliore jure Venetos, quam Gallos, nec credi posse Sacerdotium omne in Venetos fuisse translatum, pergit, aitque, *Nam eo pacto, ut rectè ait Innocentius epist. ad decorem, sanctuarium Dei jure hæreditario possideretur, quod jam olim canon 76. Apostolorum prohibuerat*, κληρονόμους γὰρ ἐπισκοπῆς (*omnia quoque beneficia intellige*) ποιεῖσθαι οὐ δίκαιον τὸ τοῦ Θεοῦ χαριζόμενον πάθει ἀνθρωπίνῳ, *apud Zonaram adjicitur*, οὐ γὰρ τὴν τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίαν ὑπὸ κληρονόμους ὀφείλει τιθέναι. *Quod sequentes deinde canones confirmarunt*. Ex quibus verbis duo discimus: alterum, quod in canonibus statuitur de Episcopis, accipiendum & de aliis reliquis beneficiis: alterum, cum Ecclesiæ Clerici, vel Paræci, in Sacerdotiis aliis præponuntur, non fieri Sacerdotium Dei hæreditarium, immò privilegium illorum esse *Patrum regulis cautum*; possideri vero jure hæreditario, cum eorum, qui in eadem causa sunt, certæ familiæ (dicamus, & generi) Sacerdotia adjudicantur, ut eveniebat in Venetis, & Francis, quorum cum non dispar esset conditio, quod attinebat ad merita, & jus novæ Coloniæ, ex quo haberi debebant tanquam proprii Ecclesiæ Clerici, & domestici, non æqualis tamen erat fortuna in beneficiis acquirendis, Quod & videtur sensisse Paulus Dumay in notis ad dictam epist. 18; ubi ita differit. *Cæterum ad interpretationem hujus epistolæ vi-*

vide cap. scriptum, cap. ad decorem de Institut. Nec obstat lex In Ecclesiis C. de Episcop. & Cleric. & cap. bonæ §. ne cæteri vers. intelleximus de postulat. Prælat. ex quibus Clerici unius provinciæ Clericis alterius præpollent; sed ratio decidendi extat in eodem contextu ex quo desumptus §. 4. Ordinationis Regiæ, quæ in Comitiis Blesensibus sancita fuit, Ioannes Ferrautus privileg. 9. Liliorum. Alienigena non potest in Regno beneficiarij sine Regis permissione. Nam dum ait, nullum esse dissidium, nullam dissonantiam inter Innocentii decretalem *ad decorem*, & constitutiones, ex quibus Clerici unius provinciæ præpollent Clericis alterius provinciæ, inter quas est *c. bonæ*, agnoscens auctorem eundem Pontificem, ex rationibus in iis constitutionibus enunciatis; dicendum omnino est, ex viri clarissimi sententia, non possideri tanquam hæreditarium sanctuarium Dei, cum beneficia indigenis distribuuntur, & *cap. ad decorem* haudquaquam ad speciem nostram pertrahi posse.

Itaque abutuntur suprascripto canone peregrinorum fautores, etiam quia in ea decretali hæc duo conjunguntur; non succedi in sanctuario Dei, sicut in hæreditatibus, *& non esse apud Deum acceptionem personarum*: quamvis Innocentius priorem rationem non multum ad rem pertinere persentiens in epistola 18. ad Patriarcham Cpnum d. lib. 1. reg. 13. altera contentus, eam omiserit. At cum eligitur, qui est de Ecclesiæ gremio, nemo sani capitis possit asserere, hoc fieri ex *acceptione personarum*. Sanè Divus Thomas 1. 2. *quæst.* 63. *art.* 2. cum in examinanda hac quæstione: *Utrum in dispensatione spiritualium locum habeat acceptio personarum*, id sibi opposuisset 4. oppos. *Præterea secundum statuta Ecclesiæ* (notanda sunt hæc verba *secundum statuta Ecclesiæ*) *eligendus est aliquis de gremio Ecclesiæ: sed hoc videtur ad acceptionem personarum pertinere; quia quandoque sufficientiores alibi invenirentur; ergo personarum acceptio non est peccatum in spiritualibus;* statim hoc objectum ita removet optimè: *Ad quartum dicendum, quod ille, qui de gremio Ecclesiæ assumitur, ut in plurimis consuevit esse utilior quantum ad bonum commune, quia magis diligit Ecclesiam, in qua*

est

est nutritus, & per hoc etiam mandatur Deuteronom. 17. *non poteris alterius gentis hominem facere Regem, qui non sit frater tuus*. Et in responsione ad tertium ait, non posse *ad acceptionem personarum* referri si indigena, licet minus dignus, præiverit externo digniori; quia indigena magis idoneus quantùm ad bonum commune: *sed quantum ad conscientiam eligentis, necesse est eligere meliorem, vel simpliciter, vel in comparatione ad bonum commune: quia si potest haberi aliquis magis idoneus erga aliquam dignitatem, & alius præferatur, oportet, ut hoc sit ob aliquam causam. Quæ quidem si pertineat ad negotium, quantum ad hoc erit ille, qui eligitur magis idoneus: si verò non pertineat ad negotium id quod consideratur ut causa, erit manifestè acceptio personarum*. Cui consentit Azorius parte 2. lib. 6. vers. ad objecta. *Ad cætera verò dicimus: In beneficijs rationem haberi meritorum: genus tamen, & patria aliquando Ministrum Ecclesiæ utiliorem, & aptiorem efficiunt. Item quamvis beneficium unius gentis, ac familiæ hominibus debeatur, non inde hæreditaria successio in beneficijs locum habet: neque enim illis confertur ratione generis, & sanguinis, sed quia utiliores, & magis idonei sunt, aut saltem quia digni, & idonei cum sint, leges, & canones eos præfici Ecclesijs jubent, ceteros excludunt.*

Profectò his argutationibus, ne dicam quid asperius, quibus tantoperè sibi placent Adversarii, Sanctissimis Pontificibus sunt injurii. In cunctis penè Christiani nominis provinciis omnem peregrinis beneficiorum spem interceptam, nemo est qui ignoret. Id ne quidem in dubium adducunt, qui nobis adeò sunt infensi: sed causæ quam susceperunt studio abrepti, dependere ex privilegiis specialibus a Summis Pontificibus concessis ariolantur, quasi aliter esset dicendum, si Pontifices juris communis gratiam non fecissent: quod tam falsum est, quam quod falsissimum, ut infra ostendemus. Verum ponamus, Nationes, apud quas nullus est peregrinis locus in beneficiis, esse eis, quæ comminiscuntur privilegiis suffultas, quæsumus Adversarios, an iis indulserunt Summi Pontifices, ut Sanctuarium Domini jure hære-

ditario

ditario possiderent adversum Concilia, adversum Apostolicum Canonem? Vide quam imbecillum sit, in quo omne causæ præsidium ponunt; vide, ut a peregrinis ineant gratiam, in quas angustias se conjiciunt.

Nec adeò rerum sumus imperiti, ut diffiteamur, licet aliquod speciale factum legi occasionem præbuerit, eam obtinere generatim in omnibus casibus, in quibus eadem obversatur ratio. Etiam Principum epistolæ, etiam rescripta, quæ precibus porrectis de singulari negotio reddebantur, leges sunt, legum vim habent. Sed ut nos cum Adversariis bona fide agimus, ita agant nobiscum vicissim, nec abnuant ex specie, in qua lex edita fuit, si quando aliquid dubii emerserit, ejus interpretationem sumendam: ex ea, verba quandoque latè patentia, constringi.

Cæterùm Innocentius in suo rescripto de Græcis non egit. De controversia, quæ inter Venetos, & Francos ob Sacramentum, quod Patriarcha dederat Venetiis, oborta fuerat, de cujus injuria expostularat cum eo Balduinus Imperator, *ut ex epist. 18. lib. 1. regest. 13.* respondit: Azor. *instit. par. 2. lib. 6. cap. 5.* Sed quænam in eo rerum statu Græcorum ratio duci poterat? Clerus universus cum Commateno, ut diximus, urbe abscesserat. Clerici omnes Patriarchæ adhærentes, in schismate permanebant. Sed dato aliqui resipuissent, quanti æstimanda erat eorum ordinatio? Nunquid ordinatio a schismaticis collata, executionem habere poterat? Esto habere potuisset, nunquid ei, qui heri fuerat schismaticus, erat fidendum? Nunquid ei Episcopatus credi poterat, aut aliud Sacerdotium, ut si forsan ad pristinum errorem revolueretur, gregem Domini sibi commendatum perderet? Concedamus aliquos fuisse ex Græcis non e Clericorum collegio, qui a longo, quo sepulti fuerant veterno, expergefacti, schismati renunciassent, quodnam consilium fuisset his Ecclesiastica ministeria beneficiis annexa committere? Quæ Canonica auctoritate laicis, simulque neophytis potuis-

sent concredi? Certè si mente repetamus Conciliorum decreta, Concilium Lateranense sub Innocentio Secundo, ordinationes factas a Petro Leonis nullas declaravit can. 24. *Ordinationes factas a Petro Leonis, & Schismaticis hæreticis, evacuamus, & irritas esse censemus*: quem refert August. in epit. jur. lib. 11. tit. 54. Aliud Lateranense sub Callixto 2. de ordinationibus Burdini idem statuit: idemque Synodus generalis sub Alexandro 3. de ordinatis ab Octaviano, Guidone, & Ioanne Strumensi: *ut ex cap. 1. de Schismaticis*: & qui ab hæresi, vel Schismate ad communionem catholicam revertuntur, promoveri ad gradum ullum Ecclesiasticum, & si Clerici sunt, ad ministerium superius evehi nequeunt, can. 8. *Nicæni, Leo epist. 13. ad Januarium* &c ad eam Quesnellus *cap. nos consuetudinem 12. dist.* quæ incapacitas ad filios hæreticorum extensa, *usque ad secundam generationem cap. quicunque §. hæretici, & cap. Statutum* 15. & ibi *Gloss. ver. inane de hæreticis in 6.*

Sed ne in apertissima luce nostri amplius caligent oculi, en ipsum Innocentium, si qua obscuritas sit in ejus decretali, sibi facem præferentem? Equidem ille in privilegio concesso Patriarchæ Constantinopolitano Mauroceno, id ei dedit in mandatis. *Et cum in Ecclesia Constantinopolitana, vel nulli, vel pauci sint canonicè instituti, ad eam sub Apostolica obedientia idoneos viros assumas, nec sanguini aliter, quam deceat acquiescas, sed merita ponderes, & literaturam attendas, quoniam in omni gente, qui facit justitiam, acceptus est Deo*, ut ex gestis Innocent. pag. 103. Quia nulli aderant ex Græcis, quia pauci canonicè instituti post urbem expugnatam, ei præcepit, ut idoneos viros in eam Ecclesiam adveheret, monens, ut merita pensaret, non cognationem, non sanguinem, nec sineret se in suos populares propensione, aut benevolentia de via decedere, *quoniam in omni gente &c.* Quod cum animo excidisset Patriarchæ, ipsum coarguit *d. c. ad decorem*, cui ex privilegio lumen fœnerare possumus. Ex historia rerum a Gallis in Oriente gestarum, quam foras dedit eruditissimus vir *Du Fresne* habemus, Balduinum a Pontifice petiisse,

tiisse,

tiisse, ut ecclesiasticos homines, ac etiam laicæ conditionis in Thraciam mitteret, spondens eos agris, ac possessionibus donaturum: Innocentium verò Doctoribus Academiæ Parisiensis mandasse, ut viros pios cognitæ, probatæque virtutis, quive in sacris literis magnos profectus haberent, CPlim transfretare curarent, ob Catholica dogmata universè in ea stabilienda. Atque hoc fuit causæ, & quidem maximæ, cur Græcis, etiam qui in schismate non perdurassent, deneganda fuissent beneficia. Quod nemo non fatebitur, qui secum reputaverit illius gentis volubilem animum, & ipsum Maurocenum postea eos in schismate consovisse, ut ab obsequio Romani Pontificis avelleret, ut ex *c. licet de baptis.* Quamvis Innocentius tanti fecerit jus, quod indigenis competit in beneficiis, ut requisitus a Patriarcha, quos deberet præferre in Episcopatibus, Græcos, an Latinos, utcunque ea, quæ consideravimus, aliud ei suadere debuissent, ita rescripserit: *Postulasti postmodum per Sedem Apostolicam edoceri, qualiter Episcopatus illos debeas ordinare, etiam in quibus permixti sunt Græci pariter & Latini, & quos debeas præferre in eisdem; ad quod fraternitati tuæ breviter respondemus, quod in illis Ecclesiis, in quibus sunt solummodo Græci, Græcos debeas Episcopos ordinare, si tales valeas reperire, qui nobis, & tibi devoti, & fideles existant, & a te consecrationem velint recipere humiliter, & devotè: in illis verò, in quibus cum Latinis Græci sunt mixti, Latinos præficias, & præferas ipsis Græcis,* in epist. ejus, quæ gestis pag. 109. Quod potuit origini indulgere, indulsit nimis propensè, causam religionis prodere non potuit.

Commode hic cadit, & opportune, commenti cujusdam a peregrinis Clericis excogitati, cujus gratia nimia confidentia sibi applaudunt, confutatio. Opponunt, cum vetus electionum forma vigeret, eæque fierent adhibito populi suffragio, absurdum fuisse, & apostolicæ traditioni contrarium, in Ecclesiam immitti alienigenam, cujus mores, & vitæ ratio non innotescerent populo, absque ejus ullo testimonio: quod cum ab eo esset dicendum, referebat maximè legi Episcopos ex iis, qui in

Ecclesia vacante, vel si minus, in vicina enutriti fuissent. Quæ tamen necessitas in electionibus, antiqua consuetudine ab usu rejecta, cessavit simul, ac concidit; proinde nihil nobis adjumenti comparari posse ex Iulio I. atque Athanasio, quibus Gregorii Cappadocis improbata electio, non tam quia ab externa regione advenerat, quam quia a populo non expetitus, eique incognitus: neque ex Cœlestino, & Leone, qui suæ ætatis morem aspectabant.

Sed ut ab Iulio, & Athanasio initium faciam, eorum verba profectò captant, ac calumniantur Adversarii, & ad sensum ab ipsorum mente, sententiaque alienum detorquent. Etenim Iulius in priori clausula, canones Apostolorum ait pessumdatos, quia Gregorius externus; in tertia eorũ dissolutionem indignatur, quod non esset susceptus ex ipso sacrario, ex ipso Clero, & ne verbum quidem de electionis, ac suffragii prætermissione: in secunda vero, eversionem Apostolorum canonis eo potissimùm deflet, quod neque Alexandriæ natus, neque in ea lustrali fonte detersus, licet etiam objiciat, non postulatum fuisse, neque ab Episcopis, neque a presbyteris, neque a plebe. Ex quo si quis inferret, ergo potuit postulari, si non ritè ordinatus, quod postulatio defuisset, esset hæc mera cavillatio; hoc enim sibi voluit Iulius, repugnasse electionem canoni Apostolorũ, quia nec ortus Alexandriæ, nec renatus Gregorius, eamque vitiosam censendam, etiamsi ille fuisset indigena, quippe cui postulatio non præcessisset. Athanasius verò ea de causa ait rescissam Domini Constitutionem, quod ex aliis locis, quinquaginta mansionum intervallo dissitis, Constantius misisset Cappadocem, non quod a populo expetitus non fuisset.

Sed ponamus, de omnibus vitiis, quæ invalidam reddebant Gregorii electionem, locutos fuisse Iulium, ac Athanasium, cum eam dixerunt canoni Apostolorum, ac legi Domini refragari: posset ne horum abruptio ad defectum electionis, ac suffragii referri? Planè si quis hoc diceret, incideret in errorem Novatorum, qui putarunt

for-

formam antiquam electionis, & suffragium, ac testimonium populi esse ex iure divino, qua in re fœdissimè lapsi post suos duces, Orco devota capita, Kemnitius, Illyricus, Brentius, Morellius. Quando igitur, quod Iulius, & Athanasius dicunt, statutum esse ex lege Domini, ex canone Apostolorum, nullo modo pertinere potest ad populi electionem, aut suffragium, sive ad consensum, aut testimonium; superest, ut ad qualitates eligendorum tantummodo spectet, ut nimirum esse deberent cives, vel ortu, vel per regenerationem baptismi, & ex sacrario ipso, ex ipso Clero desumpti.

Unde lucem accipit Cypriani locus in *epist.* 68. qui sacrorum scriptorum ingenia exercuit, & quo Novatores ipsi, & aliqui DD. Parisienses, ut ajunt Diana *par.* 10. *tract.* 1. *res.* 8. & Gonzalez *cap.* 2. *de elect.* intelligentes forsan de Vigorio, & Richelio, conati sunt plebi jus electionum adstruere ex jure divino, sed irrito conatu. Ait Cyprianus, cujus verba supra leviter degustata, cogunt adversarii vel invitos hic latius examinare: Sacerdotem eligendum *plebe præsente*, sive sub *populi adsistentis conscientia*. Cum autem id videretur deducere ex jure divino, ex traditione apostolica; hoc aliquos verborum ejus superficiem tantum inspicientes, in ipsius mentis adyta non penetrantes, maximè torsit. Sed poterant hoc nodo facillime se expedire, si Cyprianum cum Iulio, & Athanasio contulissent. Id quidem jus divinum, lex Domini, id canon Apostolorum requirebant, ut Episcopi, aliique beneficiarii essent indigenæ, & de Clero composito ex præstantioribus civibus: quam in rem adeò sunt concepta, atque aperta Iulii, & Athanasii verba, ut nemo, nisi qui omnem pudorem exuerit, id tergiversari possit. Ut autem electio inclinaret in eum, qui ex civibus Ecclesiæ ministerio deditis, ac devotis, aptior esset ad vacans munus gerendum; pleraque fuere instituta, quæ tamen omnia demonstrant, electionem intra cives fuisse conclusam. Huc spectabat suffragatio populi, & Cleri, aut suffragatio Cleri,

& po-

& populi testimonium: aut, quod verius, testimonium utriusque, electionis jure apud solos Episcopos residente. Paulus 1. Tim. 3. de Diaconis καὶ οὗτοι δὲ δοκιμαζέσθωσαν πρῶτον, qui cum antea verba fecisset de Episcopis, dubium non est, quin senserit idem in iis observandum, ipsosque etiam voluerit δοκιμάζεσθαι, hoc est in eorum vitam, mores, inquiri, eorum conversationis diligentem scrutationem fieri; eodem modo, quo apud Athenienses fiebat ἀρχόντων δοκιμασία, quam & ἀνάκρισιν appellabant, cujus formula est apud Julium Pollucem *lib.* 8. scilicet inquisitio, quibus essent parentibus prognati, quibus ex avis, atavisque descenderent, ex qua tribu forent, quæ fecissent stipendia. Hoc est in Concilio Chalcedonensi ἐπικηρύττεσθαι: ὁ χειροτονούμενος ἐπικηρύττοιτο, *ordinatus prædicetur*, quomodo hujus vocis vim exprimit Lampridius in Alexandro Severo.

Hoc autem idcirco fuit usurpatum teste Cypriano; *ut dignus, & idoneus publico judicio comprobaretur, ne quis ad altaris ministerium, vel ad Sacerdotalem locum, indignus obreperet*, ut antequam electio esset ad finem perlata, si aliquod crimen, aut impedimentum objici posset ei, qui proponebatur eligendus, in apertum proferretur; ut ex aliis Cypriani verbis, quæ in principio hujus dissertationis inseruimus, percipitur, & ex Lampridio, cujus luculentum esse testimonium prisci Christianorum moris, non longè recedentis ab Apostolica ætate, cum inter excessum Ioannis Apostoli; & imperium Severi anni ferè intersint centum, & decem, jamdiu doctis viris fuit observatum. At verò inutilis fuisset hæc inquisitio, aut δοκιμασία, si electio fieri non debuisset ex civibus. Quodnam enim dicere testimonium poterat populus de alienigena, de eo, quem nullo modo novisset? Quare Hugo Grotius *de imper. summ. potest. circa sacra cap.* 10. cum abundè, & copiosè probasset, magno in errore versari, qui popularium electionem repetunt ex jure divino, & malè eos in hanc rem advocare Cypriani locum, de causa ab eo adducta, ob

quam

quam plebis præsentia erat necessaria, ita ratiocinatur; *Et causa, quam adfert, locum vix habet, nisi ubi urbis Pastor ex ipsius urbis populo, aut Clero eligendus est*. Cum autem ubique morem illum, consulendi plebem de electione facienda, obtinuisse affirmet Cyprianus: *apud nos quoque, & ferè per provincias universas tenetur*; consequens est juxta Grotii sententiam, ut ubique non nisi cives ad Episcopatum, aliaque Sacerdotia potuerint admitti.

Quod etiam palam est ex electione Sabini, de quo ait Cyprianus, eum fuisse in Episcopum assumptum, *de universa fraternitatis suffragio, de Episcoporum, qui convenerant judicio*: non enim pro fratribus hic intelligit omnes Christifideles, sed eos, qui erant ejusdem Ecclesiæ, qui fieri non poterat, ut essent Antistitis fratres, quin ille esset eorũ frater vicissim; & ex aliis Cypriani epistolis est evidentissimum, inter quas non est prætermittenda epistola 41. ubi ita fatur: *Intelligant Episcopo semel facto, & collegarum, ac plebis testimonio, ac judicio comprobato, alium constitui nullo modo posse*. Nam si collegarum testimonio erat comprobandus Episcopus, oportebat, ut esset & ipse collega, & consequenter ex Clero urbico; & ex epistola 52. ubi de Cornelio: *Factus est autem Cornelius Episcopus de Dei, & Christi ejus judicio, de Clericorum penè omnium testimonio, de plebis, quæ tunc affuit suffragio, & de Sacerdotum antiquorum, & bonorum virorum collegio.*

Eòdem respiciebant & duæ etiam antiquæ observationes, quarum una, ut electio fieret in ea Civitate, in ea Ecclesia, cui Pastor erat præficiendus; qua de causa provinciales Episcopi in eam conveniebant, quemadmodum ait Cyprianus d. epist. 68. *ut ad ordinationes ritè celebrandas ad eam plebem, cui præpositus ordinatur, Episcopi ejusdem provinciæ proximi quique conveniant*. Unde Julius Primus in epistola apud Athanasium apol. 2. dicebat, ut ritè institueretur Episcopus necessarium fuisse, ut crearetur ἐν' αὐτῆς τῆς ἐκκλησίας, & cum Antistes Antiochenus fuisset electus Paulus quidam, & prope esset, ut ejus ordinatio fieret Constantinopoli, intercessit Dioscurus

Dia-

Diaconus, ut ex ejus relatione ad Hormifdam inter epiftolas hujus Pontificis, & apud Baronium anno 519. ibi; *quem huic honori aptiſſimum Imperatoris teſtimonio comprobatum, voluerunt, & tentaverunt hic ordinare. Ego juſſionis veſtræ non immemor contradixi dicens: Iuſſit Dominus noſter Beatiſſimus Papa ſecundum antiquam conſuetudinem ibi* (hoc eſt Antiochiæ) *eum Epiſcopum ordinari.* Fuit autem electus Paulus, id efflagitante Juſtiniano, quod eſſet aptiſſimus, ut ſcripſit Dioſcurus, & quod ſtrenuiſſimus Catholicæ Religionis propugnator, & vindex acerrimus, plura cum hæreticis prælia in Antiochena Eccleſia commiſiſſet, cui ab illis afflictæ, & dilaceratæ, nemo viſus magis idoneus, qui poſſet opem ferre, ut ſcripſere Legati Romanæ Sedis in epiſtola ad Hormiſdã, in qua referunt hoc teſtimonium Juſtinianum de ipſo dixiſſe: *dicens inter alia, & hoc teſtimonium de ipſo, quia duobus annis in Antiochia poſitus, non mediocriter reſiſtebat Severo heretico. Similia & omnes Catholici conſonabant*; quamuis prius Legati id propoſuiſſent. *Noſtra erat propoſitio de his, qui in dicta Eccleſia ſe ſuſpenderant anathemate, ordinare Sacerdotem.*

Altera, ut electio fieret palam, non clandeſtinò can. 2. diſt. 79. *inopportuno tempore, & loco*, cujusmodi vitii inſimulabant electionem Divi Athanaſii, Ariani per impudentiſſimam calumniam: cuius nebulas diſcuſſit, fugavitque univerſum Concilium Epiſcoporum Patriarchatus Alexandrini habitum poſt Nicænum, ante Sardicenſe, in quo omnium calculis fuit abſolutus Athanaſius, in Synodica data ad omnes ubique Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopos adtexta *apol. 2. Athan. de fuga*, ubi latè vitiligatorum criminatio diluitur, & poſt longam ipſius refutationem dicitur. ὅτι δὲ οἱ πλείονες ἡμῶν αὐτὸν ἐχειροτόνησαν, ὑπὸ ταῖς πάντων ὄψεσι, καὶ βοαῖς μάρτυρες πάλιν ἡμεῖς. quod crimen, ut falſo affixum Athanaſio, ita verè Maximo, qui a Timotheo Alexandrino clam, & furtivè fuit conſecratus in Epiſcopum Cpnum, ut Gregorio Nazianzeno negotium faceſſeret, cujus ordinationem etiam ex hoc capite, quod ex occultò peracta, non rite proceſſiſ-

ſe

se notavit Sozomenus *lib.7. cap.9.* κλέψαντες τὴν χειροτονίαν, ἐπίσκοπον Κωνσταντινουπόλεως κατέστησαν οἱ τότε ἐξ Αἰγύπτου συνεληλυθότες, & Nicephorus Callistus *lib. 12. cap. 11.* qui Maximum fuisse ordinatum meminit in abscondito, in domo choraulæ cujusdam, ἐν παραβύστῳ παρά τινι χοραύλου οἰκίᾳ αὐτὸν τῆς Κωνσταντίνου ποιμένα ἐχειροτόνει. Addendus Theophilus Alexandrinus in edict. can.6. qui de forma ordinationis edisserens ait, eam fieri debere ἐν μέσῃ τῇ ἐκκλησίᾳ παρόντος λαοῦ *in media Ecclesia, præsente populo.* Addendum etiam, Ursini electionem adversus Damasum in nihilo fuisse habitam, utpote factam ἐν τόπῳ ἀποκρύφῳ Socrates *lib.4. cap.23.*

Hæc autem omnia cum propositum finem habebant, ut ex indigenis, & Civibus in Clerum receptis dignior seligeretur, *ut detegerentur malorum crimina, & bonorum merita prædicarentur,* quomodo ait Cyprian. in verbis quę supra recitavimus. Testes erant vitæ morumque populi, quia ut ait Thomas. par. 2. lib. 2. c. 1. n. 3. *Ei potissimum explorata sunt, vel virtutum insignia, vel vitia eorum, qui candidati sunt sacrarum dignitatum.* Fiebat electio in propatulo, in Ecclesia frequenti, in conventu totius plebis, quia ut idem inquit n.4. *nihil effugere potest oculos, auresque, & conscientiam innumerabilis multitudinis*: & quia *ejus oculis suffurari se non poterant ea facinora, flagitiave, ex quibus nascebatur irregularitas.* Fiebat in ea Civitate, quæ Episcopo defecta, quia facilius resciri veritas, ac certitudo haberi potest, vel virtutum, vel vitiorum in loco, in quo quis natus est, adolevit, ætatem egit, quam alibi, & è longinquo.

Illud ergo manabat ex jure divino, ex lege Domini, ex traditione, ac canone Apostolorum, ut Episcopus (idem intellige semper de aliis Sacerdotiis) ex indigenis in catalogum Ecclesiæ vacantis conscriptis, præstabilior crearetur. Quæ in hunc finem tendebant, ut ille facilius obtineri posset, erant juris *positivi*, & Ecclesiastici, ideoque potuere aliquam mutationem admittere; dummodo ea, quam diximus, indago, ac perscrutatio non prætereatur, etsi diverso modo procedat: puta cum is qui eligere debet, de vitæ instituto candidati, apud

eos,qui ejusdem civitatis sunt,fieri inquisitionem præcipit, & populares illius consuli, quique familiarius cum eo agere consueverunt. Quod, cum esset confirmandus Amandus presbyter Surrentinæ Civitatis a populo, & Clero electus Antistes, fecisse videmus Gregorium, ut ex cap. 3. de elect. potest. ibi; *Cujus vita, vel actus, quia melius possunt illic, ubi diu est conversatus agnosci, cura tua sit cum fratre, & Coepiscopo nostro Fortunato de eo diligenter inquirere, & si nulla sint, quæ ad sacrum ordinem obsistere valeant, ad nos debet omni postposita tarditate transmitti*, & Innocentium III. cum CPoli ob excessum Thomæ Mauroceni Patriarchatus vacaret, lib.3.regest. 15. epist. 154. ibi; *Quatenus super iis, & aliis inquiras, &c. diligentissimè veritatem de meritis electi, & postulati apud Venetiam ubi nati fuerunt, & diutius conversati*. Quod igitur divino juri attribuit Cyprianus, est qualitas Episcopi, aut alterius beneficiarii, ut nimirum sit ex indigenis in Ecclesiæ catalogum relatis, & inquisitio inter hos dignioris. Et hic verus Cypriani sensus, si ejus verba cum illis Iulii, & Athanasii componantur, quod supra a nobis fuit attactum.

In hanc sententiam videtur ea scripsisse Bellarm. quæ habet lib. 1. cap. 7. de Clericis; *Secundo dico, Cyprianum hoc loco nihil tribuere populo circa electiones Sacerdotum, nisi ut ferant testimonium de vita, & moribus ordinandorum, quod & nunc servatur in Ecclesia Catholica. Dicit autem Cyprianus, populum habere potestatem eligendi, & suffragium ferendi, quia potest dicere, si quid noverit boni, vel mali de ordinando, & sic testimonio suo efficere, ut eligatur, vel non eligatur. Itaque habet populus secundum Cypriani sententiam potestatem eligendi, & suffragandi per testimonium, non per calculum, more testis, non judicis; id quod ex eodem loco perspicuum fieri potest: dicit enim debere in Ecclesia eligi Episcopum, quomodo scriptura docet fuisse electum Eleazarum. At Scriptura Num. 20. dicit, Eleazarum electum a Mose, & nihil tribuit populo, nisi coram eo fuisse Eleazarum electum; & Cyprianus explicans hoc ait coram omni Synagoga, &c.* Quæ verba si non accipiamus de qualitate beneficiariorum, & perquisitione dignioris inter

indi-

indigenas, de quibus, & non de aliis poterat esse populus laudator, & de quibus intellexisse Bellarminum, dignoscitur ex eo, quod dicit consultationem cum populo etiam nunc servari in Ecclesia Catholica; sequeretur, ut saltem suffragatio populi, licet per testimonium, non per calculum, oriretur ex jure divino, quod esset absonum. Idemque dicendum de Gonzal. ad cap. 2. de elect. ubi ait; *Amplius, etsi admitteremus verba illa ex auctoritate divina accipi pro præcepto, tum adhuc Sanctus non concludit populum eligere, sed tantum testimonium perhibere posse.*

Nam quod post Bellarmin. ait Boverius contra *Remp.* Marci Antonii de Dominis *lib. 3. cap. 3. per totum*, a Cypriano non asseri, hoc jus electionis populo ex jure divino competere, sed ex auctoritate divina descendere, hoc est exemplis, quæ vim non habent præcepti: hanc restrictionem vix est, ut verba Cypriani patiantur, qui ait, *quod & ipsum videmus de divina auctoritate descendere*, & statim; *quod postea secundum divina magisteria observatur in actis Apostolorum*, & rursus: *Propter quod diligenter de traditione divina, & apostolica traditione observandum est.*

Perversus hic sanè argumentandi modus est: quoniam de Episcopo creando conventus populi habebatur, de hac re ad ipsum ab Episcopis referebatur; idcirco opus erat, ut Episcopus aliquis ex civibus renuntiaretur, cujus morum, ac vitæ consuetudinis populus testis, atque spectator fuisset. Recta erit ratiocinatio si dixerimus: quoniam interseptum iter ad Episcopatum, atque alia Sacerdotia iis, qui non essent cives; ut ex his dignioris selectus fieret, populus in consilium adhibebatur: perversissima collectio, sublatis popularibus illis comitiis, sublatum quoque indigenarum jus, ac privilegium. Ex Domini præceptione, ex Apostolorum canone, intra cives potestas eligendi constringebatur, quod ex scriptura apparet *Act. 6.* ubi cum ordinandi essent Diaconi, congregato Ecclesiæ Concilio, populum ita alloquuntur Apostoli ἐπισκέψασθε, *examinate, perpendite* ἄνδρας ἐξ ὑμῶν μαρτυρουμένους, *viros ex vobis testimonio probatos*. Dum autem ajunt

 ἐξ

ἐξ ὑμῶν *ex vobis*, en præscripta forma in qualibet Ecclesia, ut ex ipsa ministri legerentur. Nec nos latet, tunc aliam non fuisse Ecclesiam, nisi Hierosolymitanam, sed hoc magis nostrum argumentum promovet: nisi enim documentum perpetuum dare voluissent Apostoli, ut electio facienda esset in qualibet Ecclesia, ex iis, qui essent ejusdem Ecclesiæ, redundarent ea verba ἐξ ὑμῶν. An enim sacro ministerio adscribi potuisset aliquis ex gentilibus? cumque judicio populi res fuisset ab Apostolis commissa, ἐξελέξαντο *elegerunt* Stephanum, & cæteros: quin ἔστησαν ἐνώπιον τῶν ἀποστόλων *statuerunt coram Apostolis, ipsisque obtulerunt.* Unde infert Hallier de sacris elect. tit. de variis testimoniis ordinand. cap. 3. §. 1: *Ex quibus & eligendi, & præsentandi Clericos populo tributam potestatem animadvertas*, existimans in iis nascentis fidei incunabulis, eo quod in Ecclesia Hierosolymitana servatum fuit, propositum exemplum cunctis, quæ futuræ essent Ecclesiis; cives idoneos ad sacra munia admovendi, oblatis eis Episcopis provincialibus, qui in ministerium Apostolorum successerunt. Patet etiam ex Apostolicis constitutionibus, quę Clementi inscribũtur *const. Apost. lib.* 8 *c.* 4. in quibus cernimus, cõstitutũ ab Apostolis, ut ii, a quibus Episcopus ordinandus, cum populo sistant, & qui aliorum princeps est: *percontetur Presbyteros, & populum, an ipse sit, quem præesse petunt, & illis annuentibus, rursum quærat, an tribuant ei omnes testimonium, quod dignus sit hoc magno, & illustri munere præsidendi,* εἰ τὰ κατὰ τὴν εἰς Θεὸν αὐτοῦ εὐσέβειαν κατώρθωται, εἰ τὰ πρὸς ἀνθρώπους δίκαια πεφύλακται. εἰ τὰ κατὰ τὸν οἶκον αὐτοῦ καλῶς ᾠκονόμηται. εἰ τὰ κατὰ τὸν βίον ἀνεπιλήπτως, *ea quæ ad pietatem erga Deum pertinent, rectè peregerit; an jura adversus homines servarit; an domum, resq; domesticas benè administraverit, & an vita ei per omnia honestè, & laudatè acta fuerit*: quæ tam domestica, ac minuta, quis nisi de cive, cum quo longa necessitudo, ac convictus, resciverit? Hac de causa, ut ex civibus qui potior meritis, esset etiam potior in beneficiis, ac dignitatibus, frequentia populi, suffragatio, collaudatio, exposcebatur in electionibus. Quod autem ple-

plebeculæ dissensiones, tumultus, vociferationes οἱ ὄχλοι, & quod experientia compertum fuit, plerumque ejus esse emendicata, ac emptitia suffragia, effecerit, ut sine asservato, ei destinata δοκιμασίᾳ, quod ad modum variaverit; non hinc nisi perperam; ac præpostere quispiam induxerit, antiquatam civium prærogativam divino jure, apostolicis statutis subnixam, sed ut ex iis electio fiat, manet adhuc, æternumque manebit.

Non equidem obscurum erat viro doctissimo Thomasino, jamdiu populum a jure suffragiorum in electionibus excidisse, & tamen ut probaret cives præferendos advenis in beneficiis, nullam magis idoneam rationem existimavit, quam quæ duceretur ex vetusto electionum ritu de benef. part. 2. lib. 3. cap. 35. n. 2. ibi: *Ideò & Clerum, populumque eorum ordinationi intercessisse, ut qui de incognitis sibi hominibus testimonium dicere, & suffragium ferre non posset.* Et n. 6. ibi; *Non poterat unius urbis Civibus, & Clero satis explorata esse peregrinorum, & hospitum vita, ut suo illos testimonio, & suffragio prosequerentur, quo creabantur Episcopi.* Cum dixisset idem Thomasinus, digniorem aliis ante habendum, pristinam electionum sollemnitatem in hujus effati confirmationem ascivit par. 2. lib. 1. cap. 38. n. 2. *Tanti refert ad disciplinam, & sanctitatem Ecclesiæ illustrandam, quæ hic in manibus versatur quæstio, ut eam operæ pretium duxerim, a principio, & ab ipsa Ecclesiæ origine ordiri. Quando in unam aliquam urbem convolabant provinciæ Episcopi cæteri, ad Episcopi electionem cum Clero universo, & populo, quid apertius, quam in id eos convenisse, & collaborasse, ut dignum, ut digniorem, dignissimum eligerent?* Quod corroborat Cypriani verbis *lib. 1. epist. 4.* & n. 3. subnectit; *Observat idem Cyprianus, Apostolos ipsos eadem diligentia usos fuisse, & nihil unquam intentatum reliquisse, ut eum qui dignior esset vestigarent, nec in Apostoli tantum, hoc est in Episcopi electione, sed etiam cum ordinandi fuere Diaconi. Unde & eadem ad omnes beneficiorum nominationes propaganda lex est.* Desipuit quidem Thomasinus, qui suæ conclusionis probationem ex Cypriano repetiit, & ex forma electionum, quæ in usu esse

de-

desierat. Quis dicat ea obsoleta, obsolevisse etiam dignioris præstantiam?

Sed nos rhomphæâ utrinque acutâ, exoticorum spem omnem, ambitumque præcidimus: & quod Ecclesiarum intersit maximè ab indigenis regi, ac gubernari; & quod præposterum sit, ut hospites in præmia irruant propriæ Ecclesiæ filiorum, qui illius obsequio se ab ineunte ætate dediderunt. Obsecro adversarios, an quemadmodum consenuit vetus eligendi forma, ipsum jus naturæ consenuit, lex Mosaica obliterata est, evangelica præcepta interciderunt? Nullum temporis spatium, nulla ætas, nulla rerum vicissitudo, rituum varietas, præstare poterint, ut veterascant hæ leges, ut labefactentur, unde proficiscitur eorum jus, quos in sinu suo pro se laborantes diu fovit Ecclesia; ut ex Conciliis, decretis Pontificum, ex sacrorum Auctorum communibus placitis abundè probavimus: hæ leges, quas planissimum fecimus, esse constantissimas, immutabiles, sempiternas. Cum populus in electionibus suffragia ferebat, absonum ajunt fuisse, ut non ex propria Ecclesia, vel è proxima eligerentur Episcopi. Quid commune habet popularium calculus, aut testimonium, cum constitutione illa canonica, quæ vult, ut Episcopi creentur ex cujusque Ecclesiæ Clero, & superiore quidem. Suffragatio popularium, fuisse usum conformem ei constitutioni comprobat, quia non nisi civium, qui in Clerum erant accensiti, poterat populus merita, vel flagitia testata facere. Sed nō ea erat ratio, cur amandarentur a Sacerdotiis, qui nō erant ex Ecclesiæ Clero, quia suffragia a plebe præstabantur. Non hanc rationem præferunt canones, sed a natura, ac divino jure derivatam; quod cum Ecclesiarum alumni seminium sparserint, ac terræ mandaverint; injustissimum sit, ut asciti homines fruges percipiant, ac condant.

Has leges nunquam intermorituras, nulli mutationi obnoxias, ante se positas habebat Cœlestinus, & Leo Magnus; non usum suorum temporum in electionibus pollentem intuebantur. Hoc fuit de eorum Canonibus omnium

omnium scriptorum judicium. Hanc illorum germanam, ac genuinam interpretationem, post innumeros, qui vel aliud agenti statim in oculos incurrunt, attulit Thomass. par. 2. lib. 3. cap. 35. n. 3. *Ad Episcopos Galliæ rescribens Cœlestinus Papa, posita ob oculos regula Ecclesiæ, ut Episcopus e gremio urbani Cleri deligatur si quis in eo sit tanto nō impar fastigio. Ejus regulæ rationes edisserit, &c.* (rationes ex Thomasino supra ejusdem verbis produximus); & n. 4. *H.s Cœlestini verbis ali, succedendiq; videtur in animis Clericorum non inhonesta, nec degener spes per omnes eluctandi Ecclesiasticæ militiæ gradus, cui se industriamque, & operam suam omnem dicavere. Quid enim his verbis apertius? Habeat unusquisque Clericorum suæ fructum militiæ in Ecclesia, in qua suam per omnia officia transegit ætatem.* Et rursus n. 6. quo loci transcribit verba ep. 2. cap. 3. translata in Rhapsodiam Gratiani can. *nec emeritis*, ubi quodcunque dicitur de non præponendis *peregrinis, & extraneis, emeritis in suis Ecclesiis*; de non anteferendis, *bis qui ante ignorati sunt, ad exclusionem eorum, qui bene de suorum Civium merentur testimonio*, nihil ex forma, quæ olim usurpabatur electionum, pendet. Quomodocunque enim hoc fiat, etiam hodie, & a quocunque, semper eadem vigebit ratio; ut taceam Cœlestinum duas regulas tradere in sua epistola, quas inter se distinctas, & ipse distinguit: unam, ut non detur invitis Episcopus, ut non detur populo inconsulto, cujus adhuc supersunt vestigia in subsequente consensu, quem Antistitis susceptio implicitum habet: alteram relatam in *d. cap. nec emeritis* ad propulsandam meritis provectorum in suis Ecclesiis injuriam.

Ad id vero quod dicitur, Cœlestinum aliis dixisse legem, non sibi; satis fuerit reposuisse, non cum fuisse genium, non eam indolem Sanctorum Pontificum, ut in canones, quos præscriberent, crederent se posse ex arbitrio grassari: multo minus in Apostolorum traditiones ex jure divino depromptas, in Christi doctrinam, in ipsas naturæ leges.

Sed ut cominus cum adversariis pugnam conferamus,

mus: non multum post exordia illius de electionibus disciplinæ, populi jus exaruit, quo ad secundi ordinis Sacerdotes; quod Balsamo, & Zonaras attribuunt can. 13. Laodiceni in notis ad eum canonem, idemque Balsamo in resp: ad interrogationem 58. Marci *lib.* 1. *Cod. jur. oriental.* addit, cum ille populi interventus in ordinandis presbyteris, & diaconis repullulasceret, a septima Synodo ab stirpe excisum fuisse: & tamen ex civibus illi eligebantur, id adprobante Basilio in epist. de Chorepiscopis apud Balsamonem inter epistolas canonicas, & tom. 2. oper. Basilii, ubi cum dixisset; *Valdè malè me habet, quod Patrum de cætero defecerunt canones, & omnis accurata disciplina de Ecclesia, ejecta est*: & deinde, veterem fuisse consuetudinem, ut cum aliquis inter Ecclesiæ ministros esset connumerandus, quæ nam suæ fuisset vitæ ratio, diligens investigatio fieret, pergit; καὶ ταῦτο ἐξήταζον μὲν πρεσβύτεροι, καὶ διάκονοι οἱ συνοικοῦντες αὐτοῖς: *& hæc quidem examinabant presbyteri, & diaconi, qui cum eis versabantur; referebant autem* (subdit Basilius) *ad Chorepiscopos, qui acceptis suffragijs a sinceris testibus, & eorum admonito Episcopo, ministrum deinde in sacerdotalem numerum cooptabant*. Igitur qui Ecclesiæ ministrarent, instituebantur ex Civibus, si in eorum mores inquirebant Presbyteri, & Diaconi οἱ συνοικοῦντες αὐτοῖς, *qui cum eis versabantur*.

Quod ad Episcopos attinet, in Orientalibus Ecclesiis suffragia populo adempta, visum doctissimis viris Nicenæ Synodi can. 4. & 6. Laodicenæ 12. & Antiochenæ can. 19. quibus antistites ordinandi potestas tribuitur Episcopis provincialibus, nulla facta mentione Cleri, plebisque, qui eos suffragio, aut testimonio suo prosequantur. In hanc sententiam perducti sunt auctoribus Balsamone in commentariis ad can. 4. Nicenum, & Laodicenum duodecimum, & Zonara ad 6. Nicœnum, & 12. ac 13. Laodicenum.

Et quamvis Petavius de Ecclesiastica Hierarchia *lib.* 1. *cap.* 13. *num.* 7. *& seq.* & Hugo Menardus in notis *ad libr. Sacramentorum S. Gregorii*, etiam post ea

Con-

Concilia, in Orientali Ecclesia populi consensum, ac testimonium in Episcoporum electione fuisse petitum pugnent: attamen non diu hoc tenuisse vero proprius est.

Quod autem nullæ essent procedente tempore populi partes in electionibus, id fores non pandebat adventitiis hominibus ad Sacerdotia anhelantibus in exclusionem indigenarum, propriæque Ecclesiarum familiæ, ut patet ex dictis.s.*ex epist. Leonis* 100.*ad Gennadium CP.* in qua agitur de Ecclesia Alexandrina, & *epist.* 11. *cap.* 6. *ad Anastasium*, spectante ad Ecclesiam Thessalonicensem: ad quam etiam spectat epistola Innocentii Tertii 18. *lib.* 3. *regest.* 15. cui verba Leonis intexuit, & *epist.* 13. *lib.* 1. *regest.* 13. ubi causam agit indigenarum; qua in re supervacuum admonere, in Thessalonica, etsi Romanæ fuerit diœcesis, cujus Episcopo vices suas in remotis illis Ecclesiis administrandis committebant Romani Præsules, ut Leo fecit Anastasio, tamen quia Græciæ Civitas illa fuit, eadem, quibus reliqua utebatur Græcia, instituta floruisse, quod scripsit Petavius de Eccles. Hierarchia *lib.* 1. *cap.* 13. *n.* 9. cum sub Innocentio etiam in Occidente electio Episcoporum tota in potestatem Cleri concessisset; ut etiam patet ex epistola Hormisdæ ad Dioscurum, ex Synodica Concilii Illyrici apud Theodoretum, & ex concil. 4. CPno, sive octavo generali can. 13. cujus vim eludere Adversarii frustra conantur. Atque ij quidem, quod velint effutiant: nos non pænitet ejusdem esse sententiæ cum Lupo, Landmeter, supra laudatis, ac Thomasin. par. 2. lib. 1. cap. 86. n. 17. ubi in hac re ita suum judicium profert: *Antiquissimam banc disciplinæ legem, Synodus Octava generalis in Ecclesia CP. restauravit, constituto, ut omnes dignitates iis conferrentur sicubi vacarent, quorum insignis eluxisset pietas in inferioribus ordinibus, & ministeriis, quos ideo nefas esset, & evangelicis justitiæ præceptis infestum, mercede hac justissima defraudari.* Quod si concedant Adversarii, nihil ultra poscimus, arma, quæ induimus, libenter deponimus.

Tt Ut

Ut ad Ecclesiam Occidentalem accedamus, sub Innocentio Tertio populus erat in ecclesiastico regimine, ac electionum disciplina, omni jure dejectus. Et tamen nihil frequentius occurrit in ejus epistolis, earumque fragmentis apud Raymundum, quam ut ex indigenis, ex Ecclesiæ vacuæ Collegio Episcopus consecretur: ut in Ecclesia, in qua quis se meritis commendavit, mercedem habeat paratam, beneficio ecclesiastico potiatur, ut jam ostendimus.

Et ne verborum præstigiis, aut captionibus, ab iis, quæ clarissima sunt depellamur; id ipsum non modo cum electio fit a Clero absque ulla populi conscientia, aut laudatione, sed etiam cum fit a Superiore quoad utramque Ecclesiam, utraque consentiente, sancitum fuit in prædicto Concilio Lateranensi œcumenico, cui præfuit Innocentius Tertius, & in quo fuit, ut diximus, præfinita, sive potius refecta, ac restabilita electionum forma; ut ex *d. cap. ne pro defectu 41. de election.* Et quamvis cessante Clero in electione, quasi potestas ad superiorem devolvatur eodem modo, quo erat penes Capitulum, sicut hoc potest extraneum asciscere, quia illum asciscendo, videtur suo jure se abdicare secundùm quosdam, ita videri possit idem jus esse superiori: nihilominus si idoneus in Ecclesia adsit aliquis, hanc ei potestatem denegant Hostiensis, Panormitanus, & post eos Alteserra in commentar. ad d. cap. 41. *Scilicet Superior, ad quem devoluta est potestas cessante Capitulo non potest extraneum assumere, donec idoneus reperitur, quia, non potest tollere jus proprium Ecclesiæ.* Et Barbosa in collect. d. cap. ver. de persona idonea; *Notatur ad hoc, quod Episcopus debet eligi de numero Canonicorum, si in Capitulo idoneus reperiatur, alias extra Capitulum eligi potest*, ut per Duen. reg. 203. & n. 5. *Notatur ad hoc, quod qualibet Ecclesiæ congregatio suum debet habere Prælatum, & Magistrum, qui ex ipsius Ecclesiæ gremio assumi debet.* Horum in numerum possemus aggregare Cuch. *in instit. major. lib. 4. tit. 1. n. 127.* Rot. *dec. 413. n. 1. par. 1. diver.* Fr. Eman. Rodriq. *q. reg. tom. 2. q. 52. art. 8.* D. Roder. a

Cunha

Cunha *in clement. ad c. 1. n. 8. dist. 70.* Sotum *de just. & jur. lib. 3. q. 6. art. 2. ad 4.* Petr. Navar. *de restit. lib. 2. cap. 2. n. 196.* Genuens. *in man. past. c. 38. n. 2. & in praxi cap. 66. n. 13. in annot.* Ugol. *de offic. Episc. cap. 50. §. 12. n. 6.* si nostri instituti esset in consarcinandis Auctoribus tempus terere. Non possum tamen silentio transigere, quid Rota censuerit de Cœlestini decreto in Calagurit. de Lequeitio 28. Junii coram Gipsio: *Attenta juris communis dispositione, naturalibus, seu filiis patrimonialibus, potius quam extraneis, debent beneficia conferri, c. nullus 61. dist. & licet loquatur in Episcopis, nihilominus ratio textus militat etiam quoad alia beneficia*, ut noscatur, allatam a nobis interpretationem illius capitis, apud omnes prævaluisse.

Quid plura? Vel ex eo solo falsi convincitur Adversariorum figmentum, quod ipsi Pontifices Maximi, cum a se dandi essent antistites, ex hac via flectere, nefas habuere: testem appello eundem Innocentium Tertium, cui adeò monstrosum, adeò canonibus infestum visum fuit, alienum hominem in Ecclesiam Strigoniensem introducere; ut nihil intentatum reliquerit, ne hujusmodi labem contraheret, tandemque ad translationem tanquam in ea minus esset asperitatis, delapsus fuerit.

Sed gratia danda est Adversariis, quod pro sua ingenuitate confessi fuerint; quousque populus jus habuit suffragii, vel approbationis, non potuisse Episcopos pronunciari, qui cives non essent: Ergo per duodecim ferè secula in Occidente antistites nisi indigenas, non vidit, non novit Ecclesia. Quo nam malo fato contigit, ut id quod tandiu obtinuit, atque adhuc obtinet in omnibus catholicorum provinciis, in nostro tantum Regno elanguesceret? Gratia maxima habenda est, quod non modo inter traditiones Apostolicas reposuerint popularem electionem, sive testimonium, ex quo consequeretur, ejusdem institutionis esse jus, quo aliis præstabant indigenæ in Episcopatibus, ac beneficiis cæteris: quod secundum Adversarios, populi laudatio secum ducebat; sed etiam apertissima professione, hujusce modi jus ab Apostolorum temporibus, ac traditione

deduxerint. At quænam est ratio, cur tam sancta, tam frugifera, tam salubris, & vere Ecclesiarum institutio, quæ per tot secula regnavit in orbe catholico, & hodie etiam ubique, præterquam in Regno Neapolitano regnat, mutetur? Esto plebis factiones, petitorum ambitum, largitionibus plerumque inquinata popularia illa comitia abusu rejecta fuerint; quid causæ est, ut non saltem apostolica traditio retineatur ea in parte, qua indigenæ advenis sunt prælati? An hoc quicquam habet incommodi, & quod in aliis Regnis summoperè Ecclesiarum utilitatibus prospicit, in Regno tantum nostro illas oppugnat? Sed quando ipsis adversariis fatentibus, jus indigenarum est traditio Apostolica, quomodo se hos vinculo exsolvent? Mobilis non est, variare non potest traditio Apostolica, præsertim quæ in præceptum transiit. In specie autem nostra, non agi de iis, quæ in usu dumtaxat posita ab Apostolis fuere, sed quæ imperata, vel ex eo patet, quod canonem illum de quo agimus, Apostolorum Julius vocet, cui cum consentientem jungat Athanasius legem Domini, fieri non potest, ut aliquid roboris possint dimittere, ut non perennis sit eorum auctoritas.

Quod fuit in more positum, institutoque majorum, ut Episcopatus, aliaqua Sacerdotia indigenis deferrentur; tum ex innumeris rationibus, & causis, tum ex iis maximè defluxisse supra tetigimus, quia Sacerdos debet esse populo gratus, & acceptus, ut ait Gregorius Nazianzenus oratione in discessu ad PP. Constantinop. Synodi ἄλλον προστήσασθε τὸν ἀρέσκοντα τοῖς πολλοῖς, *alium præficite, & ordinate, qui populo gratus, & acceptus sit*: qualem fuisse Nectarium ab ipsis electum, & confirmatum, testantur PP. Concilii CPoli in sua Synodica: debet esse talis, cui eadem patria, vitæ longa consuetudo, charitatem, notitia probitatis aliarumque virtutum, quarum Civitas, Ecclesia veluti quoddam theatrum fuit, nominis claritatem, & reverentiam comparaverit, civium animos, ac voluntates adjunxerit, ita ut se, suosque in ejus tutelam tradere

non

non vereantur, qui certè se, liberosque alienigenæ non tradent unquam. An defecerunt hæ rationes cum popularibus comitiis, vimque omnem amiserunt?

Non hoc indefinitum reliquit idem Concilium Lateranense IV. sub Innocentio Tertio, in quo canone 9. expressim cautum fuit, ut Præsules, aliique Beneficiarii, essent urbium habitatoribus, in quibus locarentur, patria, lingua, moribus conformes positus, etiam si in eadem Civitate, vel Diœcesi, permixti essent homines diversa natione, ac idiomate; ut tunc temporis contingebat ob deductas Latinorum Colonias in Græciam, Thraciamque. Cum enim d. cap. 9. præfatus fuisset; *Quoniam in plerisque partibus intra eandem Civitatem, atque Diœcesim permixti sunt populi diversarum linguarum*, mandat, ut Episcopi statuant viros idoneos, qui secundum varietatem linguarum, & morum, eos instruant verbo pariter, & exemplo: deinde cum vetuisset, *ne una, eademque Civitas, vel Diœcesis diversos Pontifices habeat, tanquam unum corpus diversa capita quasi monstrum*; subdit (quod ad rem nostram aptissimum): *Sed si propter prædictas causas urgens necessitas postulaverit, Pontifex loci catholicum præsulem nationibus illis conformem, provida deliberatione constituat sibi vicarium in prædictis*. Ex quo canone *qui extat in decretal. cap. quoniam de offic. Ordinarij*; DD. asserunt privilegium indigenarum, quo alios antevertere debent in beneficiis, Camil. Borrel. *de praest. Reg. Cathol. cap.* 51. Ioan. Selva *de benef. part. 3. q. 26*.

Hujus canonis vis magis exprimitur in versione ejusdem Concilii, quam Græci, ut usui esset suæ Ecclesiæ, concinnarunt; in qua ea verba *Catholicum Præsulem nationibus illis conformem*, ita redduntur Καθολικὸν προεστῶτα τοῖς ἔθνεσιν ἐκείνοις σύμμορφον, quasi ejusdem aspectus debeat esse Præsul cum subjectis. Quod cujusque modi similitudinem, societatem, cognationem linguæ, institutorum, regionis, denotat. Etenim μορφὴ non modo formam in genere, sed etiam speciem, figuram, speciem oris, faciem, aspectum significat: Plutarch. de sera Nu-

minis

minis vindicta *μορφὴν γνωρίσειεν ex facie agnoscat*: Od. 8. ἀλλὰ Θεὸς μορφὴν ἔπεσι στέφει, Aristoteles, Epicurus, aliique.

Hic canon Concilii Lateranensis transcriptus fuit in Constitutionibus Nicoliensibus cap. 1. fol. 2388. par. 2. tom. 11. Concil. An potuit apertius edici, Antistites fieri debere eos, qui sunt ejusdem Civitatis, iis danda Sacerdotia; quam ea loquendi forma, qua expressum fuit, oportere ut illi civium imaginem, effigiem referant.

Et ne quæ inter se adsita sunt, & conjuncta dissociemus, Alexander III. cum Insulæ Cypri leges daret, ubi Græcis admixti erant aliarum homines nationum; in ejus constitutione Cypria, non solùm canonem Concilii Lateranensis, qui vetat ne extra Ecclesiam quæratur Episcopus, custodiendum sanxit; *At cuicunque Græcorum Ecclesiæ Pastore vacanti, Latinus Pontifex auctoritate propria Præsulem ingerere non præsumat, nisi forte ad eum, illis negligentibus eligere qui debebant, facultas ea vice ordinandi Ecclesiam de Pastore, juxta generalis statuta Concilii, fuerit per lapsum trimestris temporis devoluta*: sed etiam in locis, quæ Græci incolebant, non posse præfici nisi Græcum; *In eo etiam casu potestatem non habeat Latinus Episcopus præficiendi Ecclesiæ sic vacanti, nisi personam Græcam, & tanto honori, & honori ex merito congruentem*. In quæ postrema verba mendum irrepsit, legendumque *gradui*, nam antiqua versio græca, quam vidisse ait Gabriel Cossartius, habet καὶ τιμῆς, καὶ βαθμοῦ. Ea verba *personam Græcam*, originem important; quod clarius infra in eadem Constitutione exprimitur: *Ipso verò Archiepiscopo cedente, vel decedente in sede de Solio, quotiescunque ipsa vacaverit, simplex dumtaxat Græcæ nationis Episcopus subrogetur*.

Quoniam autem & Nicolaus Primus in epistola ad Carolum Calvum, cujus supra frequens mentio, in re nostra usus est argumento ex Abbatum, Cœnobiorumque Præstitum electionibus deducto; non piget commemorare, Concilium Parisiense sub eodem Innocentio Tertio anno 1212. hunc canonem edidisse, qui fuit decimus septimus illius Synodi; *Præterea Capitulis Ecclesiarum*

rum conventualium districtè præcipimus, ut cum electionem Prælati facere debent, si in suo collegio idoneum non invenerint, extra eligant, & promoveant in Prælatum.

Non piget etiam adnectere, Gregorium Nonum epistola 4. cum præhabuisset, in Monasterio Sancti Albani Lincolniensis diœcesis, a fratribus selectum, qui sibi præesse deberet, Ioannem de Hertford *ejusdem Monasterij Monachum cum eis a puero laudabiliter conversatum*; de hac re ita censuisse: *electionem ipsam examinatam prout convenit diligenter, canonicam invenimus quoad formam*: ideoque ut in personam electi inquireretur, negotium dedisse.

Remotionem alienigenarum a Sacerdotiis, Concilium Ravennate tertium anno 1314. post mortem Clementis V. firmavit can. 3. *Ad hoc quia Dominus respectu gregis Episcopos nominavit Pastores, & eos, qui ad hoc vocantur, oportet esse irreprehensibiles, & testimonium habere bonum ab iis, qui foris etiam sunt; statuimus, prohibemus, & inviolabiliter servari præcipimus, ne aliqui præsertim peregrini, & ignoti in provincia nostra ordinentur, seu consecrentur in Episcopos.*

In ea controversia, quæ adeo exarsit inter Bonifacium Octavum, & Philippum pulchrum Gallorum Regem, licet Bonifacius posse Principes solio projicere sibi assumeret; studuit tamen diligenter invidiam declinare, quam sibi concitassent externis hominibus collata beneficia: proinde cum Rex, ejusque proceres de hac re querelam exposuissent, quod hoc nomine Pontifex Sacris Canonibus fuisset injurius, infestusque; quanta scelerum colluvio, ac mala hinc progignerentur, ita graphice describentes: *Et ainsi le Eglises sont defrandèes de leur service, & le volontez de ceux, qui les Eglises fonderent, sont aniantis, parquoy aumosnes sont laissèes, pitiè arriere mise, & le bien faits substraicts, qui aux Eglises souloient estre faits, le Eglises en sont si abbaissèes, & deschevës, che à peine en ya' il nuls qui le desservent, ni li Prelats ne poent donner leurs Benefices aux Nobles Clercs, & aux autres biens nez, & bien lettrez de leurs Dioceses, de qui Antecesseurs lesdittes Eglises sont fondèes;*

respon.

responsum dedere Sacræ Romanæ Ecclesiæ Purpurati, falsò hujus licentiæ insimulari Pontificem: quippe qui omnia beneficia, quæ sibi tribuendi potestas fuerat, in Francigenas plena manu, ac munificè profudisset; nec nisi duorum Episcopatuum, Bituricensis nempe, ac Atrebatensis, Italis duobus fuisset largitor, quorum tamen Gallia educatrix fuerat, literisque imbuerat: de quibus Regis animum nulla poterat suspicio perstringere, immò ei erant addictissimi, ut ex epistola, quam exhibet historia Universitatis Parisiensis tom.4. 6.seculo fol. 27. *Nostra quoque memoria non occurrit, quod Cathedralibus Ecclesiæ dicti Regni providerit de personis Italicis, nisi Bituricensi, & Atrebatensi Ecclesiis, quibus de personis providit ipsi Regi non suspectis, & Regno, quorum eminens scientia latè patet, nec sunt eorum conditiones incognitæ, multis verò aliis Ecclesiis Cathedralibus providit de personis oriundis de Regno prædicto, nec Regi, nec Regno prædictis probabili ratione suspectis*; & pauló post: *Invenietis pro uno extraneo, cui est per istum dominum in dicto Regno provisum, ferè centum, qui de prædicto Regno traxerunt originem, ab eo provisionis gratiam accepisse*. Eodemque modo dictæ criminationi obviam iverunt in epistola ad Universitates Regni, eorumque Magistratus, quod non tacuit Matthæus de Aquasparta Cardinalis Portuensis, cum adstante Summo Pontifice, de hujuscemodi quæstione suam proderet sententiam, ut ex M.S. Bibliothecæ San-Victorini: *Item non potest Rex queri, quod extranei instituantur in Regno suo; benè verum est, quod Summus Pontifex Dominus noster posuit Fratrem Ægidium de Ordine Augustinorum; non insisto ad ejus commendationem; sed tamen vos scitis qualis Clericus est; ipse est Magister in Theologia, & enutritus, seu educatus in Regno illo; Episcopus etiam Atrebatensis, qui est professor legum, & Doctor in utroque jure, Canonico, & Civili, & fuit etiam nutritus in illo Regno, & diligit honorem Regni, sicut seipsum. Non occurrit modò memoriæ meæ, quod sint plures de Terra ista in Regno Franciæ*, fol.30.loc.cit. Idemque Summus Pontifex in ejus sententia ex eodem M.S. excerpta fol.31. & 32.

Neque

Neque Auctores illius historiæ addubitarunt, quin veritate niteretur excusatio; ne quis eam putet confictam, ob exasperatum Regis animum deliniendum: sed ingenuè ajunt de prædictis Episcopis: *fuerant in ipso Regno, atque Academia Parisiensi enutriti, educati, & instituti*; prout etiam fatentur Natalis Alexander seculo XIII. & XIIII. disput. 9. artic. 2. *de collatione beneficiorum non esse querimoniæ locum, siquidem Pontifex hos tantùm Italos in Regno promovit, sed in Galliis educatos, & Regi devotissimos*: & Thomasinus de beneficiis par. 2. lib. 1. cap. 105. num. 6.

Tot fretis, munitisque Canonum, Conciliorumque præsidiis, indigenis, ubique si qua conferenda essent beneficia, palma deferebatur. Siquando aliquis advenarum ad ea perrepere studeret, facile hac exceptione, quod Civis non esset, quod extraneus, submovebatur; ut de Wlfado refert Flodoardus *lib. 3. c. 4.* scribens, Episcopos Carisiacensis Concilii interpellasse Carolum Calvum Regem, ut alium Episcopum in Ecclesia Lingonica constitueret, in quam irruperat Wlfadus in contemptum Canonum; quippe qui non esset illius Ecclesiæ alumnus, sed Rhemensis: *Suggesserat eadem Synodus Regi, ut alterum ad regendam Ecclesiam Lingonicam constitueret, quam Wlfadus Ecclesiæ Rhemensis alumnus, contra Canonum occupaverat decreta; & Rex jusserat ut Episcopi quærerent talem, qui possit in Episcopali ministerio eidem Ecclesiæ proficere: eorumque vota in Isaac Hilduini discipulum convenerant*. Et si fortè Principes licentius aliquid in hac re agerent, obsistebant Metropolitani, ac Episcopi, eosque in viam revocare conabantur. Muneri suo non defuit, quinimmò miræ constantiæ exemplum posteris reliquit Hincmarus, qui, ægrè ferentibus Regibus Ludovico, & Carlomanno, quod ab ipso præstitum fuerat in Electione Antistitis Tornacensis, ut ea a Canonibus sacris non aberraret, se cum illis purgavit, ita tamen, ut nihil suæ dignitatis relaxaret; eos admonens, quantum studii operæquæ ponere deberent Reges in Ecclesiasticis regulis tum addiscendis, tum conservandis, ac tuendis: ut narrat idem Flodoardus

lib. 3. cap. 19. *Item pro ipsa electione jam facta, quam indignè tulerant ab ipso Archiepiscopo fuisse dispositam: item pro eadem re ostendens, qualiter in electione eorum consenserit, quando electi sunt ad Regni Principatum; & qua ab eis pro hac electione mandata perceperit, & quale sit ministerium regale, & quale Pontificale, & qualis eligendus, vel ordinandus sit Episcopus, & qualis, vel qualiter non debeat ordinari, & ut divinas auctoritates addiscere curent.* Cumque Hugo Abbas vice Regum tunc impuberum ad Regni clavum sederet, cum fuit exhortatus, ut suasor esset Regibus, *quatenus voluntatem Dei, & Antecessorum suorum consuetudinem, in hac causa conservarent.* Electionem autem processuram declaravit, *secundum Dei voluntatem, secundum divinas auctoritates*, si Episcopi caperentur non ex palatinis Clericis, sed ex Ecclesiæ cujusque proprio Collegio, quos opus non erat ut Reges, Aulicive, testimonio prosequerentur, sed populus, Clerusve; eo etiam expresso, se curasse, ut electio in Tornacensi Ecclesia ad amussim earum regularum fieret, quas ab annis jam triginta quinque fuerat sectatus: eodem Flodoardo auctore d. cap. 24. *& quia ipse nihil inde aliud egerit, nisi quod per triginta, & quinque annos in ejusmodi negotio solitus erat: adjungens Sacrorum Canonum promulgatas super electione Canonica auctoritates, & ostendens quod non Episcopi de Palatio præcipiantur eligi, sed de propria qualibet Ecclesia: & quod de ordinando Episcopo, non Regis, vel Palatinorum debet esse commendatio, sed Cleri, & Plebis electio, & Metropolitani in electione dijudicatio; deinde terreni Principis consensio, & sic fieri Episcoporum manus impositio.*

Quin etiam adversus ipsa Pontificia diplomata per obreptionem expressa, si fortasse discedere viderentur ab Ecclesiastica vetere electionum disciplina, & sanctus ille, priscusque ritus quoquo modo perverteretur; servato eis debito honore, ac reverentia, occurrebant Populus, Clerus, Optimates, Principes: ut etiam adversus nova molimina, quibus vel paululum indigenatum jus læderetur. Quod vel unum exemplum a Matthæo Westmona-

nasteriensi in Britannico Chronico literis traditum, & post eum a Renato Choppin. de Sacr. Polit. lib. 1. cap. 3. num. 12. comprobabit: *Id causæ fuit, cur Regij Britanniæ Insulæ Procuratores, olim Pontificiis Legatis responderint, à triplici Angliæ Ordine petentibus duo Sanctæ Sedi præbendas attribui in Templo quovis Episcopali, & duas similiter in quolibet Cœnobio Monachorum portiones; fuisse scilicet Regia, Procerumque beneficientia extructas Angliæ Sacras Ædes, ac donatas, ideoque profanæ fundationis munera non esse in alios, aliorumve usus detorquenda. Hinc grave itidem sancitum edictum in Anglicos Episcopos, qui regiæ Clientelæ fundis potiebantur, ne profana hæc beneficiarij juris prædia Romanæ obstringerent Ecclesiæ, unde Reges Clientari obsequio fraudarentur. Itaque Summus Pontifex repulsam tulit in publico Anglici Pop. Conventu Westmonasterij habito An. 1226.*

Nec diffitemur, posterioribus Seculis, præsertim post Pontificum Sedem in Avenionensem Urbem translatam, & post exitiale schisma, quo diutius conflictata fuit Ecclesia, cum maximam labem purior disciplina accepisset, & penè omnis Canonum auctoritas convulsa: novitati etiam hac parte aliquid datum: conquisito tamen aliquo colore, & tegumento, quo fraus illa, quæ sacris regulis fiebat, velaretur.

Vulgata est hæc omnium Scriptorum querimonia, his de causis deformatæ Ecclesiæ tot imposita fuisse vulnera, quæ lamentari quis possit, exprimere satis non possit. Veterem hanc inter alios cecinere querelam Gersonius, Cardinalis Alamannus, Thomassinus sæpissime, Fleuri, Franciscus Benignus Bossuet, aliique passim. Sed quamvis eo tempore verè dici possit, evenisse quod ait Poeta: *Omnia fatis in pejus ruere, & retrò sublapsa referri;* & aliquid aggressus fuisset Clemens VI. in diminutionem indigenarum prærogativæ, ut ex epistola apud Raynaldum: attamen quicquam de ea deperdere passi non sunt Hispani Principes, populique; quamquam in præfata epistola non id intenderit Clemens, posse absolutè beneficia dari extraneis, sed *interdũ*, cogente Ecclesiæ necessita-

rei vel utilitate, quæ æquipolleat ei, quæ posita esset in prædicatione verbi Domini in locis, in quibus vera fides adhuc non fuisset recepta; ut conjici potest ex exemplo Apostolorum, & D. Jacobi, quæ alioqui a proposita specie nimis aliena fuissent. In Hispania semper obtinuit, ut alienigenæ omni ad beneficia aditu prohiberentur. Illorum provectioni, quæ nunquam facta fuit, Principes intercessere, etiam auctoritatem suam eis accomodantibus Hispanis, Gregorio VII. aliisque Pontificibus, & Conciliis. Tentavit quidem aliquid innovare Clemens, sed lusit operam. Post conflatum schisma, cum idem sibi arrogare vellet Clemens, qui tunc se dicebat Septimum, contranitente Joanne Rege Castellæ, ab hac re se abstenturum promisit, & quod pollicitus fuerat, facto comprobavit: quo defuncto, cum beneficia quædam in alienigenas dispersisset Benedictus XIII. Henricus III. illorum fructus apud sequestrem deposuit, sublatoque sequestro ob Oratoris sponsionem, Benedictum jus suum indigenis sartum tectumque conservaturum, cum deinde quam dederat Legatus, non implesset fidem: legem tulit Henricus, penitus exteros cujuscumque dignitatis exterminantem a Sacerdotiis, pœnis refertam acerbissimis adversus eos, qui quoquo modo illam violarent, reditibus beneficiorum, quæ jam concessa fuerant, sequestro subjectis, ut in sequenti dissertatione dicemus; quam legem totaliter, nihil, aut parum dissimiles, & præcesserant, & sunt insecutæ. Tandem Sixtus V. agnoscens suffragari Hispaniis, Conciliorum, & Canonum auctoritatem, quemadmodum tantum Pontificem decebat, ut jus tenerent suum, annuit; teste Mariana de rebus Hispaniæ lib. XXIV. cap. 16. ibi: *Dederat etiam ante quatuor annos Henrico Regi, ne externi homines amplius in Castella Sacerdotia expeterent, de quo lis tandiu fuerat cum Romanis.*

Facessant igitur adversarii, nec nobis negotium exhibeant ex epistola, quæ omni effectu caruit; quæ nihil momenti habuit apud alios post Clementem Sextum creatos S. Pontifices, cui decretum adversum

edi-

edidit Sixtus, nihil de novo concedens, sed bonam fidem agnoscens, qui certè non illud protulisset, si idem esset beneficia indigenis dispertiri, ac possideri Sanctuarium Dei jure hæreditario: præsertim, cum in omnibus Hispaniæ Regnis certum, sit eam consuetudinem inveterasse, ut nonnisi Civibus, & Ecclesiarum filiis, beneficia tribuerentur; adeo ut hoc extensum fuerit etiam ad regiones ipsis adjectas; sicuti proditum de insula Majoricæ, quam cum Princeps Saracenus, qui Balearibus imperitabat, dono dedisset Episcopo, & Capitulo Barcinonensi; constitutum fuit, ut Episcopi in ea accesserentur ex Ecclesiæ Barcinonensis sinu, vel Majoricensis, aut si forsan in eis nemo idoneus occurreret, ex alia quavis Ecclesia. *Hispaniæ Illustratæ tom. 3. pag. 76.*

Idem dicendum est de epistola Martini V. quam opponentes frustra sunt Adversarii. Vigebat ea observatio in Polonia, ne quis, nisi de ejus Ecclesia, cui præsidere debebat, Cathalogo eligeretur; ut probavimus supra ex epistola Innocentii III. 87. *lib.* 2. regest. XIV. ex Matthia de Michovia *lib. 3. cap. XXXII. Rerum Polonicarum*, & Bosqueto: contra quam cum aliquid molirentur exteri, fuit promulgata sanctio, ne extranei possent ad beneficia accedere, a Rege Wladislao, ac omnibus Episcopis provinciæ in publico Conventu; quæ licet Martino displicuerit, durat adhuc. Quamvis, ut ex dicta epistola apparet, quam mutilatam Raynaldus promit, non tam Pontificem malè habebat ea, quam diximus Constitutio; quam Cardinalem Brandem fuisse Sacerdotiis omnibus spoliatum: neque aliud in ejus conclusione poscitur, nisi ut ille in pristinum jus restituatur, quod æquum esse allegabat Pontifex; quia de re Polonica fuerat optimè meritus, & Regi erat addictissimus. Cæterum Martinus, cum sedatiore animo, quod actum fuerat ex præscripto canonum, secum reputasset, controversiæ silentium imposuit.

Apud eos, qui successere Pontifices, indigenæ in-

bene-

beneficiis, juxta veterem morem, semper primas habuere. Hanc sibi esse firmissimam regulam, toto quoad vixit tempore, Pius Secundus non uno exemplo commonstravit. Cum Præpositus Sancti Laurentii Mediolanensis Basilicæ diem obiisset, & Franciscus Mediolanensium Antistes, Æneam Sylvium postea Summum Pontificem, cujus insignia erant in Ducem, Insubresque merita; quippe qui in Conventu Basileensi, cum de transducendo Concilio in alium locum ageretur, causam pro Mediolanensibus mira dicendi elegantia, ac ubertate, præclaraque facundia, egregiè perorasset, defuncto in Præbenda vellet sufficere: tanti viri celebritas nõ cohibuit Isidorum Rosatensem, quin exciperet, patrio solo insitionem exoticæ plantæ, Sacris regulis contradicere. Extat ejus oratio apud Gobelinum lib. 1. Commentar. Pii Papæ 2. in hæc verba. *Quid agitis Patres? inquit: Electivam præposituram Æneæ homini extero committitis? Ubi decretum vestrum, quod tantoperè servari præcipitis? beneficia in Terra Mediolanensi absque scitu, & voluntate Principis de vobis optimè meriti confertis? Cives, & Doctores spernitis? alienos eligitis? nisi Capitulum in suo jure dimittitis, ruent conatus vestri, ridebiturque provisio.* Ex quibus patet, dubium non fuisse apud illos, qui ea de re cognoscebant, quin pro Isidoro Sacri Canones dimicarent. Neque ipse hoc in quæstionem revocare ausus Æneas, sed triplici ex capite ajebat, nihil esse cur præbendam sibi æmulus invideret. Primò, quia Philippus Mediolanensium Dux, quò erga Æneam aliquod grati animi signum ostenderet, declaraverat in votis sibi esse, ut aliquo beneficio in sua ditione exornaretur; quo testimonio, videbatur eum extraneum non habuisse, sed inter Cives allegisse: *Tum Æneas vehementer, inquit, admiror Patres optimi, Isidorum adversus me verba facere, qui nuper ex Mediolano reversus literas Philippi Ducis ad me detulit, quibus ille Princeps gratias mihi agit, quod ejus causam hoc in loco peroraverim; atque ob eam rem gratum sibi esse affirmat, in ejus Territorio quodcumque beneficium me ac-*

cepta-

reptare, cujus libenti animo possessionem sit mihi daturus: Non igitur ille me extraneum habet. Secundo, quia non poterat ei objici impedimentum, quod linguam ignoraret. Tertio, quia in Ecclesiæ Clero nullus eo munere dignus: quod innuisse videtur, dum Isidorum redarguens dicebat, *In Ecclesia S. Laurentii non nisi duos, tresve extitisse Canonicos, leves, ac indoctos.* Et tamen his suisque deque habitis, conatus ei non successisset, nisi & Archiepiscopum fautorem habuisset, & Philippum, & Curiam in idem conspirantes: quod non dissimulavit Commentariorum relatus auctor his verbis: *tantum Æneã, & Princeps, & Curia favit.* Quamvis non multo post interjecto tempore, falso ejus mortis rumore perlato, alter Præbendæ superinductus fuit, ut constat ex ejus epistola 30. qua satis indicat necessitatem, ut beneficiarii sint Principibus devoti, omnique apud eos suspicione vacent, dum ait; *Jam autem non potest dici, quia de obedientia alia sum, quia Regi servio, qui est omnino indifferens.* Quod idcirco scribit, quia jam erat a secretis Imperatoris; & *epistola* 47. & ex duabus, quas dedit ad Ducem Mediolani; nempe 52. & 53. Nec nobis liquet, an præbendam recuperaverit.

Quanti facienda esset origo in Sacerdotiorum collatione, ostendit clarissime idem Æneas Sylvius in quæstione, quæ oborta fuit de Ecclesia Sancti Laurentii Norimbergæ, de qua scribens ad Summum Pontificem, in ea pugna, asseverabat justum esse, ut victoriam reportaret, qui & Civis erat, & populo non invisus: *Nam etsi ambo* (illius verba sunt epistola 144.) *collitigantes boni viri sunt, docti, & beneficio, de quo litigant digni, quia tamen unius esse debet, non duorum; hic merito præferendus est, qui & possessor est, & civis, & acceptus populo.*

Docuit etiam epistola 247. inscripta Procopio Cancellario Bohemiæ, cum jam purpura insignitus fuisset; in qua ait, se nullum non lapidem movisse, ut rata non esset postulatio in Pragensem Antistitem, externi cujusdam, & linguam illius Civitatis vernaculam non callentis: *Interea tuus Roratus, homo multivolus, & magni-*

volus.

volus ex Bohemia, procuravit offerri postulationem ad Pragensem Ecclesiam, cujusdam Datarij Apostolici, boni quidem viri, sed Cathelan, & sermonis Bohemici prorsus ignari. Impedivimus huc usque promotionem, &c. Qui etiam epistola 259. in literis ad Nicolaum Liscum Volaterranum ait, se operam dedisse, ne postulatio admitteretur absque Regis consensu, quasi meritò illi alienæ gentis homo suspectus esse deberet: *Et ille quidem vir bonus, & doctus, & quem dignum hoc honore putamus; nobis tamen non est visum ad talem Ecclesiam, quemquam promoveri, nisi consulto Rege; ideoque quoad potuimus, differre promotionem conati sumus.*

In epistola 369. data ad Martinum Mexer fatebatur ultro, ex institutis Canonicis, non posse Germanica beneficia, nisi Germanis committi: ad ea iter extraneis interclusum esse; *Sed arbitraris fortasse, beneficia, quæ in Germania sunt, Germanis potius committi debere, quam extraneis: nec nos aliter sentimus.* Verum ad ea aditum sibi esse contendebat, quia in Germania moratus per quatuor, & viginti annos; & longissimo tempore in famulatu Cæsaris fuerat, laboresque ingẽtes pro eo, ac tota Theutonica natione subierat; proindeque magis inter Germanos, quam inter Italos connumerari debebat: *Sed cum nos jam annis supra vigintiquatuor Germaniam incoluerimus, non reputamus extraneos existimari debere; cumque Imperatori, ipsique nationi longo tempore summa fide, magnis laboribus servierimus, & nunc ad Cardinalatum recepti, ea curemus, quæ nationis ipsius honori, ac utilitati conducant; & ita prorsus agamus, ut natione, Germani potius, quam Itali putemur, non judicavimus tribus illis Provincijs, Moguntina, Coloniensi, Treverensi indignum videri, aut grave censeri, si annua duo millia ducatorum in eis obtineremus ex illis beneficijs, quæ Sedes Apostolica conferre haberet: putavissemus, etiam majora in ea natione, cui semper servivimus sponte offerri; sed non sumus nos insatiabiles; contentamur eo, quod pro debiti status conservatione sufficiat:* & epist. 350. *Credebamus nationem illam non ægrè ferre si nos, qui in ea nutriti sumus, tantum in beneficijs haberemus.* Quod fusiùs prosequitur epist. 356. in qua tandem in hæc desinit: *Et ita San-*

Sanctissimo Domino nostro diximus, &c. quod solum id reciperemus, quod cum bona gratia Principum, in quorum territorio esset, habere possemus. Quamvis & tantis suis præcedentibus meritis, diutinoque incolatu, Germanica si appetiisset beneficia, agnosceret, non posse a se invidiam propulsare, ut ex epistola 321. *Volumus esse in pace cum istis parvis beneficiis, nec intendimus, si possumus cuipiam esse molesti. Vtinam possemus facere, etiam sine Præpositura, quia nolumus illi nationi quovis modo displicere; sed necessitas urget, si statum tenere debemus convenientem, & reputamus nos esse Germanos, qui tanto tempore illi nationi servivimus: quod si natio illa nos prorsus excludere vult* (ea concedit jus esse indigenis exteros excludendi) *æquo feremus animo, nec nimium beneficium amplius in illa quæremus, quod de benignitate illorum Prælatorum non arbitramur esse*: Et ex dicta epistola 356. ad Decanum Vormatiensem appareat, in petitione præbendæ, quod externæ nationis esset, repulsam passum fuisse.

Postquam fuit Pontifex renuntiatus, quæ inter eum, & Carolum VII. Gallorum Regem intercesserunt simultates, palam faciunt, sententiam, cujus tenax & Episcopus, & Cardinalis fuerat, eum non mutasse; quamvis enim in Tornacensem Ecclesiam, Tullensem Episcopum natione Burgundum transtulisset, & hac de causa in Caroli offensionem incurrisset, illius animum placare sibi curæ fuit, rationibus, ex quibus constat, apud eum indubitatissimum fuisse, eligendos Episcopos, ac beneficiarios, qui & origine Principibus subsint, ipsorumque sint observantissimi: nam & epistola 374. profitetur, se ad translationem procliviorem fuisse hac de causa: *Hoc quoque ad transferendum Tullensem proniores nos fecit, quod sicut Serenitas tua intelligit, tota Tornacensis Diæcesis sub dominatu est Burgundorum, nec putamus inconveniens videri posse, si ex dominio illo daretur Episcopus, intra cujus limites major est, & amplior jurisdictionis illius pars*. Et epistola 375. refert, priusquam vacaret Ecclesia Tornacensis, Oratores Caroli, ipsi exposuisse, concessionem illius Episcopatus sibi reservasse Callixtum; ut decedente Episcopo, in ejus lo-

cum sufficeretur, qui esset Regi testatissimæ fidei; idemque a se petiisse; eisdem precibus se aditum fuisse a Ducis Burgundiæ Legatis; *Idem egere nobiscum Ducis Burgundiæ Legati non semel, sed iterum dicentes, Diœcesim Tornacensem ferè totam, & redituum maximam partem in potestate ipsius Ducis consistere, ad quem magnopere pertineret, Episcopum Tornacensem eum creari, qui sibi amicus, & charus esset, propter magnas, & opulentas Flandriæ Civitates vicinas Anglicis, in quibus Status sui robur continetur; adjicientes retroactis temporibus, maximè a septuaginta annis citra, nunquam in ea Ecclesia præfuisse, qui non ex charis Ducis Burgundiæ fuisset, & quod unus aliter promotus ab Eugenio, tandem translatus sit ad Ecclesiam Narbonensem, cum pace illic potiri non posset.* Unde patet, jus fuisse Regibus excipiendi adversus Episcopos, qui e suis non essent, cum prædictas preces, non gravatè tulerint Pontifices; cumque adjecisset, non fuisse spernendum extremum desiderium defuncti Episcopi, qui ei Ecclesiæ longissimo tempore præfuerat, & successorem sibi Tullensem optaverat: concludit, magis fuisse habendam rationem dominii utilis, quod Dux Burgundiæ in tota Diœcesi habebat, quam solius directi penes Gallũ Principem residentis: *Dicis te loqui de re tui Dominij:* *Jurisconsulti duplex Dominium tradunt, alterum directum, alterum utile. Civitas, ut ajunt, utroque jure ad te pertinet; Diœcesis directo tantum; nam utile Ducis est: quod multò pluris faciunt, nec tua Excellentia Episcopatibus hactenus vim fecit, qui in Burgundia vacaverunt, quamvis asseras, & verè asseras, Principatum illum, sicut & Flandriam a tua corona dependere.* Ex quibus manifestum est, Pium Secundum longo rerum gerendarum usu prudentissimum, ea, quæ sunt regiminis Ecclesiastici, accommodasse Reipublicæ, & Principum utilitatibus, ne qua in civili politia contingeret perturbatio.

In Conventu Uvormatiensi coram Carolo Cæsare, & magno germanorum Dynastarum numero, calumnias, quas in Romanam Curiam jaciebant novarum rerum cupidi nebulones, refellens Hieronymus Aleander, secun-

dum

dum ea, quæ in mandatis dederat Marino Caracciolo, sibique Leo X. maxima asseverantia affirmavit, in cunctis regionibus indigenas beneficiis Ecclesiasticis frui; cui, in re omnium oculis exposita, in tanta Principum, ac clarissimorum virorum frequentia, mentiri turpissimum fuisset. Ejus verba posteritati commendavit Card. Pallavicinus histor. Concil. Trident. lib. 1. cap. 25. n. 22. *O consideriamo i beneficij Ecclesiastici, e questi per lo più in qualsivoglia luogo sogliono godersi da paesani, e di quelli, ne' quali ciò non avviene, si fà la compensazione, godendone scambievolmente gli uni nella patria degli altri.*

Hæc, quæ hactenus exaravimus, animo agitabant doctissimi Patres, & sanctitate præclari in sacro Concilio Trid. cum a quibusdam propositum fuisset, ut beneficia, saltem ea, quibus animarum cura cohæret, patrimonialia efficerentur, & nemo ad ea exterus provehi posset: quorum sententiam summo animorum consensu cæteri omnes, qui in eo venerando Cõventu assidebant, amplexi sunt, ut testis est, & quidem satis idoneus, *Soto* lib. 3. de just. & jure q. 6. art. 2. p. 268. & post eum *Covar.* pract. c. 35. n. 5. in fine. *Unde sanctissimum esset, & reipublicæ cõsultissimum, quod Summus Ecclesiæ Pontifex, vel Oecumenica Synodus sanciret, ut omnia cujuscumque Diœcesis beneficia, saltem curam animarum habentia, patrimonialia efficerentur, atque non reciperentur, nisi cives, vel qui inde sunt oriundi. Quod in Concilio Tridentino summo omnium consensu consultatum fuisse, testis est Dominicus Soto lib. 3. de justitia, & jure quæst. 6. art. 2. pag.* 268. licet posteà, vel fato quodam, vel nostra infelicitate id fuerit prætermissum. Quod eò contigisse conjici potest, quia reformationes, quibus antiquam disciplinam integram in usum restituere Patribus statutum erat, non fuerunt ad finem perductæ; vel quod supervacuum aliquibus forsan visum fuerit id decernere, quod non solum Christi, Apostolorumque doctrina, & veterum Ecclesiæ Patrum regulis, & institutis communitum erat; sed in omnibus etiam Christiani Orbis provinciis moribus receptum.

Sed & regulæ Cancellariæ Apostolicæ, in beneficiis indigenas aliis omnibus præferunt, ut liquet ex regula de concurrentibus in data ibi: *& similiter cæteris paribus, oriundus nō oriundo, & Diœcesanus non Diœcesano præferatur*, cujus obliti non fuere Salcedo *in pra. c. 54. num. 9.* Azor. *institut. moral. p. 2. lib. 6. cap. 4. quæst. 25. vers. cæterum in fin.* Quo loci, oriundum idem sonare, ac ortum, juxta legem *assumptio, ubi Glos. verb. oriundus*, Mandos. Garz. Barbos. aliique adnotarunt. Solent etiam in hanc rem crebrò adduci verba text. in cap. hortamur 71. dist. petita ex sermone Divi Augustini ad populum; *Hortamur Christianitatem vestram juxta Sanctorum Canonum instituta, ut in Ecclesijs a vobis fundatis, aliunde veniens Clericus non suscipiatur*: c. quam sit 18. q. 2. ibi; *non extraneus eligatur, nisi de eadem congregatoine*; & mox, *quod si aptam inter se personam invenire nequiverint, &c.* extravag. execrabilis de præb. ibi; *In diversis Ecclesijs nedum vicinis, sed etiam ab invicem longè distantibus, imò nonnunquam in diversorum Regnorum partibus situatis*: motus proprius Pii V. editus anno 1566. cujus memor fuit Zapat. *de just. distrib. 2. par. cap. 5. n. 4.* & Bullæ Sixti IV. & Leonis X. apud Garziam *de benef. part. 7. c. 9. n. 570.* in quibus, de qualitatibus eorum qui ad Beneficia sunt promovendi, Summi Pontifices ajunt; *qui si in eadem Ecclesia beneficiati, & alias si qualificati reperiantur, alijs præferantur*: & ob probandum, oportere, ut Episcopi, ac Beneficiarii populo sint cogniti, & quam damnosum sit Ecclesiis, in eas alienigenas induci, cap. peregrina, & c. seq. 3. q. 6. ibi; *quia indignum est, ut ab extraneis iudicentur, qui comprovinciales, & a se electos, debent habere iudices*, quæ verba parum ad rem, si verum fateri volumus: & cap. fundamenta §. digna de elect. in 6. *Nunquid obduxit oblivio, quæ Urbi, quæ incolis nota dispendia intulerunt hactenus peregrina regimina?*

A jure Canonico, quod ad rem nostram spectat, Jus civile non dissentit. Vt id probent DD. nostri uti solent constitutione Archadii, & Honorii in l. Ecclesiis 33. Cod. Theodosiano de Episcopis, & Clericis,

quæ

quæ est inCod. Justiniani lex 11. eod. tit. cujus verba sunt; *Ecclesijs, quę in possessionibus, ut assolet diversorum, vicis etiam, vel quibuslibet locis, sunt constitutæ; Clerici non ex alia possessione, vel vico, sed ex eo, qui ad Ecclesiam esse constiterit, eatenus ordinentur, &c.* Lex est de uicanis Clericis, & Ecclesiis, quæ ἀγροτικαὶ παροικίαι, ἢ ἐγχώριοι, can. 7. Chalcedon. quomodo presbyteri in his οἱ ἐπιχώριοι πρεσβύτεροι, can. 13. Neocæs. ἐν ταῖς χώραις, can. 8. Antioch. ἐκκλησίαι κατ' ἀγροὺς, ἢ κωμητικαὶ, Synesio epist. 11. κωμῆτιδες, epist. 67. ex cujus verbis DD. inferunt, peregrinos Beneficiorum capaces non esse, ut Odofred. *n. 2.* Bald. *n. 1.* & cæteri Interpretes; quibus accedunt Covar. *practicar. ca. 35. nu. 5.* Gonzal. *ad regulam 8. Cancellariæ, Glos. 9. §. 1. num. 37.* Salcedo *ad d. cap. 54. num. 4.* Cæval. *communium contra communes q. 693. num. 36.* Barbos. *loc. cit.*

Etsi autem Gothofred. *ad dict. l.* Pragmaticos nostros increpet, quod ex ea lege, quod diximus, colligant, sententiam, & rationem ejus haud complexi; *nam quod peregrini ad Beneficia aspirare nequeant, istud,* ait, *jure, & privilegio quodam Civium favore, & inter alia inductum fuit, ne Extranei Civibus prælati videantur; at enim, quod hac lege constituitur, id eò respicit, ne sui cuique loco desint Clerici, si aliunde petantur:* attamen ut ei gratia habenda est, quod ingenuè fateatur, non esse peregrinis Beneficia conferenda, ita non erat cur tantopere nostros DD. carperet, ac concideret; quod ex ea lege hoc induxerint.

Tantæ molis erat alienigenas ab Sacerdotiis ablegari, ut hanc ob causam quamplura juxta traditionem Apostolorum, instituta inoleverint in veteri Ecclesiastica disciplina, quamplura edixerint Concilia Oecumenica, & Summi Pontifices, quæ omnia tamen in eundem scopum collineabant. Præter receptos ubique mores, regulas, ac leges ecclesiasticas poscentes, ut Episcopi, quive aliis inferioribus dignitatibus, ac beneficiis ornari deberent, Cives essent, populis non ignoti, vitæ iis non inexploratæ, ordinibus, ac plebi non invisi; in eundem finem tendebant consuetudo, ac Canones, ut suscipe-

sciperentur ex Ecclesiæ gremio, ex Ecclesiæ militibus. Nam præterquamquod, qui Ecclesiæ alicujus Urbis se addicebat, ex perpetuo vinculo, quo illi innectebatur, ibi larem, ac fortunas suas transferebat, etiam si ex indigenarum numero non esset; hoc ipso domicilium in ea Civitate constituebat: vix contingere poterat, ut qui ex Clero, & ex Ecclesia existerent, non essent simul oriundi. Lex autem adaptatur ad ea, quæ frequentiùs accidunt, & τὸ ἅπαξ ἢ δὶς παραβαίνουσιν οἱ νομοθέται, ut ajebat Theophrast. apud Paul. l. 7. ff. de leg.

Itaque, dum Canones vocabant Ecclesiæ filios ad beneficia, perinde erat, ac si Cives vocarent, & hæc duo in idem recidebant. Quod multò magis autumandum est inspecta præsenti post Concilium Tridentinum Ecclesiastica politia; ex qua, licet qui est unius Diœcesis, possit ab alterius Episcopo ordinari, si ex sui Antistitis consensu, ac literis, quas formatas vocant, id fiat: nihilominus remanet hic Clericus Ecclesiæ in ea Urbe positæ, in qua in lucem editus fuit; ut mittam, semper majus privilegium habitum fuisse, quod beneficia tribuit Ecclesiæ dumtaxat filiis, ac ea Patrimonialia efficit, quam quod solam nativitatem, ac civilitatem in eorum collatione intuetur, ac considerat.

Huc etiam collimabant tot Patrum, ac Conciliorum Decreta, quibus prohibebatur, ne Clericus unius Ecclesiæ, posset in aliam transmigrare, ne possent Episcopi, alienarum Diœceseon Clericos sollicitare, præripere. Nimirum, spiritale connubium non contrahebatur tantummodo inter Ecclesiam, & Episcopum, sed etiam inter Ecclesiam, & quoscunque ei adscriptos, sive intitulatos Clericos: neque Clericus ex assumptione in Episcopatum, vinculo, quo Ecclesiæ erat astrictus, solvebatur, itaut non posset a suo Antistite ad illam revocari. Quinimmò, ut ad regimen alterius Ecclesiæ posset transire, opus erat expressa licentia sui Episcopi, & illius dimissione, ac solemni cessione. Unde Divus Gregorius *lib. 4. epist. 19.* cum quammaximè

per-

percuperet, ut Archidiaconus Catanensis in Episcopum Syracusanum postularetur, si hoc Clerus, & populus consentirent; rescribit Cypriano Visitatori, non aliter posse postulationis rationem haberi, quam si a Leone Catanensi Antistite, sibi subjecti Clerici cessio, aut missio impetraretur: *Quod si factum fuerit, etiam Frater, & Coepiscopus noster Leo ei cessionem praestare debebit, ut liber ad ordinandum possit inveniri*. Ubi glossographi hæc habent: *Tam erant Clerici suæ Ecclesiæ addicti, ut ne eos quidem in Episcopos alterius Ecclesiæ fas esset eligere, nisi missione obtenta, sive ut vocant, cessione*. Et in literis ad Ioannem nescio cujus Civitatis Episcopum, ait idem Gregorius: *Florentio Diacono Ravennati (& Anconitanæ Ecclesiæ electo) si nullum crimen est, quod obsistat, apud Episcopum ejus agere necesse est, ut ei debeat cessionem concedere, non tamen ex nostro mandato, vel edicto, ne contra suam voluntatem ei cedere videatur*. Vide quot obices, quot difficultates, quot impedimenta obsistebant, quo minus alienus, sive extraneus Clericus posset in Episcopum adsciscí. Satis non erat consensus totius Populi, & Cleri, quo peregrinitatis vitium cessare videbatur; satis non erat Ecclesiæ, cui præesse debebat utilitas, quæ excutienda erat in Concilio pleno, ac perfecto, τελείᾳ συνόδῳ, idest totius provinciæ, præsente metropolitano, secundum canones Antiochenos confirmatos canon. 5. Concilii Chalcedonensis; opus erat sui Episcopi consensu, sine quo suæ postulationi assentiri non poterat, multò minus consecrari: opus erat cessione, ac donatione, & ea quidem plena, & libera, quam propterea suo nomine, aut ex suo mandato, peti inhibuit Gregorius; qui etiam epistola 83. ad Ianuarium Episcopum Caralitanum ei mandat, *ut ab ordinatione alieni Clerici abstineat, nisi Pontificis sui cessionem solemni more meruerit*. Hinc in formula Hincmari Rhemensis, qua instruitur Clerus, & populus, quomodo officio perfungi debeant in electione Episcopi, ea verba leguntur; *Si etiam de alterius Diœcesi Archiepiscopi, vel Parochia Episcopi quempiam vobis notum, proficuum, ac utilem eligere malueritis; necesse vobis erit*.

erit, cum beneplacito illius Episcopi, cujus interest, & literis Canonicis petitum obtinere, ut ex formula 7. inter eas a Sirmondo collectas. Et cum ab eodem Hincmaro esset consecrandus Episcopus Catalaunensis ex consensu Cleri, & Populi, Willabertus; quia hic Clericus ordinatus fuerat ab Herardo Turonorum Archiepiscopo, hujus cessionem obtinere fuit necesse, ut ex formula 14. Extat cessionis formula tom. 2. Conciliorum Galliæ, pro Annone Clerico; *Commendatum ergo eum curæ vestræ suscipite; & nostris ex partibus absolutum in vestrarum ovium numero custodite.* Idem de Wlfrido Diacono, de Bemone Acolyto, Arnegiso Presbytero, & aliis, &c. Et apud Franciscum Bernardinum Ferrarium *lib. 1. cap. 51. de antiquo Ecclesiasticarum epist. genere pag. 29.* legitur Ragemberti Episcopi Vercellensis ad Andream Archiepiscopum Mediolanensem ep. in qua cessio fit Clerici ex consensu Cleri, & populi in Episcopum assumpti. Quemadmodum autem non licebat Clericum alienum suscipere, ita nec laicum alienæ plebis usurpare, & ordinare, ut ex can. 5. Concil. Chartagin. 1. qui transpositus est c. primatus 6. distinct. 71. ibi: *nec laicum sibi usurpare de plebe aliena, ut eum obtineat sine coscientia ejus Episcopi, de cujus plebe est; Gratus Episcopus dixit: hæc observantia pacem custodit:* quod ex eodem Grato additur fuisse cautum in Concil. Sardicensi; *Nam & memini in Sanctissimo Concilio Sardicensi statutum, ut nemo alterius plebis hominem usurpet, sed si forte erit necessarius, petat a collega suo, & per consensum habeat.* Non poterat igitur ab Episcopo Civitatis cujuspiam ordinari, nisi Civis illius, ex can. 6. Concilii Chalcedonensis relato can. 1. dist. 70. ibi; *nisi manifestè in Ecclesia Civitatis suæ, sive possessionis*, quomodo Gratianus vertit. Quamquam verò Correctores Romani, verbum *suæ* expunxerint, quod & in Greco tex. deficit, in quo legitur, ἐν ἐκκλησίᾳ τῆς πόλεως ἢ κώμης, inutilis fuit diligentia; cum illud si non fuisset expressum a Gratiano, subintelligi debuisset, ac suppleri. Hoc pacto intelligendum est Siricii decretum epist. 4. *ut de aliena Ecclesia nemo ordinare Clericum præsumat,*

quo

quo loco Ecclesia est congregatio fidelium tam ex Clericis, quam laicis constans, ut apud Divum Paulum, aliosque.

Quamvis autem Sardicensis can. 15. ad quem respexit Gratus, de alieno solum ministro ab Episcopo alterius Diœcesis non ordinando, loquatur: ἀλλότριον ὑπηρέτην, attamen ut doctè perpendit Hallier. de sacris ordinat. sect. 5. cap. 3. art. 1. §. 2. *aliquid forte præterea amplius intendit, ut nec de aliena plebe laicum ab Episcopo Clericum fieri exoptaret; poterat enim mentem Concilij Sardicensis Gratus notam, & perspectam habere, qui nempe teste Athanasio cum triginta alijs Africanis interfuerat, & ipsi subscripserat.* Porrò Iulius Primus, sub quo Concilium Carthaginense primum, & Sardicense sunt celebrata, his in rescripto contra Orientales pro Athanasio, congruere testatur can. 6. Nicæni, quo constitutum, *ut nullus Episcopus alterius Parochianum præsumat retinere, aut ordinare absque ejus voluntate, vel judicare, quia sicuti irrita erit ejus ordinatio, ita & judicatio.* Vnde infert Hostiens. in summa de tempor. ordin. n. 5. *Non posse Clericum, nec laicum ab alieno Episcopo ordinari, sicuti non potest judicari.* Quod decretum iisdem verbis Hadrianus primus in suis responsis custodiendum præscripsit. Huic consonat decretum, quod uti conditum a Callisto primo, qui diu ante Iulium sedit in Petri Cathedra profert Gratianus in sua rhapsodia 9. q. 2. c. 1. *nullus alterius terminos usurpet, nec alterius Parochianum judicare, vel ordinare, aut excommunicare præsumat; quia talis judicatio, vel ordinatio, aut excommunicatio, vel damnatio, nec rata erit, nec ullas vires habebit, quoniam nullus alterius Iudicis, nisi sui sententia tenebitur, aut damnabitur: unde & Dominus loquitur,* dicens: *ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt patres tui.* In quam sententiam trahi posse can. quoque Antiocheni 1. & Aurel. 3. c. 25. Hallier. conjecturam facit *loc. cit.*

Idque & confirmatur ex Capitulari Angilramni, quod ei traditum fuisse ab Adriano Summo Pontifice, percrebruit; ubi can. 30. prohibetur ne Episcopi

alienos, parochianos, ideſt Diœceſanos (Parochia enim ſecundum uſum illius temporis idem ſonabat, ac Diœceſis) ordinare queant: *Si quis Epiſcopus judicaverit alterius parochianum ſine conſilio, & voluntate Epiſcopi ſui, &c. ultra non ſolvat canonem*; & apertius ex Capitularibus Caroli Magni *lib. 7. cap.* 229. quo declaratur, nihil agere Epiſcopum, qui alienum parochianum ordinare auſus fuerit: *Nullus Epiſcopus alienum Parochianum præſumat retinere, vel ordinare, vel judicare abſque proprij Epiſcopi voluntate; Quia ſicuti irrita erit ejus ordinatio, ita & dijudicatio. Qui eum ordinare non potuit, nec iudicare ullatenus poterit.* Ut poſſet parochianus Senonenſis in Diœceſi Bituricẽſi ad ſacros ordines promoveri, ab Archiepiſcopo Senonenſi id impetrandum fuit, ut ex antiquis formulis Concil. Galliæ tom. 1. pag. 665. & 666. *parochianum noſtrum in noſtra Diœceſi natum, & ſacras literas edoctum, ad ordinem ſacrum promoveri juſſimus.* Vulfadum non jure conſecratum fuiſſo Epiſcopum Lingonenſem, contendebat Hincmarus Rhemenſis Epiſcopus; quia id actum fuerat *inconſulta Rhemenſi Eccleſia*, objiciens præcipuè, fuiſſe in ea ſacro fonte luſtratum: licet etiam non in poſtremis haberet, in eadem fuiſſe primò detonſum. Nec alio jure uſam fuiſſe Eccleſiam Orientalem poſterioribus etiam ſeculis, apparet ex Synodo Conſtantinopolitana ſub Michaele Anchialo Patriarcha *tom. 1. jur. oriental. pag.* 227. qua vetitum fuit cuicunque Antiſtiti, niſi ſuum diœceſanum ordinare, paci, & concordiæ inter Epiſcopos alendæ. *Manus autem imponere, & ſacros ordines conferre, non iis qui undequaque veniant,* ἀλλ' ἢ μόνοις τοῖς ἐκ τῆς οἰκείας ἐπαρχίας ἑκάστῳ ἀρχιερεῖ κανονίζεσθαι, *ſed iis ſolis, qui ſunt ejus Diœceſis unicuique Antiſtiti canone cautum eſt: ea ratione, ne inter eos confuſio, ſeditioque verſetur, a quibus ordo, & pacis bonum alijs quoque certa debet regula dari.* In qua Synodo id de laicis conſtitutum fuiſſe, teſtatur Balſamo in reſponſ. ad Marcum Patriarcham Alexan. jur. orient. ibid. pag. 382. & 383. *De laicis autem ſimul quæſitum eſt in Sancta Conſtantinopolitana Synodo, &c. Et facta eſt Synodalis ſubnotatio, à*

ἐπ' αὐ

ἐπίσης κολάζεσθαι, καὶ τὸν ἐξ ἑτέρας ἐπαρχίας χειροτονήσαντα λαϊκὸν παρὰ γνώμην τοῦ ἐπισκόπου αὐτοῦ, καὶ αὐτὸν δὴ τὸν χειροτονηθέντα. *Ex æquo puniri eum, qui ex aliena provincia ordinat laicum, præter Episcopi ipsius sententiam, ipsumque etiam ordinatum.* Dum autem in Synodo dicitur κεκανόνισται *canone cautum est*, satis ex hoc elucet, eâ non jus novum institui, sed veteri, ac translatitio, novæ confirmationis robur adjungi, & ab eo offendendo contumaces, pœnarum coercitione deterreri; elucet etiam ex eo, quod ait Balsamo σημείωμα συνοδικὸν *Synodalem subnotationem fuisse* συγκεκροτημένον ἀπὸ διαφόρων κανόνων προσκομιδῆς *ex variorum canonum allegatione confectam*. Certè Iulianus in Concilio Carthaginensi, deridendum se propinasset, si natale solum nullum jus Episcopis tribuisset. Eo potissimum nitebatur adversus Epigonium in quæstione, quæ inter ipsos de Clerico quodam emersit. Sed quia hunc puerum maximè egenum Epigonio tradiderat, quæ traditio cessionis cujusdam loco haberi debebat; commendatum sibi hic obviis ulnis exceperat, sacro fonte tinxerat, qui propterea civis potius æstimandus erat illius urbis, in qua per baptismum renatus fuerat, quàm patriæ, & eò charitatis erat progressus, ut ipsum studiis liberalibus erudire, ac instruere nullis parcens expensis, ac laboribus curaret: quorum spatia cum decurrisset, lectorem ordinaverat, ac proinde cum pro eo pugnarent regeneratio, domicilium, beneficium, longissima cum ipso cohabitatio, & alia, quæ breviter perstrinximus; jure optimo secundum eum Concilium sententiam dedit, satis indicans, se ut ita judicaret, ex his, quas diximus causis adductum fuisse, dum pronunciavit posse ab Epigonio: *eundem Clericum revocari plebi suæ*. Concil. Chartag. 3. can. 44. Afric. cap. 26. vid. Cod. can. Eccles. Afric. cap. 54. tom. 1. Concil. 59. apud Zonaram 58. apud Balsam. qui ex eo quod ajebat Epigonius, Clericum ex Iuliani voluntate, atque commendatione excepisse, refert in Synodo Cpnæ Ecclesiæ plerosque deduxisse, non posse ab alieno Episcopo quempiam ordinari, nisi de consensu Antistitis illius

Yy 2 loci,

loci, in quo primum vitales auras duxerit.

In flagitando consensu Herardi Archiepiscopi Turonensis, Gulbertum Episcopum Catalaunensem initiaturus Hincmarus Rhemensis, nativitatis, atq; educationis imprimis mentionem fecit tom. 2. Concil. Gall. pag. 652. inter formulas Sirmondi: *quia vester natus, nutritus, vel educatus, & ordinatus dignoscitur, &c. Clerus, Ordo, & Plebs Catalaunica illum deposcit, habeamus vestram licentiam, &c. requisita sunt Canonum Capitula, & inventum est, quia ab illo eum petere debebant, cujus natus, nutritus, & ordinatus foret.* Quinimmo a Ravennate Concilio anno 997. eò processum fuit, ut non modo auferretur facultas Episcopis ordinandi non suos parochianos, sed etiam eos recipiendi, aut retinendi, can. 3. *nemo nostrum alterius diœceseos, vel parochianos recipere, aut promovere; seu retinere præsumat sine Canonicis epistolis.* Quod etiam statutum in Concilio de Copriniaco, licet multò recentiore. Dum ergo Episcopis ordinatio laici de plebe aliena interdicitur in eodem Concilio Ravennate, in Londinensi anni 1125. can. 10. in Monpessulano anni 1258. etiam si ratihabitionis proprii Diœcesani spes affulserit, in Monspeliensi, c. secundo, & frequentissimè in illis habitis post annum Christi millesimum, dum idem præcipiunt *c. cum nullus, & cap. nullus de tempor. ordin.* Sanctæ Synodi, & Sacri Canones novam viam non inibant, sed a veteribus Conciliis, & Pontificiis decretis constratam complanabant, vetus jus non immutabant, sed magis stabiliebant. Quod autem in Concilio Nicæno de Clericis actum fuerit can. 16. *ὁ ἐν τῷ κανόνι ἐξεταζόμενος*, item & in aliis, quæ subsecuta sunt, id eò evenit, quia majoribus compedibus Ecclesiæ, aut Episcopo constringebantur, qui ab eo aliquem ordinem susceperant; non autem quòd usurpare laicum de plebe alienâ permissum fuerit. Non id ex his, quæ in iis Conciliis disposita sunt consequitur, nec potest duci argumentum ἐκ τῆς ἀντιθέσεως è contrario sensu, quo aliorum Conciliorum regulæ, aliæ leges ecclesiasticæ corrigantur. Nec refragatur Augustinus epist. 235. *Recense Concilium*

cilium & *ibi invenies de solis Clericis, non etiam de laicis fuisse statutum, ut undecunque venientes non recipiantur in Monasterium*; nam ex ejus verbis patet, egisse eum de his, qui ex alia diœcesi adventantes in Monasteria recipiebantur, quod canone noviore Concilii Africani, de quo Augustinus sensit, prohibebatur. Sed ejus prohibitio, ut ipse ajebat, in Clericos, non in laicos dirigebatur. Parum etiam refert, nihil impedimento fuisse, quominus a laico, quo vellet domicilium transferretur: quod satis videbatur transferri per ordinationem, præsertim cum ea perpetuò Clericus Ecclesiæ defigebatur; placet enim Glossæ responsio *can.6.dist.71. ver.obtineat*, satis non fuisse eam domicilii constitutionem, quæ colligebatur ex ipsa ordinatione, cui animus perpetuò permanendi erat conjunctus, ut ad eam posset procedi; sed opus fuisse, ut constaret antea fuisse contractum legitimè domicilium: *Sed nonne extraneus Episcopus potest ordinare laicum de alterius Episcopatu, cum laicus possit transferre domicilium, quò voluerit? Dico quod sic, sed domicilio non translato non potest eum ordinare.* A qua nil differt, quod docet Hallier loc. cit. §. 50. n. 20. *quæ tamen declaratio hanc interpretationem patitur, ut quandiu alterius est parochianus, ab Episcopo ordinari non possit, ubi verò habitatione diuturna parochianus Episcopi alicujus loci effectus fuerit, possit ab eo ordinari.* Quod tamen intelligendum posita necessitate, qua cessante, nullo modo poterat peregrinus ordinari etiam post incolatum multorum annorum, ut censet Albaspineus.

Nec nos latet, aliquam institutionem factam fuisse non a proprio Episcopo: sed cum hoc accidit præter ordinem accidisse certissimum est; ut de Divo Paulino accepimus, qui apud Barcinonem a Lampio Episcopo anno 393. per vim inflammatæ plebis sacratus fuit, ut ait Augustinus *epist. 35.* quod & ipse Paulinus qui fuit postea Nolanus Episcopus, de se scribit in epistola ad Severum: *Nos in Barcinonensi Civitate consistimus. Post illas litteras, quas scripsisti; die Domini, quò nasci de carne dignatus est, repentina, utrigse testis est, vi multitudinis, sed*

credo

credo ipsius ordinatione correptus, & Presbyteratu initiatus sum, qua in re ὀχλώδης χεὶρ παρέσυρε τὸ ἀκριβὲς *turbarum manus evertit jus accuratum*, ut loquamur cum Nazianzeno *epist. 27.* Præter ordinem, ut diximus, hoc contigit in quibusdam viris pietate, & sanctitate præstantissimis, doctrinæ gloria toto orbe celebratis, ut in Paulino, Hieronymo, Augustino. Non igitur solum Clericis vetitum erat, mutatione Prælati versuram facere, & Episcopis alienos Clericos adoptare, sed etiam laicum alienæ Plebis, in Clerum adscribere; ergo nec ad beneficium admittere, ut optimè arguunt Antonius Bengæus, & Franciscus Pagonius *de benef. verb. idoneo cap. 83. num. 2.* qui ex eo quod beneficia sint Clericis concedenda, consequens esse ajunt, ut eædem qualitates in Clericis ordinandis, & beneficiis augendis sint necessariæ; ac proinde quemadmodum peregrini extra Diœcesim suam ordinari non poterant, ita non potuisse beneficiis, aut Ecclesiis, extra Ecclesiam suam adscribi: & Thomasin. lib. 1. cap. 4. par. 2. n. 2. ibi; *ex quibus liquidum fit, Clericos ab uno Episcopo semel ordinari cœptos, ab alio donari non potuisse, sive ordine quolibet, sive beneficio*, id colligens ex Concilio Epaonensi ita mandante: *Ne presbyter territorij alieni sine conscientia Episcopi sui in alterius Civitatis territorio præsumat Basilicis, atque territorijs observare, nisi forte Episcopus suus illum cedat Episcopo illi, in cujus territorio habitare disposuit*: Presbyteri enim de quibus hic agitur (ut idem Thomasin. acutè) *nihil novi ordinis ab Episcopo hoc alio accipiebant, sed Ecclesiæ alicui sese astringebant regendæ, quod omninò nefas erat, nisi Episcopus, cui se prius addixerant, eos relaxaret; & prorsùs deinceps cederet Collegæ.* Quod & in mente habuisse videtur Bosquetus *ad dict. epist. 13. Innoc. lib. 1. reg.* cujus verba supra recitavimus, cum scripsit, duo obstitisse, quò minus alienigenæ beneficiis donarentur: & quia ignotos Clericos, & extraneos ordinare, immò nec recipere jure erat prohibitum: & quia propriæ Ecclesiæ Clericos, vel parœcos alijs omnibus anteferri, Patrum regulis cautum. Quibus verbis palam fecit, & hæc duo

eodem

eodem spectasse: & posito etiam extraneus Clericus ex legitima, ac solemni cessione, ac donatione sui Episcopi, Ecclesiæ alienæ *incardinatus* fuisset, evitare non potuisse, quin ei propriæ Ecclesiæ Clerici, ac parœci essent ex regulis Patrum in beneficiis præferendi. Quin etiam, adeò rigidè observabatur, ut Episcopi, aliique beneficiarii non possent esse nisi cives, ut etiamsi quispiam natus in alia Diœcesi, per multos annos in aliqua civitate moram traxisset; quod ad rem nostram attinet nihilominus diceretur peregrinus, & alienus habebetur a Sacerdotiis, ut autumat Albaspineus in notis ad Optatum Milevitanum de schismate Donatistarum lib. 1. fol. 6. n. 49. *Peregrinus is vocatur apud antiquos, qui natus erat in alia Diœcesi; qui quamvis multos annos in una moratus esset Civitate, vel etiam quamvis ipsius Civitatis factus esset Episcopus, peregrinus adhuc censebatur, ut alibi probabimus. Cæterum non licebat presbyterum, aut Episcopum peregrinum ordinare, quò respiciens Optatus tacitè carpit Parmenianum, quod cum alibi natus esset, contra canonum mentem, Carthaginis constitutus esset Episcopus peregrinus.* Ubi notandum, nihil discriminis agnoscere Albaspineum inter Episcopatum, & alia beneficia; notandum etiam, visum fuisse Patribus, nimium insultare sacris canonibus, qui peregrinus ad beneficia auderet accedere; cum tertio quoque verbo Optatus Parmenianum hocce scommate proscindat, *quia peregrinus es*; & non solum in locis in principio hujus dissertationis allatis, sed etiam d. fol. 6. & lib. 3. n. 36. ubi ad ea verba, *quia peregrinus es* iterum advertit Albaspineus, *quia non es natus Carthagini, cui præes*. Quod autem dixerat Albaspineus lib. 1. nu. 49. repetit lib. 2. n. 60. firmatque magis ex epistola Epiphanii ad Ioannem Antiochenum; *Is olim censebatur peregrinus, qui non erat natus in illo loco, in quo ordinabatur; quamvis multos annos ibidem immoratus esset. Cæterum ex antiqua disciplina, peregrinus sine necessitate non debebat ordinari.* Ex quibus omnibus apparet, non dormitasse Scriptores nostros, cum ex eo quod prohibuerunt Arcadius, & Ho-

Honorius, ne posset quis ex alieno vico, aut possessione Clericus ordinari sua constitutione non dissentanea a Jure Canonico,& eo quod cum aliis Conciliis, tum etiam Carthaginensi habito anno 398. *Can.* 54. *C. Afric.* & sic annum ante quam promulgata fuisset ea lex ab Arcadio, & Honorio definitum fuerat; induxerunt, externos ad beneficia Ecclesiastica convolare non posse. Et esto Imperatores intenderint ea Constitutione capitationis onera peræquare, & sic rationibus Fisci sui prospicere; exinde tamen non fit, ut de aliis effectibus, qui ex ea consequebantur, non cogitaverint; inter quos alienigenarum exclusio: præsertim cum eam ad exemplum Juris Canonici, & Decretorum Conciliarium efformaverint.

Quod ut magis in plano ac aperto sit, repetendum memoria est, usque ad annum circa 500. moris non fuisse, ut aliquis ordinaretur, cui simul officium, & munus speciale, ac proprium non fuisset attributum, exceptis quibusdam hominibus doctrina, & sanctitate illustribus, ac præcellentibus; qui vel ex causa in antecedenti dissertatione expressa, vel ut sacris studiis liberius possent incumbere, peculiari cura onerari abnuebant, ac propterea instituebantur Presbyteri non assignata Paræcia, cui vacarent, ut de Divo Hieronymo, qui ordinatus fuit Presbyter. Antiochiæ, aliisque memoriæ proditum est, (quod nec etiam laudandum censent sanctioris disciplinæ amatores,) ita ut incognita esset antiquitati distinctio inter ordinem, & beneficium; idemque tunc esset ordinare, atque officium dare, jusque, ut posset quis ex Ecclesiæ reditibus ali, licet post annum quingentesimum Episcopi laxatis aliquantulum habenis, cœperint aliquem instituere absque officio, qui tamen adjutorem se præbere solebat sacras functiones exercentibus ad hoc, ut propter obitum, vel alia de causa vacante officio, in eo succederet. Atqui ea, de qua agimus constitutio condita fuit anno 398. Dum igitur Imperatores mandant, ut Clerici ordinentur ex eo ipso loco, vicove, ubi Ecclesia est, non ex alio vico, aut possessione; quid

aliud

aliud hoc fuit, quam impedire, & prohibere, ne unius vici, aut possessionis indigenæ, Ecclesiæ in alio existentis, beneficia possent assequi? Quinimmò magis ea lege prospectũ fuit origini, quam jure Canonico, quo dispositum fuit, ne Clerici alicujus civitatis, aut Diœcesis, possent ab alterius Episcopo ordinari, aut suscipi, quod ab Imperatoribus ad vicos extensum, ac porrectum fuit: nimirum, ut in Ecclesiis illius vici, vel possessionis non fieret institutio, nisi illorum, qui inibi nati fuerant. Parcendum itaque erat nostris Scriptoribus, qui ex dicta lege eliciunt, peregrinos non esse beneficiorum compotes, quibus nec etiam vitio adscribendum erat, quod ex ea eduxerint, eum, qui est ex loco, seu Diœcesi beneficii, debere si idoneus est, aliis extraneis præferri; *hic enim agitur*, inquit Gothofredus, *de vicanis Clericis ex eodem vico præcisè eligendis, non præferendis si idonei sint*: nam licet ea lege mandetur, ut non nisi vicani in Ecclesiis in eorum vicis, vel possessionibus constitutis, ordinari, proindeque officia, atque beneficia habere possint; non tamen eam inhibuisse credendum est, si in iis nulli adessent idonei, quin possent ex aliis vicis, aut possessionibus peti: & si ea excludit omnino peregrinos, civibus tantùm admissis; ex ipsa licet, secundùm vulgatum axioma, arguere ad id, quod minus est, ut nempe cives alienigenis sint præponendi.

Sed jure, an injuria vir clarissimus nostros lacessiverit, ex eo textu omnes eruunt, quod nos probandum suscepimus; & non modo ex turba Interpretum, sed etiam eruditiores homines, & majorum gentium Jure Consulti: nam præter eos, quos in illa lege connumerat Barbos. non aliter ea accipitur a Dionysio Gothofredo l. in Ecclesiis C. Just. de Episc. & Clericis, qui ait, in hanc sententiam adduci solere a Scriptoribus Gallis: *Extraneos, & peregrinos beneficiorum (eorum præsertim, quibus animarum cura connexa est) in Gallia non esse capaces. hinc Galli colligunt, v. constitut. Caroli VII. anno 1431. Simile est illud Innocentii III. in cap. Bona 4. §. intelleximus de postulat. Ideo, in-*

Zz *quit,*

quit, non poteramus, salva conscientia, de alia persona, quæ de Regno Hungariæ originem duceret, congrue providere; nec vellemus ei præferre alienum : *adde c. nullus invit.* 61. *distin. adde* 71. *distin. & cap. quoniam in plerisque de offi. ordinar. ibi* : *Catholicum præsulem nationibus illis conformem*, *& c. ultim. de Cleric. peregr. glos. in Proam. Pragm. in verb. exterorum Papon.* 3. *Notar.* 6. *cap. des lettres de naturalite* : Mornacius, qui hoc confirmat ex Capitulari Caroli Magni: Brunemman. qui post propositam legis speciem, inquit: *Collige originarios peregrinis esse præferendos*, fretus authoritate Mynsingerii, Rochi de Curte, Ceval. aliorumque: & quod eorum sententiam magnopere adjuvat, Petr. de Marc. de concord. Sacerdot., & Imper. lib. 4. cap. 9. n. 10. qui cum adduxisset Cœlestini decretum cap. nullus distinct. 61. subdit: *ejus sententiam retulerunt Reges in Capitularia, qui ex propria Diœcesi secundum statuta Canonum, Episcopum eligendum esse docent, quod ab Imperatoribus quoque Romanis olim constitutum fuerat de quibuscumque Clericis, ad capitationis onera peræquanda*: Auctores notarum in Divi Gregorii Magni *epist.* 19. *lib.* 2. Thomasinus *de benef. par.* 2. *lib.* 3. *cap.* 31. *n.* 3. Paulus Dumay *ad d. epist.* 18. Innocent. III. *lib.* 13. *regest.*

Ut autem hoc obiter tangamus, nunquam in mentem venit doctissimo viro Paschasio Quesnell, quod ei Adversarii affingunt, licuisse Constantinopolitanę Sedi, & Carthaginensi, aliisque majoribus, ex quacumque Ecclesia prout liberet, Episcopum sumere; in notis ad epist. Leon. 12. n. 14. & 17. quæ mera fuisset hallucinatio, illius eruditione indigna. Nam quod ad Alexandrinam attinet, in contrarium nos vocant Julius primus, Athanasius, Divus Leo magnus in ep. ad Gennadium. Carthaginensis communem cum aliis sortem fuisse, perspicuum est ex Optato Milevitano. Nec diverso jure usam fuisse Romanam Ecclesiam, convincitur ex his, quæ acta sunt in causa Formosi, ex epist. Stephani 6. ex decretis Jo: 9. in Romana Synodo, & Nicolai secundi in Concilio Romæ coacto anno 1059. Demum, eo quod comminiscuntur privilegio, non gavisam fuisse Const. Ecclesiam, do-

cent

cent epist. Nicolai Primi, & Jo:octavi: Concilium octavum generale: Photii depositio. Injuriam faciunt eidem Quesnellio, dum ipsi hunc errorem attribuunt, absolutè licuisse Patriarchis Constantinopolitano, & Carthaginensi, aliisque, ex quacunque Ecclesia Clericos præripere, ex Concil. Carthag. cap.55. Cod. Can. Eccl. Afr. Theodor. Balsam. ad can. 17. Concil. 6. & ad Photii nomocan. c. 26. Etenim, præterquamquod Balsamo ait, Cpnum tunc tantum hanc potestatem usurpasse, cum penuriâ Clericorum Ecclesia laboraret, adeout ab Imperatoribus præfinitus numerus deficeret: *quod quidem* (ait) *Constantinopoli locum non habet propter multitudinē Cleri ipsius, & quod nulla sit omnino eorum penuria*, d. c.26. & ad can.16. Apostol. fortasse id literis consignavit Balsamo in gratiam Photii, ab eo excitati schismatis fautor, atque adjutor; cuius fidem suspectam reddit, quod alibi scribit: *Nota autem quod etiam Imperatori concessum est facere Clericorum translationes*; & Synodus habita sub Michaele Anchialo, & quod de ipsa idem Balsamo parum sibi conveniens, scriptum reliquit. Teste eodem Balsamone, Cpnus Episcopus ea licentia abutendi, ansam arripuit ex Novel. Justinian.3. cap.2. Sed tamen Imperator graviter excipit Clericos, qui ambitione correpti potentiorum gratiam captantes, ex Ecclesiis, quibus dicati erant, licet ejusdem diœcesis, in majorem Ecclesiam laborabant: *διά τινος προστασίας ἐμβαίνειν, per patrocinium quodlibet accedere.* Quod omnino in posterum fieri prohibet, adiiciens, quod non licebat monachis, nempe ab uno monasterio ad aliud transmigrare; multo minus permittendum Clericis: & huiusmodi transmigrationem *κέρδους τι, καὶ ἐμπορείας ἀπόδειξιν ἔχειν, lucri, & negotiationis speciem habere*: licet si id necessitas expromeret vel a Patriarcha, vel ab Imperio, non aliter cōcedat in fin. d. c. nisi ob complendum a se præstitutum numerum. Vtcunque hæc se habeant, cum in d.c.55. fateatur Aurelius, nunquam eam sibi asciviſſe auctoritatem, Clericum ab una Ecclesia in aliā transscribendi, nisi postulante plebe, & Clero alterius Ecclesiæ, & convento

Episcopo prius, cui ex ordinatione devinciebatur, cum dissolvi vinculum extorquebat utilitas, ac necessitas, aut imperium legis summæ, hoc est Charitatis Episcopalis, & universalis, quæ omnibus Ecclesiarum necessitatibus infatigatá providentiá consulit, ut loquamur cum Thomasin. par.2.lib.1.cap.1.n.4. qui est de hac re videndus: ex hoc ipso fit manifestum, quantum aberraverint Adversarii a Quesnellii sententia, cui accinit Gothofred. d.l. in Ecclesiis.

Sanè quæstio a prædictis Auctoribus proposita, nil cum nostra specie commune habet, immò ab ea quam longissimè distat: quod enim apud eos disceptatur, est, an posita postulatione alieni Clerici, consensu Cleri, & plebis, cujus expressam mentionem fecit Aurelius in Carthaginensi Concilio: posita evidenti necessitate Ecclesię, a qua fiebat postulatio, potuerit Primas Africę, aliique maiorum Sedium Primates, seu Patriarchæ Clericos transferre; & hoc quidem sibi adrogabat Aurelius, adrogabat Patriarcha Cōstantinopolitanus, sed uterque, sis, quas diximus conditionibus concurrentibus. Eam potestatem non sibi vendicasse Aurelium, nisi cum urgeret necessitas, perspicuum est ex verbis Concilii Carthaginensis 3.c.45.& Africani c.22.ibi: *ut postulentur ab Ecclesiis, quæ præpositis egent, vel Episcopis, vel Presbyteris*; & postea. *Ego enim cunctarum dignatione Dei, ut scitis Ecclesiarum sollicitudinem sustineo*; & ex responsione Epigonii: *necesse habes tu omnes Ecclesias suffulcire*; & infra: *quapropter si necessarium Episcopatui quis habuerit*; rursus: *debet mihi alia plebs subvenire*; & iterum: *sane quando tu Ecclesiæ subveneris.*

Ut autem una Ecclesia alterius auxilio indigeret, sæpè in Africa eveniebat, in qua Ecclesiæ Clericorum maximam patiebantur inopiam; adeout hac de causa passim Neophyti, aliique Sacerdotio indigni, promoverentur, quod reprehendit Innocentius I. in epist. 12. data ad ipsum Aurelium, de quo agimus, cujus memor fuit Baronius anno 416. asserens ob magnum Clericorū defectum, immeritos plerunq; fuisse ordinatos in iis Ec-

cle-

clesiis. His ministris omninò fuisse destitutas, intelligere est ex Conc.Hipponensi, ibi: *Tantum autem inopiæ Clericorum patiuntur Ecclesiæ, ut quædam loca omnino deserta sint*: & ex Concilio universali Africæ anni 401. in quo pro bono pacis, & ob paucitatem Clericorum, potestas facta est omnibus Episcopis Catholicis, Donatistarum Clericos suscipiendi cum ordinibus suis, contra veterem Ecclesiæ Africanæ disciplinam.

Sed expressim, non potuisse eam potestatem exerceri, nisi cogente necessitate, planum est ex Hincmaro de prædest. c. 36. p. 319. cujus verba supra adscripsimus: *concessa specialiter Carthaginensi Ecclesiæ nota necessitate licentia*.

Prodat in medium eximius Thomassinus, quo nemo melius rem omnem exequitur, de Ben. par. 2. lib. 3. cap. 35, n. 8. *Bona fide fateri cogimur venia Cælestini Papæ, tam inopem quandoque fuisse unius Civitatis Clerum, & numero, & merito usque adeò destitutum, ut alterius Ecclesiæ opem implorare, & ab ea Episcopum sibi mendicare necesse haberet. Non semel dictum est supra de singulari potestate Carthaginensis Archiepiscopi, qua egentibus Ecclesiis ex aliis opulentioribus Episcopos largiebatur, a se prius ordinatos, & suarum Ecclesiarum Clero suavissima quadam vi abreptos. Quin & assentiebantur Africani Episcopi, Archiepiscopo Carthaginensi, ut vel ei Ecclesiæ, quæ unum modo, eumque præstantissimum haberet Presbyterum, hunc auferret, & in alterius civitatis transferret Episcopatum; ea scilicet beneficii vicissitudine, ut optimum aliis Ecclesiis surriperet Presbyterum aliquem, quem ei restitueret; quæ suum amisisset. Nihil est in hac charitatis vicissitudine, quod suspicari quis possit Canonibus adversum, quorum finis, & scopus charitas est.*

Cum igitur in Clero Ecclesiæ nullus aderat, vel Episcopatu, vel presbyteratu dignus, subsidium ab alia petebatur, cujus Episcopus, si precibus suam opem implorantis, se flecti non sineret, eo prius admonito, ne mutuæ charitatis confringeret fœdera; a Primate Ecclesiæ indigentiæ succurrebatur. Hac vero facultate non utebatur Carthaginensis Episcopus, nisi præcedente postula-

tione

tione Cleri, & plebis, ut ex d. cap. 55. *Contingit plerumque, ut postulentur ab Ecclesiis*: & mox, *quod ejus Clericus a qualibet Ecclesia postuletur*: item ibi; *pro desiderio cujusque Ecclesiæ*, & inferius, *ut præpositos plebibus, vel Ecclesiis constituas, qui postulati fuerunt*. Utrumque paucis complexus est Hallier *de sacris ordinat. sect. 5. art. 9. §. 2. n. 8. Tertiò spectare concessionem istam, maximè Episcoporum, vel saltem præpositorum ordinationem, quos ab aliis Ecclesiis postulatos Episcopi Carthaginensis eorum Ecclesiarum bono consulentis, jus est a propria Ecclesia ad illas transferre*.

Nec aliud sentiendum est de Constantinopolitano Patriarcha, tum quia, ut diximus Balsamo *in nomocan. tit. 1. cap. 26. in fin.* & ad *d. can. 16. Apost.* qui ei hanc astruit prærogativam, non alias ei fuisse facultatem transcribendi Clericos in suam Ecclesiam affirmat, quam si ea Clericorum premeretur angustia; quod evenire non poterat Constantinopoli propter populi frequentiam, & Cleri numerositatem; tum etiam quia, ut ait idem Balsamo *loc. cit. & cap. 10. septimæ Synodi*, jus transferendi Clericos, sibi competere existimabat Patriarcha Cpnus, *ex nov. 3. Iustiniani cap. 2. & nov. 16. cap. 1.* quibus, si detur illud fuisse permissum, eo tantum casu concedebatur, cum supplendus esset numerus Clericorum majoris Ecclesiæ ab Imperatore statutus.

Ecclesiam Cpnam eam sibi auctoritatem tribuisse, quod Romanæ privilegia ex Synodo Chalcedonensi, & Trullana, & Imperatoriis legibus in Ecclesias subiectas sibi assumeret, tradit Hallier. *d. art. 9. §. 5.* Utinam vero eam moderationem in hac re adhibuisset, quam adhibebat Ecclesia Romana, præsertim prioribus illis seculis, nec tam effrænatè humanis cupiditatibus indulsisset. *Sed moderatior* (ait idem Hallier. loc. cit.) *in iis priscis temporibus Romana fuit Ecclesia, cui quamvis suprà leges positæ, Ecclesiasticarum tamen legum maxima cura erat. Ideoque vidimus supra, S. Gregorium non dicam Clericum in aliam Diœcesim sine Episcopi sui consensu noluisse transferre, sed nec suo nomine ipsum ab Episcopo peti, aut eidem Episcopo significari, sibi*

gratam

gratam futuram, ipsius Clerici translationem concessisse.

Et hinc etiam quivis potest perspicere, prorsus eos cæcutire, qui ita argumentantur: Clericus alienus non poterat absque consensu sui Diœcesani ordinari ab alio Episcopo, ac beneficium consequi, ergo ex voluntate sui Episcopi accedente ejus missione, & ordines suscipere, & ad beneficium admitti poterat. Nam, præterquamquod ejus, quem alius nexus ab electione removebat, ut erat extraneus Clericus, ac propterea non poterat nisi postulari, non temerè postulatio, nec nisi urgente necessitate audiebatur, præcedente decreto populi, & Cleri, quod in plena Synodo legebatur, in qua pensabatur necessitas, aut utilitas euidens, ob quam Clericus a prioris Ecclesiæ vinculo posset absolvi, ut scribunt Bosquetus *ad lib. 1. regest. Innoc. 3. epist. 13. & Florens ad tit. de translat. Episcopi*: Episcopi cessio, qui Clericum e sua potestate relaxabat, efficere poterat, ut unum ex impedimentis cessaret, quæ externis ad beneficia viam obstruebant; non autem alia removerentur, quæ nascebantur ex indigenarum prærogativa, ex eo quod, jus divinum, naturale, & ipsa ratio exigebant, ne exoticus civi, ne hospes præstaret propriæ Ecclesiæ filio; neve cum alius sementem fecisset, terramque fuisset operatus, alter fructum carperet; & ex aliis causis, & rationibus, quas late executi sumus. Horum autem, quæ obstabant, unum satis erat, ut dici non posset patefactum iter, quod omni aditu clausum erat, semperque futurum est alienigenis.

Concedimus quidem, poscente necessitate æquum fuisse, ut una Ecclesia alteri non deesset, eadem de causa potuisse uniusClericum, vinculo, quo illi obstringebatur, liber fieri, ut alteri opitularetur: quemadmodum si in Ecclesia, in qua Episcopus erat eligendus, nullus eo munere dignus foret, poterat ad illud aliquis extrarius evocari, quæ duo in idem resolvi, nemo non videt. Hæc potestas subveniendi unius Ecclesiæ egestati ex alterius divitiis, olim apud Synodos fuit, quarum erat cognitio, an adesset necessitas nec ne, salva semper su-

p prema

prema Summi Pontificis auctoritate. Num verò quod licebat Synodis, licuerit etiam Primatibus, aut Patriarchis, nihil ad rem nostram pertinet. Planè *Innoc. 3. cap. 1. & 2. de transl. Episcopi* contendit acerrimè, quod ad translationes Episcoporum non posse eas subsistere inconsulta Romana Sede, sicut ad ipsam omnes causæ majores sunt referendæ; cuius etiam a Patriarcha Antiocheno immi. nutam hac in re majestatem, severissimè vindicavit. Eandem impetunt qui Paschasio, & Gothofredo ad augenda Primatum, ac Patriarcharum jura nimis pronis, adhærescunt, nec tamen alienigenarum causam magis provehunt.

Solent etiam DD. in hanc rem advocare l. fin. C. de offic. Prætoris, l. unic. Cod. non licere habitatoribus Metrocomiæ lib. 11. ibi; *ut nulli extraneo illic quo quo modo possidendi licentia tribuatur*: sed rectè an perperam, illi viderint.

Rationes autem, ex quibus hujuscemodi prærogativa Indigenis competit, sunt innumeræ, quarum aliquas supra libavimus, & quas omnes persequi, longum esset. Vt enim linquam, facilius ad residendum eos induci, quod supra diximus; noto, & familiari Gregi preesse jucundius est, quam externo, & alieno, ut ait Gregor Nazianzen. in orat. quando assumptus est in concordia Patris, & Divus Thomas 2. 2. quæst. 63. art. 2. ad 4. ut jam vidimus, eam rationem reddit cur qui *de gremio Ecclesiæ assumitur*, soleat esse utilior *quantum ad bonum commune, quia magis diligit Ecclesiam, in qua est nutritus, &c.* quem sequitur Sot. de Iustit. lib. 3. q. 6. ar. 2. ad 4. ibi, *cui & alteram S. Thomas causam subnectit, quæ mihi est probatissima, videlicet, quod ut plurimum unusquisque propensiorem habet animum ad suam propriam Civitatem, & Ecclesiam, in qua nutritus est, qua utique ratione utilior esse poterit.* Quare Alexander Secundus patria Mediolanensis, qui prius Anselmus Lucensis Episcopus; cum ad Pontificale solium fuisset sublatus, statim *ad Mediolanenses conterraneos suos* in hanc sententiam perscripsit: *Divini judicij dispositione*

pro-

provisum est, ut Mediolanensis Ecclesiæ filius, & Ambrosianis uberibus sublactatus, ad famulatum Apostolicæ Sedis indignus ascenderem, ac matri omnium Ecclesiarum pastoralis curę sollicitudine deservirem. Unde cum totius universalis Ecclesię cura nobis non levis incumbat, propensiùs circa vos ipsa natura nos provocat esse pervigiles, ut unde nos constat originis duxisse primordium, ibi etiam majoris ad æternam salutem habeamus solicitudinis incrementum. Nam & ignis ea primum ligna conflagrat, ex quibus oritur: & fons ante omnia illas terræ venas infundit, ex quibus profluens derivatur. Et ad Clerum ejusdem Civitatis se convertens, ita eum alloquitur: *Vos autem dilectissimi, membra mea, viscera animæ meæ, sic satagite per viam mandati cœlestis incedere, ut mens nostra merito semper debeat de sancta consanguineorum suorum conversione gaudere.* Quin etiam per legatos suos leges eidem Clero præscripsit, quibus fundatam a Divo Ambrosio Ecclesiam, sed morum corruptione labescentem, ad pristinum nomen, avitumque nitorem revocaret: quæ se offerunt tomo 9. Conciliorum pag. 1120. Melius cives agnoscunt vultum pecoris sui, juxta illud proverbiorum cap. 17. & mores, ac consetudines Patriæ callent præclarè, quod maximo adjumento esse solet Pastoribus, ut munus suum rectè, ac diligenter implere possint, quemadmodum considerant Azor. d.p.2.lib.6.cap.4.q.25.vers. ad obiecta ibi; *genus tamen, & patria aliquando Ministrum Ecclesiæ utiliorem, & aptiorem efficiunt*, & Salcedo d.c.54.n.4.in fin. a quibus non abludit, quod scribunt Gomes. *de idiomate quæst.* 1. *colum.* 4. Azeved. *d. l.* 14. *num.* 16. & cum cuique satis natura insitus, ac ingenitus sit Patriæ amor, magis diligunt Christi gregem sibi commendatum, Azor. loc. cit. vers. & certè ibi: *quia indigenæ, & qui sunt ex loco, magis ipsi diligunt Christi gregem sibi commissum*, & eos populus: quippe quorum virtus sibi perspecta est, ac probata, magis colere, ac suspicere consuevit, ut dixit idem Azor. *d. q.* 25. *vers. & certè*, & post eum Barbos. *d. vot.* 33.

Non sine maxima ratione Cardin. *in cap. significasti de Iur. patron.* & ex eo Gregor. Tholosan. *syntagmat.*

Iuris par. 2. lib. 17. cap. 40. refert, Card. Ugonem antiquum Interpretrem dicere solitum, *Patronum debere præsentare Episcopo Clericum ejusdem Diœceseos, qui intelligat, & intelligatur*. Et quidem evidens necessitas est, ut Beneficiarii, præsertim ij, quorum Beneficiis animarum cura annexa est, regionis idioma peroptime teneant; qua de causa synodali Decreto Concilii Provinciæ Turonensis apud castrum Guntherii anno 1231. Can. 16. statutum fuit; *ne quis instituatur in aliqua Ecclesia, cui sit cura animarum annexa, nisi loci illius loquatur, & intelligat idioma. Si contra præsumptum fuerit, & institutus privetur beneficio, & instituentes potestate instituendi careant illa vice*. Eadem de causa cum Rex Romanorum summo studio desideraret, ut Episcopus Cameracensis, Ecclesiæ, Coloniensi præficeretur, ab incœpto destitit, postquam certiorem eum fecerunt Electores, ab illo idioma Terræ ignorari, ut refert Cæsarius. Et Guimundus singulari pietate, ac doctrina Vir, Angliæ Episcopatus constantissimè recusavit, quod morum, & linguæ inscius esset, neque ullis Vuillelmi Nothi Regis suasionibus, ac blanditiis flecti potuit, ut propositum mutaret: eam excusationem prætendens, *quorum extraneos mores, barbaramque locutionem nescio*, ut refert Ordericus Vitalis anno 1070. pag. 524. & ex eo Raynald. anno 1209. n. 6.

Vacante Sede Aldeburgensi, Bruno natione Saxo in Episcopum electus, periit, impetravitque a Principe regionis Saxonum coloniam acciri, ut plebem regeret, in cujus lingua, ritibusque hospes non esset: Helmold, *hist. Slavorum lib. 1. cap. 84.* & Vespesiano suasit Apollonius, ut qui præponerentur cuique provinciæ, non essent linguæ regionis rudes, ne omnia per interpretem agere cogerentur, sicuti narrat Philostr. de vita ipsius Apollon. *lib. 5. cap. 13.* Quod usque adeò necessarium visum fuit Athanasio in Episcopis, aliisque Sacerdotia gerentibus, ut inter maxima Constantii flagitia recensuerit in epistola ad Solitarios, amoto Dionysio, fuisse ab illo Ecclesiæ Mediolanensi superimpositum Auxentium Cappadocem

docem *ἄνθρωπον μηδὲ τὴν ῥωμαϊκὴν εἰδότα γλῶτταν hominem latina lingua ignarum*. Mitto decretum Innocentii *in d.cap.quoniam de offic.ordin.* paulò ante expensum, ex quo excludendos alienigenas a beneficiis, ultra laudatos supra, probant Dionys. Gothofred. *d.l. in Ecclesiis*, & Thomass. *par.2. lib.1. cap.103. n. 11.* Quam esset indignum exterum, præsertim linguæ imperitum, Episcopum fieri, experta est in Valerio Ecclesia Hipponensis; qui ex consensu Cleri, & plebis ei admotus, cum prædicandi provinciam sustinere non posset, compulsus fuit ordinare Augustinum, isque necesse fuit, ut statim Presbyteratu initiatus, concionandi ministerium aggrederetur, ne per longum tempus verbo Domini non pastus, grex periret: quod ne denuo accideret, Augustinus postea Episcopus, vivens adhuc, successorem sibi designavit Eradium sui Cleri Presbyterum. Et Sacrum Concilium Tridentinum, ut præcaveret, ne Ecclesiæ tot afficerentur incommodis, quot exterorum provectio, & linguæ imperitia secum affert, præcepit, ut *vis Sacramentorum, & usus, sacra eloquia, & salutis monita, vernaculo idiomate explanarentur*, sess. 24. de reform. cap.7.

Quibus accedit, nihil iniquius esse, aut injustius, quam exteros, a quibus nihil contributum est, vel in extruendis Ecclesiis, vel in Beneficiis erigendis, iis anteponi, quorum majores suum patrimonium exhauriendum duxerunt, ut Ecclesias suis sumptibus ędificatas, prædiis tam urbanis, quam rusticis donatis, ditarent, & divitiis cumularent, ut advertunt Azev. *l. 14. num. 12. tit. 3. lib. 1. recopilat.* Azor. *d. p. 2. lib. 6. cap. 4. quæst. 25. vers. deinde*, Barbos. *d. vot. 33. n. 12.* Quæ causa fuit, ut in Conventu Westmonasteriensi, Pontificii Legati duas præbendas reservari Romanæ Sedi in qualibet Cathedrali petentes, nihil profecerint, ut jam retulimus.

Hæc quidem ratio potentissima est, & hujusmodi, ut ab his, qui nobis contradicunt, evitari nequeat. Sed non minus alia solidior, quia beneficia ex eleemosynis constant, & patrimonia pauperum sunt, *d. Can. quia justa*

2.differ. Aaa 2 16.

16. *q.* 1. Nam tot, tantæque opes eo potissimum consilio, vel a Principibus, vel ab aliis Fidelibus in Ecclesias fuerunt collatæ, ut iis, qui suam operam, ac ministerium illis impertiebant, sed præcipue pauperes, nutrirentur. Si quis autem eorum mentem indagaverit, ac scrutatus fuerit, fateatur necesse est, eos suis donationibus, egentibus earum Urbium, in quibus lucem aspexerant, magis quam aliis, consulere voluisse. Scitum enim est; si quid aliquis relinquat ob erogandam pauperibus stipem, nec de quibus intellexerit appareat; censendum esse, de incolis loci, in quo domicilium habebat, sensisse; ut constat, ex novell. 131. cap. 11. §. si quis ibi: *Si autem specialiter dixerit, quomodo pauperibus hoc relinquit, præcipimus Sanctissimum Episcopum Civitatis, in qua testator habuit domicilium percipere easdem res*, καὶ τοῖς τῆς αὐτῆς πόλεως πένησι διανέμειν, *& ejus Civitatis pauperibus erogare*: & ex l. si quis ad declinandam Cod. de Episcopis, & Clericis §. ubi autem, quo cautum est, ut si pauperes a testatore scribantur hæredes, Civitatis Xenodochium, in qua larem habebat, hæreditatem nanciscatur; & si plures sint in ea Civitate Xenones, eam pauperior accipiat, ut cernitur ex iis verbis; *Ubi autem indistinctè pauperes inscripti sunt hæredes, ibi Xenonem ejus Civitatis omnimodo hæreditatem nancisci*. Quod & in Principum largitionibus locum obtinet, ut constat, *ex l. ultima Cod. de annonis Civilib. lib.* 11. in qua cum Marcianus annonis Urbis Constantinopolitanæ adjecisset modios 120. diurnos, nomine parapeteumatis, idest tesseræ nomine, quæ πετὸς a Græcis appellatur, & πίττωμα, & παραπίτευμα, ut exponit Cujac. in ea modiatione Cives cæteris præfert; *quam modiationem, inquit, jugiter, & in perpetuum Civibus nostris debere conferri, valitura in ævum hac lege sancimus*. Ubi Bart. notat, eam legem argumento esse, ut ii, quibus cura est eleemosynas publicas distribuere, illas dare non debeant extraneis pauperibus: quod etiam scripsit Io: Andr. *in tit. de Instrumentorum edit.* §. *si verò aliquem versic. sed an pauperes*, ut meritò DD. nostri hujus textus authoritate

con-

contendant, in beneficiis Ecclesiasticis Cives exteris esse anteferendos; quem pro hac re expendunt Barbos. *loc. cit.*& Addens ad Abb.*cap.4.de postulatione Prælatorum lit. I.*

Idque confirmatur, quia si quid testator jubeat fieri in rem piam, non adscripto loco; ejus animum fuisse existimandum est, ut fieret eo loco, in quo ejus erat domicilium, ut ex d. novell. 131. cap. 9. *Si quis in nomine magni Dei, & Salvatoris nostri Iesu Christi hæreditatem, aut legatum reliquerit,* κελεύομεν τὴν ἐκκλησίαν τοῦ τόπου ἐν ᾧ ὁ διαθέμενος τὴν οἴκησιν εἶχε λαβεῖν τὸ καταλελειμμένον, *jubemus Ecclesiam loci illius, in quo testator domicilium habuerit, accipere quod dimissum est.* Quod & item decernitur, si quis aliquem sanctorum hæredem fecerit, aut ei quidquam legaverit, ut non existente illius Basilica in Civitate, vel ejus territorio, τότε τῇ ἐκκλησίᾳ τῆς πόλεως ἐν ᾗ ὁ διαθέμενος τὴν οἴκησιν εἶχε τὸ καταλειφθὲν παρεχέσθω, *tunc* (Imperatoris verba sunt) *Ecclesiæ Civitatis, in qua testator domicilium habuerit, quod dimissum est, præbeatur*; quod sibi valde placere, ait Cujac. d. novell. 131. Cui convenit, quod ex Labeone retulit, & probavit Iabolen. l. quæ conditio §. cum ita ff. de conditionibus, & demonstrationibus; *Cum ita in testamento scriptum erat, ut aliquid in foro fiat, neque adscriptum erat, in quo foro, Labeo ait, si non appareat, quid mortuus senserit, in ejus municipij foro faciendum, in quo is, qui testamentum fecit, domicilium habuerit, quam sententiam ego quoque probo.*

Quæ jura, cum maximopere conducant ob investigandam mentem eorum, qui beneficia instituerunt, ut nimirum civibus pauperibus magis subsidio esse cupiverint, quam alienis, jure qui notas in Abb. commentarios conscripsit, cum ille cap. 3. de postulat. Prælatorum num. 16. dixisset. *Nota 13. quod ubi in loco reperiuntur idonei, non debet præfici extraneus. Est enim quis honorandus, & promovendus in eo loco, ubi suam peregit ætatem, neque debet alius obripere stipendia alijs debita, licet hodie malè servetur. Et vide in hoc Canonem antiquum pulcherrimum, in cap. nullus invitis Episcopus detur 61. dist.* id communire curavit, &

legi-

legibus, & Auctorum locis, quibus probatur, si eleemosyna dispensanda sit, subveniendum potius esse pauperibus Civitatis, vel municipii, quam extraneis, adducens eundem Abb: in cap: licet de feriis: *& vide ait dominum meum in cap. licet de ferijs, ubi distributio eleemosynæ est facienda pauperibus vicinis, non alienis.*

Inter causas, quæ justissimas reddunt Hispanas leges, alienigenis a beneficiis abigentes, hanc eminere putavit rectissimè Azeved. d. lib. 1. tit. 3. novæ recop. l. 14. n. 22. & 23. *Quarta nunc conclusionis nostræ justificatio, & ratio datur, scilicet, quia res, & bona Ecclesiæ, pauperum appellantur, ut in cap. 2. de rebus Ecclesiæ, verbo ipsorum, in cap. fin. in princ. & maximè in fin. 16. quæst. 1. Si ergo beneficia potius pauperibus, quam divitibus sunt conferenda juxta prædicta, & juxta text. singularem in cap. ad aures de rescript. licet malè observetur; consequens est, quod Regnicolæ in assecutione beneficij exteris sunt præferendi, quia in eleemosynæ distributione hoc observatur, ut pauperes originarij, & regnicolæ alienigenis, & exteris præferantur, ut dicit Bart. per text. ibi in l. 2. Cod. de annon. civilibus lib. 10. Ioan. Andr. in additio. ad Spec. tit. de Instrum. edit. §. si verò aliqua vers. sed an pauperes, Platea in l. 1. Cod. de mendican. vali. lib. 11. Barbat. cons. 23. col. 7. lib. 1. Card. in Clem. 1. §. ideoq. de reliq. & ven. Sanctorum, & Abb. ubi latius ejus additio loquens in nostro proposito in d. cap. bonæ 2. n. 17. concludens, non esse utile, ut exteri percipiant stipendia regnicolis debita; esset enim quasi sumere panem filiorum, & mittere canibus.* Confer Menoch. lib. 4. præs. 125. n. 5. qui affert Tiraquell. Didac. Cost. Solorzan. de jur. Indiar. lib. 3. cap. 19. n. 28.

Quod adeo justum existimavit Concilium Turonense secundum, ut can. 5. sanxerit, ab unaquaque civitate, ejusque civibus, Parochis, suos pauperes incolas alendos; *Vt unaquæque Civitas pauperes, & egenos incolas alimentis congruentibus pascat secundum vires; ut tam vicani presbyteri, quam cives omnes, suum pauperem pascant, quo fiet, ut ipsi pauperes per Civitates alias non vagentur.* Et sub Imperio Caroli Magni, quisque pauperem de sua familia exhibe-

hibere debebat, & in eam rem inquirebat Episcopus, cum suam Diœcesim inviseret, ac peragraret. Unde in formula, quam ad nos transmisit Regino lib.2. de Eccle. siast. disc. c. 1. una ex percunctationibus, qua rogabantur testes Synodales, est; *Si unusquisque pauperem de sua familia pascat.*

Providenter scienterque curandum esse, ut in domo Domini nihil sit inordinatum, nihil præposterum, inquit Leo *in decr. cap.* 49. quod ex ipso mutuatus fuit Hincmar. *in ejus epistol. inter formul. promot. Episc. Sirmon. form.* 1. Lex æterna est ordo charitatis, qui poscit, ut prius benemereamur de conjunctis, ac necessariis; secundo loco de civibus, cum quibus commune natale solum, communem patriam sortiti fuimus: tertio de iis, qui sunt ejusdem nationis, ac linguæ. Hunc ordinem ita describit Cicer. & quidem elegantissimè lib. 1. de offic. *Optimè autem societas hominum, conjunctioque servabitur, si ut quisque erit conjunctissimus, ita in eum benignitatis plurimum conferetur. Gradus autem sunt plures societatis hominum; ut enim ab illa discedatur infinitate, propior est ejusdem gentis, nationis, linguæ, qua maxime homines conjunguntur, interius etiam est, esse ejusdem Civitatis. Sed si contentio quædam, & comparatio fiat, quibus plurimum tribuendum sit officij, principes sunt patria, & parentes, quorum beneficijs maxime obligati sumus: proximi liberi, totaque domus, quæ spectat in nos solos, neque alium ullum potest habere perfugium: Deinceps benè convenientes propinqui, quibuscum communis etiam plerumque fortuna est. Quamobrem necessaria præsidia vitæ debentur ijs maxime, quos ante dixi. Sed in omnibus officijs tribuendis videndum erit, quid cuique maxime necesse sit, & quid quisq; & nobiscum, vel sine nobis, aut possit consequi, aut non possit. Itaque non ijdem erunt necessitudinum gradus, qui & temporum, suntque officia, quæ alijs magis, quam alijs debeantur: ut vicinum citius adjuveris in frugibus colligendis, quam aut fratrem, aut familiarem. At si lis in iudicio sit, propinquum potius, & amicum, quam vicinum defenderis. Hæc igitur, & talia conspicienda sunt in omni officio.* Quod prius scriptum reliquerat

Ari-

Aristot. ad Nicomach. οὐ γὰρ ὁμοίως φροντίζειν συνήθων, καὶ ὀθνείων φροντίζειν, *neque enim par est, æqualem subiri curam pro externis, & pro amicis.*

Ordinem hunc charitatis non esse invertendum, ac involuendum, Sancti Patres exclamant; e quorum numero est Augustin. de doctrin. Christian. cap. 27. cir. fin. *Omnes autem homines æquè diligendi sunt; sed cum omnibus prodesse non possis, his potissimum consulendum est, qui pro locorum. & temporum, vel quarumlibet rerum opportunitatibus, constrictiùs tibi quasi quadam sorte junguntur. Sicut enim si tibi abundaret aliquid, quod dare oporteret ei, qui non haberet, nec duobus dari posset, si tibi occurrerent duo, quorum neuter alium, vel indigentia, vel erga te aliqua necessitudine superaret, nihil justius faceres, quam, ut sorte eligeres, cui dandum est, quod dari utrique non posit; sic in hominibus, quibus omnibus consulere nequeas, pro sorte habendum est, prout quisque tibi colligatiùs temporaliter adhærere potuerit*: qui a seipso non dissentit de ver. relig. cap. 47. cir. med. ibi; *Cum itaque omnibus, quos pariter diligit prodesse non posit, nisi conjunctioribus prodesse malit, injustus est*; & de Civit. Dei lib. 19. cap. 13. *Cujus hic ordo est: primum ut nulli noceat, deinde ut etiam prosit, cui poterit. Primitùs ergo inest suorum cura; ad eos quippe habet opportuniorem, facilioremque aditum consulendi, vel naturæ ordine, vel ipsius societatis humanæ. Vnde Apostolus dicit, quisquis autem suis, & maxime domesticis non providet, fidem denegat, & est infideli deterior.* Ejusdem ordinis nobis documentum dedisse Dominum nostrum, cum e Cruce pendens, matrem Ioanni commendavit, & Ioannem matri, ait idem Augustin. in Ioannem tract. 119. cap. 19. *Moralis igitur insinuatur locus: Facit igitur, quod faciendum admonet, & exemplo suo suos ministros instruxit Præceptor bonus, ut a filijs pijs impendatur cura parentibus: tanquam lignum illud, ubi erant fixa membra morientis, etiam Cathedra fuerit Magistri docentis. Ex hac sana doctrina didicerat Paulus Apostolus, quod docebat, quando dicebat; si quis autem suis, & maximè domesticis non providet, fidem negavit, & est infideli deterior. Quid autem tam cuique domesticum, quam parentes*

rentes filiis, aut parentibus filii? Hujus itaque saluberrimi præcepti, ipse Magister sanctorum de se ipso constituebat exemplum. In eundem sensum Ambros. lib. 1. de offic. cap. 39. *Est illa probanda liberalitas, ut proximos sanguinis tui non despicias, si egere cognoscas. Melius est enim, ut ipse subvenias tuis, quibus pudor est ab alijs sumptum deposcere*; & Bernard. sermone 50. in cantic. *Talem, inquam, da mihi hominem, & audacter illum sapientem pronuncio, cui nimirum quæque res revera sapiunt, prout sunt, & cui in veritate, atque securitate competit gloriari, ac dicere: quia ordinavi in me Charitatem.*

A quibus non abest Divus Thomas in 2. 2. qu. 31. art. 3. vers. secundum diversas, & in resp. ad primum ibi: *Intelligendum est enim, quod magis conjunctis, magis est, cæteris paribus, benefaciendum*; & in respons. ad 3. ibi: *In alijs autem est æstimatio habenda, & conjunctionis, & beneficij suscepti, quæ similiter non potest communi regula determinari.*

Quibus ita se habentibus, credendum est, eos, qui beneficia instituerunt, a quibus Ecclesiæ fuerunt extructæ, qui eas divitiis cumularunt, voluisse, ut harum emolumentis primo loco fruerentur cives, postmodum homines ejusdem nationis, ne ordinem charitatis subverterent, & a Patrum regulis discreparent: & æquitatem, honestatem, & gratitudinem requirere, ut Ecclesia eundem charitatis ordinem sequatur in distribuendis iis, quæ majores nostri certatim in eam congessere. glos. cap. si pater de testam. n. 6. verb. pauperes, ibi: *& de pauperibus loci proprij domicilij sensisse intelligitur, ubi fomentum vivens, consolationes, & servitia a multis recepit, C. de Episc. & Cler. si quis ad declinandum l. 20. tit. 6. par. 10. Anton. Gomes. l. 31. Tauri n. 4.*

Torquebatur maximè conscientiæ scrupulis Beatissimus Vir Thomas de Villanova, qui ob insignem in egenos pietatem, eleemosynarum dispensatoris nomen adeptus est; si aliquid ex bonorum suæ Ecclesiæ reditibus præterquam in alendos suæ Civitatis, ac Diœceseos pauperes, insumpsisset. In Complutensi Universitate, & adolescens literis imbutus fuerat, & provectior studiis

præerat. Ut erga eam, ſimul erga ordinem ſuum, ali: quod benevolentiæ, ac grati animi teſtimonium præberet, Collegium inſtituit eorum, qui Divi Auguſtini regulam profitentur. Et quamvis dubitandum non foret, quin hoc fuiſſet Deo acceptiſſimum, & certiſſimum ſit, licere religioſo viro in Epiſcopum aſſumpto, ſui ordinis memoriam habere, eumque etiam ſuæ Eccleſiæ proventibus aliquatenus demereri, nec niſi tenuem ſummam in piiſſimum opus contuliſſet, vix jactis novi cœnobii fundamentis, ut fidelium liberalitatem in illud provocaret, quorum largitionibus poſſet ei ſuprema manus imponi; attamen ob modicæ licet quantitatis extra ſuam diœceſim erogationem, quaſi hac ſuæ Parochiæ pauperes defraudaſſet, conſcientiæ aculeis miſerrimè excruciabatur, ut refert Michael Salon in ejus vita ſuo idiomate conſcripta, quam Italicè reddidit P. Franciſcus Soto: *Fù nondimeno sì grande la pena, che poi ne ricevette di haver ſpeſo coſa alcuna fuori della ſua dioceſi, parendoli di haverla tolta a poveri, a' quali ſi deve, che ritornando di là il P. P. Giovanni Rincon (il quale il P. Tomaſo menò ſeco per compagno quando venne a pigliare il poſſeſſo di queſto Arciveſcovado) diceva mirando le mura di quel Collegio. Oh Collegio, e quante lagrime coſti a quella benedetta Anima, che ſtà in Valenza.*

Ut hinc facile quivis perſpiciat, quantopere ſuſcepti negotii amor tranſverſos egerit aliquos, qui aſſerentes in Regno conſuetudinem vigere, ut alienigenæ a beneficiis non ablegentur; ex hoc inferunt, cenſendos eſſe teſtatores ejus voluntatis fuiſſe, quæ a deterrimo uſu non eſſet difformis: nam ut mittam, beneficia fere omnia, aut ſaltem magis opulenta, Regûm liberalitate, & piorum noſtræ nationis hominum inſtituta fuiſſe cum Canonum authoritas adhuc inviolata, & Patrum inſtituta intemerata manerent; teſtatorum diſpoſitiones ita interpretandæ ſunt, ut juri conſentiant Canonico, & Conciliis, & communi hominum voto, ac deſiderio: qui cum propenſiorem animum habeant erga ſuos Cives, quam

erga

ergà extraneos, credendum eſt, voluiſſe potius ſuis civibus opem ferre, quam aliis, & expetiiſſe, ut ſi quid in re beneficiaria contra Canones admitteretur, quod in ſuorum popularium damnum, ac diſpendium vergeret, corrigi deberet.

Nec eſt, quod nobis objectent, & cum Apoſtoli in humanis agerent, & poſt eorum obitum, ſi aliqua ex Eccleſiis redditibus abundaret, aliis ſuccurrere conſueviſſe; quod & Divi Pauli, & Attici Epiſcopi Conſtantinopolitani, & Eccleſiæ Romanæ exemplis comprobant. Nam Divus Paulus poſtquam ab Apoſtolis Petro, Joanne, & Iacobo, ut conſors, & comes in Evangelio agnitus fuit, cum id ejus curæ, ac ſolicitudini commendaſſent, ut pro Eccleſia Hieroſolymitana, quæ hoc auxilio indigebat, quas poſſet eleemoſynas corrogaret; id ſedulò exequutus eſt: quippe qui eas collegerit in Regionibus Acajæ, Galatiæ, & Corinthi, non autem de facultatibus unius Eccleſiæ, alteri *ſuppetias* tulit; ut de ſe ipſo teſtatur in pluribus epiſtolis: quod nihil ad rem. Atticus autem Cpnus Epiſcopus, licet Eccleſiæ Niceæ in Bithinia, ob ingentem pauperum numerum, qui in eam undique confluebant, adeout una die decem millium numerum compleverint, præſtò fuerit; id tamen certum eſt, eatenus feciſſe, quatenus propriæ Eccleſiæ facultates ejus neceſſitates exſuperabant. Quod idem de Eccleſia Romana dicendum eſt, cujus reditus circa ann. 150. adeo excreverant, ut non modo ob ſuſtentandos Clericos, & pauperes illius Civitatis ſufficerent, ſed etiam aliis Eccleſiis tam vicinis, quàm remotis non parũ levamenti afferri, & alimenta Chriſtianis, vel carcere conſtrictis, vel in metallum damnatis, ſuppeditari poſſent. Quod vel ex facto Marcionis liquet, quem anno 170. quinque mille talenta Eccleſiæ Romanæ obtuliſſe traditum eſt, quæ ei reſtituta fuere; immò ille fuit a communione excluſus, quod quibuſdam opinionibus a Catholica Fide deſciſcentibus ſe inquinaſſet, ne bonis hæreſi polluti hominis, ſanctus ille fidelium cœtus

contaminaretur. Sed in dispensatione fructuum, ac redituum obvenientium ex bonis Ecclesiæ in aliqua Civitate constitutæ, qui ibi essent egentes, extraneis fuisse postpositos, omnino inauditum est. Equidem Paulus, cujus testimonio contra nos abutuntur, Corynthios excitans ad beneficentiam erga Hierosolymitanos, inquit; *non ut aliis fit laxamentum, vobis res angustæ, sed ut æquabiliter vestra copia succurrat illorum inopiæ*, idest (Livii verba in re non absimili huc transferemus) *ut ex eo, quod affluit opibus vestris, sustineatis necessitates aliorum.* Ad quem locum Pauli Chrysostomus ὁ Θεὸς τὸ κατὰ δύναμιν ἀπαιτεῖ, καὶ καθ᾽ ὃ ἔχει τις, οὐ καθ᾽ ὃ οὐκ ἔχει, *Deus pro facultate poscit quatenus habet quis, non quatenus non habet.* Quod ut rectè percipiatur, juvat adtexere, quæ sequuntur: ἐπαινεῖ μὲν τὸ ὑπὲρ δύναμιν, οὐκ ἀναγκάζει δὲ τούτους ποιῆσαι αὐτό, *Laudat quidem quod facultates exsuperat* (nempe in Thessalonicensibus) *sed hos* (Achæos scilicet) *non cogit idem facere.* Quadrat huc, quod ait Cassiodorus lib. 1. var. epist. 34. *Alienis siquidem partibus debet impendi, quod superest, & tunc de exteris cogitandum, cum se ratio propriæ necessitatis expleverit.* Seneca de benef. 2. *dabo egenti, sed ut ipse non egeam*, Xenophontis Cyrus ἃ ἂν ἴδω περιττὰ ὄντα τῶν ἐμοὶ χρημάτων, τούτοις τὰς ἐνδείας τῶν φίλων ἐξαρκοῦμαι.

Has, quas deduximus rationes, aliasque, hoc pacto Gregor. Tholosan. lib. 4. de Repub. cap. 6. n. 10. in breve conjicit: *Rationes plures adferri possunt, tum quod extranei non possint convenire cum moribus eorum, quibus præponerentur, nec facilè sæpe idioma intelligere subditorum, aut ab illis intelligi, & quod æquum non sit, ut extranei, qui nihil contribuerunt fundationibus, & erectionibus beneficiorum, præponantur Incolis, & Regnicolis. Subinde quod verendum est, ne alienigenæ reditus transferant extra Regnum, sæpè ad subsidium eorum, qui Regno bella moliuntur. Sunt & extranei suspecti in Republica, ne proditione aliqua, patriæ, quæ eos excepit, insidientur: nec etiam omninò fidit populus extraneis.*

Quemadmodum autem tot rationes suadent, ut alienigenæ excludantur a dignitatibus, & aliis benefi-

ciis

ciis ecclesiasticis; ita hoc neglecto, evenit, ut ea conferantur his, quorum fides Regi suspecta sit, non residentibus, qui vultum concrediti gregis minimè agnoscant, linguæ regionis sint imperiti, & animarum cura omissa, velut villici, temporale lucrum dumtaxat sectentur, aliaque accidant, quæ enumerat Eduardus III. Anglorum Rex in ejus eleganti epistola ad Clementem VI. Pontificem apud Thomam Walsingamum in vita ipsius Eduardi, in qua, ut ait Alteser. *cap. 4. & 5. de postulat. Prælatorum*, adversus *provisiones Pontificias*, quæ fierent in gratiam Cardinalium de beneficiis in Anglia vacantibus, vehementer expostulat: *Sed quod dolendum est, ipsius vineæ propagines degenerarunt in labruscas, & exterminant eam apri de sylva, singularesque feræ depascunt eam, dum per impositiones, & provisiones Sedis Apostolicæ, quæ solito graviùs invalescunt, ipsius peculium contra piam voluntatem, & ordinationem donatorum, manus occupant indignorum, & præsertim exterorum, & ejus dignitates, & beneficia conferuntur pinguia personis alienigenis, plerumque nobis suspectis, qui non resident in dictis beneficijs, & vultus commissorum eis pecorum non agnoscunt, linguam non intelligunt, sed animarum cura neglecta, velut mercenarij solummodo temporalia lucra quærunt: & sic diminuitur Christi cultus, animarum cura negligitur, subtrahitur hospitalitas, Ecclesiarum jura depereunt, ruunt ædificia Clericorum, attenuatur devotio Populi, Clerici dicti Regni viri magnæ literaturæ, & conversationis honestæ, qui curam, & regimen possent sibi salubriter peragere, & forent pro vestris, & publicis consilijs opportuni, studiū deserunt propter promotionis congruæ spem ablatā.* Cujusmodi verba paucis immutatis, etiam leguntur in pragm. sanction. in princ. quę licet, quod spectat ad alia pleraque, jure merito fuerit abolita, tamen quantum ad rejiciendos alienigenas a beneficiis, pactis conventis inter Leonem X. & Franciscum I. fuit approbata. Eadem penè habentur in Anglorum epistola ad Innocentium Quartum, quæ recitata fuit in Concilio Lugdunensi primo, & extat tom. 11. Concil. par. 1. fol. 664. ubi ita sermonem habent de exteris Bene-

ficia-

ficiariis: *Unde verè dicere possunt, quod non sunt boni Pastores, quoniam oves suas non cognoscunt, nec pastorum notitiam oves habent, hospitalitati, eleemosynarumque largitioni, sicut statutum est in Ecclesia, non insistunt, sed fructus tantùm percipiunt extra regnum asportantes, regnum non mediocriter depauperando; quibus reditibus fratres, nepotes, consanguinei nostri, & cæteri benemeriti de Regno Angliæ prædicto, beneficiari tenerentur, qui possent, & vellent dicta charitatis opera, & etiam plura alia misericorditer, & piè exercere, & Ecclesiis ipsis personaliter deservire, ut qui altari deserviunt, vivant etiam de altari, secundùm dictum Pauli. Ipsi verò nunc necessitate compulsi, laici, & exules facti sunt.*

Causas quare a se, & a decessoribus suis fuerint exteri a beneficiis summoti, exprimit Rex Galliæ Carolus Septimus in sua constitutione; quas tangunt Philippus Prob. *de jur. Regal. q. 35. n. 2.* & Marc. *lib. 5. cap. 9. num. 2.* quod nimirum via exteris reserata, ut ad beneficia possent promoveri, hinc fiebat, ut ea conferrentur non solùm ignotis, sed etiam hostium Gallici nominis studiosis, Regis arcana hostibus panderentur sæpissimè, divinum ministerium infrequens esset, pecuniarum transvectiones, & multa alia incommoda sequebantur; & præcipuè Gallorum offensio, qui præmia virtutis, & scientia ab exteris occupari æquo animo ferre non poterant, & Acamediarum solitudo: omnibus ea studia parvipendentibus, a quibus nullum fructum capere possent; cum tamen antea, Galliarum provinciæ fuissent velut quoddam insignium virorum Seminarium.

Eadem, & graviora mala iis, quæ in epistola Eduardi III. Anglorum Regis recensentur, ex Sacerdotiorum in peregrinos collatione in Ecclesiam redundare, testantur etiam Hispani Reges in d. lege 18. lib. 1. ordinament. apud Perez tit. 3. & l. 19. in qua cum ea enarrasset Henricus III. se adactum fuisse profitetur, ut eam legem ferret: *por guardar los establimientos de los Santos Padres antiquos, y por remediar, e esquivar las dichas inconveniencias, e males, y daños, e otras que a mi, e mis Reynos, e Yglesias*

Yglesias dellos, y a mis naturales se han seguido, e siguen, e podrian seguir adelante, como dicho es.

Quamobrem Covar. pract. quæst. cap. 35. n. 5. egregiè affirmat, jus illud, quod Castellanus Principatus, & Respublica obtinet, non tantùm inniti concessione Romanorum Pontificum, præscriptione, & usu immemoriali, ut constat ex d. l. 18. & seqq. lib. 1. ordinam. tit. 3. & multis aliis pragm. a Carolo V. editis, *sed maxima, & evidenti regiminis spiritualis, & Ecclesiastici utilitate, ita quidem ut ex contrario usu, & praxi plures contingant Ecclesiarum ministerio calamitates*; additque: *Quarum si certam habuerit Summus Christi Vicarius cognitionem, dubio procul pra illius suprema dignitatis, quam summus totius Ecclesia Pastor, & Rector obtinet, integritate, justitia, & divini cultus zelo, tantis, & tot malis medelam adhibebit.*

Hoc avebat animo Covarr. hoc in votis habebat. Eadem, & nostra vota sunt, quæ, spe non destituimur, irrita non futura sub tanto Pontifice, qui Sanctissimos Patres, quos tantùm miratur antiquitas, longè post se reliquit; adeout jure prædicare possimus, virtutem in illis vires suas expertam fuisse, quas in efformando uno CLEMENTE XI. impenderet, ac consumeret omnes, per eos, uti per gradus ad hoc fublimissimum culmen perventura.

Ex his, quæ hactenus disseruimus, cum eam prærogativam, quam justissimè sibi vindicant indigenæ in conflictu cum externis, conspiciatur nō solùm ex jure divino, ex Apostolorum traditione, ex Conciliis, ex Sacris Canonibus, ex tot validissimis rationibus, sed etiam ex juris naturalis principiis provenire, meritò & pro jure quodā gentium haberi debet, non modò, quia ut Anton. Faber *in jurispr. Papin. tit. de jure natur. princ.* 4. differit, ex ratione naturali semper æstimandum est jus gentium; sed etiam, quia ubique fere gentium servatur, Connan. *lib. 1. commentar. cap. 5. n. 8. Hodie si quid novi excogitatum fuerit, quo agnito, & sponte sua, & libenter omnes utantur, diceretur esse juris gentium: cum ratio naturalis id apud cunctas*

nationes.

nationes constituerit. Hoc modo ratiocinatur Salgadus, qui etiam ex Antonio Fabro id extendit, tametsi quod ratione naturali primùm comparatum est, non ab omnibus populis sit receptum.

Peregrinos ubique ferè locorum a Sacerdotiis repelli satis constat. Hoc jure uti Hispanos ex tempore, cujus vetustas hominum memoriam excedit, manifestius est, quam ut comprobatione egeat. Liquet hoc apertissimè ex legibus *ordinam. novæ recopil.* ex pragmaticis sanctionibus Caroli V. & Philippi II. & Auctoribus tam illius gentis, quàm exteris, qui id monumentis suis mandarunt. Quod præfractè servari in Aragonia, palam est ex *lib. for. Arag. tit. de prælatur. & aliis benef. ab alienigenis non possidendis*, & testantur Callist. Ramirez *de leg. Reg.* §. 26. *n.* 64. Perez *lib.* 1. *ordinament. tit.* 3. *l.* 18. *verb. que ningun estrangero*: In Regno Navarræ idem Perez loc. cit. ad quod ait porrectum fuisse in Curiis Segoviæ anni 1532. petit. 24. In Regno Valentiæ Crespi de Valdaura *par.* 1. *obser.* 6. Sese *dec.* 167. Morlanius, Raymundus Mora: in provincia Cathalauniæ, Cancer. Portoles, aliique.

Etsi autem vulgò jactitent, Hispanos, aliosque populos permultos, privilegiis Summorum Pontificum suffultos esse, attamen ut hoc demus; privilegium si quod eis indultum fuit, non accipi debet tanquam concessio ex mera eorum gratia, & liberalitate profecta, sed tanquam ultro bonam fidem agnoscentium confessio: & fatendum est, Sanctissimos Patres declarasse id, quod juris erat, & ita sanxisse, ne Apostolicis traditionibus, & sacris Canonum, & Conciliorum regulis contrairent, utque beneficiorum collatio ad illarum normam exigeretur. Et quidem quod ad Hispanos attinet, nos non latet, quod Bodinus *de republ. lib.* 1. *cap.* 6. *n.* 6. scribit, Sixti IV. rescripto impetrasse, ne peregrinis Sacerdotia tribuerentur: quod & Gonzalez admittit *cap. fin. de Cleric. peregrin.* Sed eos hac in re falli, nemo inficias iverit, qui in memoriam revocaverit Hispanos Reges

quem-

quemadmodum ex immemoriali consuetudine, Ecclesiis Cathedralibus Rectore, aut Pastore destitutis, jus nominandi successores sibi quæsiverunt, quod adprobatum fuit Concilio Tolet. 12. *can.* 6 & relatum extat *can. cum longe 63. dist.* quod etiam acerrimè defendunt Cabot. *var. disp. lib. 1. cap. 5.* Vasquius *illust. contr. lib. 1. cap. 22. n. 16.* & omnium copiosissimè Gutt. *pract. quæst. lib. 3. q. 17. n. 72.* ejusdem cōsuetudinis clypeo, & munimine, quod attinet ad non recipiendos in beneficiis alienigenas, se tueri, ut meritò Bodino succenseat Schifordegh. in vindiciis pro Episcop. Silesiæ *quæst. 4.* qui adiicit, leges Hispaniæ sua auctoritate subnixas esse, non Pontificia largitione. Quod sanè vero verius est. Etenim Henricus IV. Castellæ Rex *in d. l. 19. ordinam.* nullius privilegii mentionem facit, sed allegat consuetudinem omnium Regnorum, in quibus orthodoxa fides viget, quam, cum ait, in omnibus Christiani orbis provinciis a Summis Pontificibus fuisse toleratam, laudatamque, tum maximè in illis regionibus, ob tot ab illarum Regibus exantlatos labores pro Christiani nominis hostibus ab iis ejiciendis.

Henricus verò tertius, ut jam innuimus, in sua lege lata anno 1396. cum præfatus fuisset, semper in suo Imperio inviolatè observatum fuisse, ut non nisi indigenæ ad beneficia admitterentur; enarrat, Clementem, qui dicebatur Septimus, precibus defuncti genitoris evictum, ab eo, quod novum, ac insolens erat in ejus Regnis, nempe a beneficiis exteris dandis, abstinuisse: in cujus locum cum Benedictus XIII. suffectus fuisset, licet ex his, quæ a suo Oratore acceperat, ipsum prædecessoris adhæsurum vestigiis, maximam spem animo concepisset, hac spe fuisse frustratum, omnibus penè Sacerdotiis, etiam iis, quæ adhuc non vacabant, in Cardinales Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & alienigenas, collatis; hinc factum esse, ut ad miseram suorum Regnorum, & Ecclesiarum in eis existentium conditionem respicere, & subditis ad ipsum refugientibus, & suam opem efflagitantibus, Regium præsidium impertire cogeretur. Hac

de causa Covarruvias *d. cap. 35.* jus Hispanorum Regum metitur ex consuetudine immemoriali, & præscriptione, quibus licet nectat Pontificiam concessionem, nihilominus se refert *ad d. l. 18. ordinam. & seqq.* Qualis autem concessio in hiis occurrat, ex his quæ diximus, patet.

Quocirca, etsi juribus Hispaniæ Regum procedente tempore Sixti privilegium accesserit: accessit velut cumuli loco ad confirmandum id, quod etiam eo secluso, ex Apostolica traditione, & canonica auctoritate ipsis competebat.

Idem de Galliæ Regnis est autumandum, in quibus beneficia ad solos indigenas pertinere; pervulgatum satis est; quod etsi a Rege Gallorum usurpari ex Pontificis privilegio affirmet obiter *Glossator pragm. sanctionis*: tamen eum refellit Marca *lib. 4. cap. 8. num. 9.* quia nullum privilegium sibi, ac decessoribus suis hanc ob rem concessum Carolus Septimus in sua Constitutione allegat; quin potius de Pontificum contradictione conqueritur, & de tali privilegio in aliis Constitutionibus Caroli Sexti, & cæterorum Regum, quæ in eo edicto memorantur, ne verbum quidem. Eundem errorem refutat Schifordegh. *loc. cit.* Quapropter Thomasin. *part. 2. lib. 1. cap. 103. num. 8.* inquit, si verum fit hujusmodi privilegium, post Caroli Septimi Constitutionem obtentum fuisse; *Nulla hic superiùs perstricti privilegii memoria, vestigium nullum, ut non injuria posteriùs fuisse impetratum conjicias.*

Narrat Matthæus Parif. in Henrico Tertio, *pag. 237. & 328.* cum Romanus Legatus post coactum Concilium in Biturigibus, illudque solutum, agere cœpisset cum Abbatibus, & Episcopis de reservatione duarum præbendarum, Romanis Clericis conferendarum pro Summi Pontificis arbitrio, ac voluntate: procuratores Capitulorum restitisse, ita ut res ei non ex voto cesserit. Refert rationes a procuratoribus allatas, in quibus nihil de privilegio dicitur. Sanè si hoc privilegium aderat, quomodo contra illud Legatus rem

novam

novam potuisset aggredi? Quare procuratores privilegium non opposuere, quo melius quam consuetudine ab ipsis objecta, se tutari poterant? Certè si Gallia eo fuisset donata privilegio, fieri non poterat, ut silentio transmitterent, sed ad illud velut ad sacram anchoram procuratores confugissent.

Nec melior conditio peregrinorum est in Poloniæ Regno, in quo a beneficiis procul arcentur ex usu longissimo, & Constitutione Casimiri Magni, ut ex ejus statutis editis a Renato Choppino post tertium librum *de Domanio Franciæ*, & Bodino *loc. cit.* De Bohemia idem testatur Bertholdus Pontanus Bohemiæ piæ *lib.7.* de Friderico Pio: de Ducatu Slesiæ Schifordeghet. *loc. cit.* de Helvetiis Bodin. & Stumphius: de Sicilia Abbas D.Rochus Pirrhus *tom.1.* Siciliæ Sacræ in Ecclesia Messanensi anno 1418. & de Regno Pannoniæ *Tholosan.* infra citandus, aliique, quos omittimus.

Idem moris erat in Anglia, etiam antequam a Catholica communione fuisset sejuncta, ut ex epistola Eduardi Tertii, cujus verba supra recitavimus; in qua planum est, ex canonicis sanctionibus, non ex singulari aliquo privilegio, Regem jus suum deduxisse: Altesferr. *c. bonæ 4. de postul. Præl.* & Tholos. *syntagm. par. 2. lib. 17. c. 6. n. 42.* Qua lege, & utitur Hibernia, ut ex epist. Ossatii 55. *to. 2.* ex qua apparet, cum Hispani nullum non moverent lapidem, ut ad Archiepiscopatum Dublini ejusdem nationis homo veheretur, obstitisse Hibernos, *allegato Regis ipsius Hispaniæ exemplo, qui Episcopum nisi Hispanum præfici patitur nullum.* Vtuntur & Veneti si fides Addent. ad Panormitan. *cap. proponente de rescript.* & Didaco Perez *loc. cit.* Lusitani, auctoribus Barbos. Altesferr. *d. cap. 4.* Acuña *cap. neminem 70. dist. n. 9.* Pereyr. *de manu Reg. tom. 2. cap. 64. nu. 30.* & Cabedo *de patronat. Reg. cap. 27.* Bononiæ quoque statuto sacra beneficia nunquam conferuntur exteris, Barbat. *cons. 27. vol. 1.* Quod & cautum Veronensi statuto, ut ex Baldo refert Tholosan. *loc. cit.* Ut meritissime Henricus IV. Castellæ Rex in præfa-

tione *d. l. ordinament.* 19. quæ & quandam majestatem, & pietatem Christianam præseferre videtur, dixerit, id ex tempore, quod hominum memoriam exsuperabat, in cunctis orbis provinciis, in quibus Catholica Fides regnat, obtinuisse; *Notorio es, que en todos los Reynos, y Provincias de Christianos, o en la moyor parte de ellos se usa, y guarda inviolablemente de tiempo immemorial aca, que los naturales de cadaun Reyno, y provincia ayan las Yglesias, y beneficios dellas: y esta preeminencia se guarda, y defiende cadauno de los Principes Christianos en su Tierra.* Quod & prætereundum non censuit Henricus Tertius in ejus Constitutione apud eundem Perez, *y como quier, que en estos mis Reynos oviesse ansi seydo siempre guardado, que los naturales de ellos fuessen ay Beneficiados, y no otros, segun que se guarda oy en dia en todas las otras Tierras, y Reynos, y partidas de Christianos.*

Cur ergo nobis occludantur fores, quæ omnibus patent, quicquam non est. Quid nos peccavimus? Nos miseri, *nos viles pulli nati infelicibus ovis*? Quod jus, quæ æquitas patitur, ut quod omnibus nationibus, a quibus verum Numen colitur, conceditur, quod minorum gentium, immò infimæ sortis populis indultum est, soli Regno Neapolitano floridissimo, ac nobilissimo denegetur, quod semper maxima ingenia, & viros belli, & pacis artibus præclarissimos in lucem protulit, quod semper Romanæ Ecclesiæ, & Summis Pontificibus, ut par est, fuit obsequentissimum, in quo adeò floret pietas, ut in eo religio suam sedem fixisse videatur?

Quod autem indigenarum privilegium, non tam ex juris necessitate, quàm ex honestate pendeat, adeò falsum est, ut confutatione non indigeat. Satis id evertitur ex his, quæ hactenus disseruimus, quibus adeò hoc jus tam ex lege Divina, & naturali, quàm ex Canonibus Apostolorum, doctrina Patrum, Conciliorum definitionibus, Epistolis Summorum Pontificum, quos tantopere vetustas fuit venerata, & ex universo jure Pontificio asseruisse videmur, ut si aliquid superaddere velimus, justè dicendi simus, otium frustra conterere.

Juvat

Juvat tamen repetere, Nicolaum Primum in epistola ad Carolum Crassum asseverasse, non modo *indecorum esse*, sed etiam *illicitum*, beneficia externis tribui posthabitis indigenis, & qui ex Ecclesia sunt: esse hanc violationem canonum temerariam. Cum satis agnosceret Nicolaus, plerosque prudentes, scientesque falli, & aliena ministeria præ inexpleta quæstus, ac dignitatum libidine, & cupiditate captantes, sibimet ipsis imponere essi-ctos, ac conquisitis excusationibus, mera deliramenta obtendentes, quasi beneficia indigenis credi honestum esset tantummodo, non necessarium: non passus est amplius in hoc errore versari. Externos Sacerdotiis adiici, ait non indecorum dumtaxat est, sed etiam illicitum, est infractio canonum temeraria, intoleranda: est prævaricatio (hoc enim verbo utitur) manifestissima. Spondet se generale decretum emissurum, ut morbo, quo aliquot Galliæ Ecclesiæ correptæ erant, curatio adhiberetur, ut pravus incrementa sumens usus, omnino exscinderetur. Post tanti Pontificis tam disertam pronunciationem, quis eò impudentiæ, ac petulantiæ processerit, ut ei non acquiescat? Qui ei non obsequatur, fuerit certè insolentiæ singularis, audacissimus, nefarius. Quid tibi in hoc places, applaudis, alieni ministerii sectator, qui, aliud suadente, ac stimulante conscientia, jactitas honestatem, non jus exposcere, ut beneficia non dentur exteris, ait Cellotius d. lib. 4. histor. Godescal. cap. 22. *At indecorum* (inquit Pontifex) *quin potius illicitum est in aliena stipendia quemquam obrepere, & ex transverso venientem in castra, inter quæ non militavit, Ducatum arripere.* Juvat etiam repetere quod exprimitur in *d. l.* 19. *ordinamen.* consuetudinem, quæ indigenis favet, & juris dispositione, & legibus æqualitatis servandæ, & ratione naturali fulciri: quam Henricus Tertius ait fundari in regulis Patrum, & his moribus semper rem Ecclesiasticam stetisse; *Los Santos Padres, que ordenaron las cosas con razon, y sanctidad antiquamente establecieron, que en las dignidades, y beneficios de la Sancta Yglesia fuessen puestos los naturales de las Tierras, y de*

las

las tales dignidades, y beneficios, y que ansi fuessen hallados pertenecientes. Porque por los tales se sirvirian, y honrarian, y defenderian mas las Yglesias, y se acrescentaria mas la devocion del pueblo Christiano. Por quanto es de presumir, que cadauno ama el bien, y honra, y trae provecho a la Tierra, donde es natural.

Idque non modo semper fuisse in Ecclesia cautè, & sanctè observatum, non modo honestati convenire, sed etiam juris esse perpetui, apud DD. convenit, ut ex *gloss. in cap. cum inter 3. de elect. verb. aliam circa fin. Dicas, quod verum est, quod ita debet fieri, & honestum esset, & de jure est*, a qua non discedit Abbas *cap. ne pro defectu de elect. n.7.* ibi: *mihi tamen mero jure inspecto placet opinio Hostiens.* Sebastianus Sap. in addit. & Barbos. d. vot. 33. lib. 2. n. 17. cujus verba hæc sunt: *Non obstat doctrina Nicolai Garciæ d. par. 7. cap. 9. num. 7. dum communem sententiam intelligit de honestate; quia, inquit ille, valde honestum est, & fructuosum, ut quisque in Patria sua beneficietur: nam respondetur, id quoque de jure inesse, ut expressè tangit glos. celebris verb. etiam, circa fin. in cap. cum inter el. 3. de elect. ibi. Dicas quod verum est, quod ita debet fieri, & honestum esset, & de jure est, &c. Abb. in d. cap. ne pro defect. n. 7. eod. tit. de elect. affirmat hanc prælationem procedere mero jure inspecto, & idem Nicol. Garc. id ipsum constitetur d. c. 9. n. 16. his verbis: honestumque sit, ac rationi, & juri conforme quemque in Patria sua beneficiari, &c.* Quibus cæteri Interpretes passim assentiuntur.

Nec obstat *cap. te nobis fin. de Clericis peregrin.* in cujus specie, cum aliqui ex Prælatis, qui subjacebant jurisdictioni Rhegini Episcopi, in Ecclesiis sibi commissis Clericos ex alienis Diœcesibus instituerent absque assensu illius; respondit Honorius Tertius, id esse honestati contrarium, & a Sanctorum Patrum institutionibus alienum, ac proinde illos removeri debere, nisi aliquos ex dispensatione diœcesanus Episcopus retinendos duxisset: quia institutionis verbum, frequenter ordinationem significat, *can. nullus cum seq. 60. dist.* & hoc modo in hac decretali accipi debet. Nimirum prohibet Honorius, ne ab inferioribus Prælatis possint Clerici alterius Eccle-

siæ

siæ in alium locum se conferentes, ordinari inconsulto illius Diœcesano, ad quem ordinatio pertinebat, dummodo Clericus peregrinus afferret literas canonicas, aut formatas sui Episcopi, quibus deficientibus, nequidem a Diœcesano potuisset recipi. Quod esse in textu subintelligendum, scilicet Clericos illos, de quibus loquitur, fuisse dimissoriis suorum Præsulum instructos, admonent Innocentius *n.* 1. Hostiensis, & Abbas *n.* 2. Itaque non agitur in textu de collatione præbendæ, aut beneficii, sed de simplici ordinatione, quæ Honorii tertii tempestate fiebat, etiam nullo assignato certo ministerio, cui beneficium erat conjunctum. Quod si aliter diceremus, textus ille a tot sacris Canonibus dissideret, itaut cum iis nullo modo conciliari posset, & affirmandum esset, iuxta Adversariorum sensum, posse Episcopum dispensare adversus Canones Apostolorum juri Divino conformes, adversus Conciliorum decreta, & Canonicas sanctiones, quod est absurdissimum. Quocirca Hallier de sacris ordinat. sect. 5. cap. 3. §. 1. fol. 603. in Honorii rescripto, verbum instituere de simplici ordinatione interpretatur. Et quamvis Cironius ad d cap. fin. asserat, institutionem sumi posse *pro collatione præbendarum, vel beneficiorum, pro electione, postulatione, præsentatione, translatione, commenda, seu fiducia;* tamen subdit, *potest & pro ordinum collatione sumi*: quam interpretationem cum ultimo loco adducat, eam amplecti censendus est. Quanquam, etsi fingamus Honorium de concessione beneficii sensisse invitis ejus verbis, invita mente; cum circa Clericos institutos inscio Episcopo Rhegino, posse ab eo dispensari permittat, hoc est declarari non esse prohibitioni locum, quæ dispensatio fit causa cognita, ut ait idem Cironius, & causam exigit vel urgentis necessitatis Ecclesiæ, vel saltem evidentissimæ utilitatis, in plena Synodo adprobatam, quid adjumenti sperare possent Adversarii ex ea decretali, non intelligo: præsertim cum Honorius eam institutionem peregrinorum damnet, *tanquam honestati contrariam, &*

a San-

a Sanctorum Patrum institutionibus alienam. Quæ duo cum simul jungat, quid magis ab ejus sententia remotum, quam dicere, ea in re non jus læsum fuisse, sed honestatem tantum?

Cæterum etsi Pontifices præferrent, solùm honestati repugnare provectionem peregrinorum ad beneficia, quomodo violari queat honestas? quando protritum est in jure, non posse nos, quod honestè non possumus; & Papinianus l.15. de condit. instit. ait: *nam quæ facta lædunt pietatem, existimationem, & verecundiam nostram, & ut generaliter dixerim, quæ contra bonos mores fiunt, nec facere nos posse credendum est*. Quam vocem jure Cujacius *ad lib.* 15. *quæst. Papinian. d. l.* dixit Christiano homine dignam. Unde passim quod jure prohibitum est, ita efferunt leges nostræ: honestatis rationem non pati ut fiat: honestum non esse, ut in l.ult. C.ne Fisc.rem quam vendidit evinc. lib.10. *Honestatis ratio non patitur, Fiscum retractare, quod semel vendidit*: & honestati convenire dicunt id, ad quod quis mero jure tenetur, ut apud Paulum lib.3. sentent. tit.7. *honestati enim hæredis convenit, qualemcunque mortem testatoris inultam non relinquere*: & apud Ambrosium 3.offic.cap.10. ea formula solemnis in stipulationibus, *cui rei dolus malus aberit, abfuerit, vel abfuturus erit*, vocatur honestatis formula. Quod pro enucleatione d. cap. fin. de Clericis peregr. scriptum reliquit Andreas Barbat. lib.1.cons.22. n.6. *Et adduco c.fin.de Cler. peregr. ubi dicitur, non congruit honestati instituere alienigenam in Ecclesia, & etiam est alienum ab institutionibus Sanctorum Patrum. Modò si non decet instituere alienum, sequitur ergo, quod eo ipso, quod alienigena impetravit beneficium in Diœcesi aliena, debet exprimere diœcesim alienam, in qua situatum est illud beneficium; ergo aliàs sequitur, quod impetratio non tenet, quia non solùm debemus inspicere illud, quod licet, sed etiam illud, quod decet, ut est pulcher tex. in l. semper in conjunctionibus, ff. de rit. nupt. c. decet de immunit. Eccles. lib.6. & reprehendit Bald. Legatos de latere in d.c. semper, qui in dispensationibus non attendunt ad id, quod decet*. Addimus l.semper 197. de regul. jur. *semper in conjunctionibus non*

solùm

solùm quod liceat considerandum est; *sed quod honestum sit*, *iuxperis* 2. ccl.3. c.192. ubi Haloander legit,in conventionibus, Dynus, in contractibus.

Quod extra controversiam est in spiritalibus rebus, in quibus semper, quod melius est, sequi debemus, ut monet Cyprianus *epist.* 73. non obstante quacunque contraria consuetudine.

Nec peregrinos quicquam juvare potest,quod minus idoneus, magis idoneo cedere debeat: quis autem meritis vincat, huius rei collatoris cognitionem esse. Nam sacri Canones satis habent si aliquis ex indigenis idoneus sit, ad hoc ut extra eos alius quæri non debeat, ut ut ad exercendum vacans officium esset aptior; tunc autem solùm permittunt posse extraneum assumi, si nullus ex civibus habilis inveniatur, quod tamen dicunt nullo modo evenire posse. In plerisque Divi Gregorii epistolis, quas supra memoravimus, interdicitur electio ex aliena Ecclesia, si in propria aliquis adsit, qui non sit *reprehensibilis*; unde discimus sufficere, ut alter aliunde peti non possit, si in propria Ecclesia præsto sit, cui crimen aliquod,vel canonicum impedimentum non obstet. Consulatur ejus *epist.*19. *lib.* 4. quæ omnem,si alicui hac in re scrupulus supersit,possit eximere. In ea cum Sanctissimus Pontifex Maximianum Syracusanum Episcopum recens e vivis sublatum,summis laudibus extulisset; *Sed infelix populus Syracusanæ Civitatis lugendus est, qui Pastorem talem diu habere non meruit*:cum etiam Visitatori hoc in mandatis dedisset, *Proinde dilectio tua sollicitudinem gerat, ut in eadem Ecclesia talis debeat ad ordinandum eligi,qui post Dominum Maximianum ejusdem regiminis locum non videatur immeritò sortiri*, subdit,nullum sibi digniorem offerri,qui defuncti Præsulis locum implere posset, quam Joannem Archidiaconum Catanensis Ecclesiæ. Sed quia in Syracusana Civitate extabat Trajanus Presbyter,quamvis meritis Archidiaconus eum longe post se relinqueret, immò tanto oneri, quantum illud erat regendi eam Ecclesiam, impar agnosceretur; tamen parendum necessitati

censuit Gregorius, ejusque electioni si fieret, assensum accommodandum, ne extraneus, etsi magis idoneus, civi, & qui è Clero erat, anteponeretur: *Et quidem credo, quod Trajanum Presbyterum maxima pars eligat, qui, ut dicitur, bonæ mentis est; sed quantum suspicor, ad regendum locum illum idoneus non est; tamen si alius inveniri non valet, & ipse nullis criminibus tenetur involutus, condescendi ad eum cogente nimia necessitate potest.*

Quin etiam Summi Pontifices cum Ecclesiis esset providendum, nullusque se offerret, qui in locum demortui Episcopi succedere posset, expectabant, donec aliquis ex indigenis dignum se eo ministerio præstaret, & interim per Visitatores Ecclesiarum indemnitati cavebant; quod exemplo successores suos docuit Divus Gregorius Magnus, ut su pra attigimus.

Quapropter Divus Thomas supra laudatus præfert dignum ex indigenis, vel Ecclesiæ gremio, extraneo cuilibet licet digniori.

Nec in diversam sententiam abit Dominicus Soto *de just. & jur. lib. 3. quæst. 6. art. 3. ad quartum*, qui si indigenæ Ecclesiis sint præfecti, tot commoda in eas derivare asserit, ut prævaleant utilitati, quam exteri dignioris electio, ipsis afferre potuisset. *Ad quartum respondetur, jura sanxisse dignitates, & præbendas personis ejusdem Ecclesiæ concedi ob hanc causam, ut ait Cæleſtinus eo cap. nullus 61. dist. quod unusquisque suæ fructum militiæ habeat in Ecclesia, in qua suam per omnia officia transegit ætatem.* Addit deinde ex Divo Thoma aliam rationem, quam sibi ait esse probatissimam; quod unumquemque maximè patria delectet, ubi sacra, ubi genus, ubi majorum multa vestigia; dulce cuique natale solum sit, ac jucundissimum, charissima Ecclesia, quæ ipsius altrix fuit: qua de causa, indigena inquit *utilior esse poterit*; cumque id astruxisset magis ex jure divino, explet, concluditque sententiam; *Et ideo licet non exquiratur extraneus dignior, per hęc fit compensatio.*

In deligendo Episcopo non tam perquirendus est, qui

qui dignior, quam qui utilior; fieri enim potest, ut qui aliis doctrina, solertia præstat, etiam morum integritate, Ecclesiæ minus sit usui, quam alter qui ejusmodi dotibus non sit præditus. Apud Gregorium Magnum, qui utilior, non modo potior, sed etiam potissimus. Sanctissimus vir majori in pretio, si de Episcopatibus, aut aliis Sacerdotiis lis esset, habebat utilitatem, quam si quis esset e lectissimis, ut ex lib. 4. epist. 47. ibi; *Ut utrisque comminus constitutis, ille qui Deo placuerit, & utilior visus fuerit ordinetur*, & lib. 9. epist. 73. *Si autem in uno consentire noluerint, sed in duorum se electione diviserint, similiter decretis ad nos de more factis adveniant, ut requirentes de vita, actu, & moribus eorum, is qui utilior visus fuerit, ordinetur.* Quod non fugit accuratam Thomasin. diligentiam de benef. par. 2. lib. 1. cap. 37. n. 14. *Animadverti jam & illud potuit, non distingui a Gregorio digniores ab utilioribus. Evenire enim posset, ut qui primas virtutis, & doctrinæ obtinent, haud tamen digniores habendi essent, quod nec utiliores Ecclesiæ; propterea nimirum, quod præter virtutis, & eruditionis præsidia, quibusdam aliis præterea dotibus opus sit ad temporale, & spirituale regimen. Ejus rei forsan contemplatione adductus Gregorius, non semel professus est, eum a se in examine, & delectu ordinandorum antepositum iri, qui utilior futurus præsagiretur.*

Quare cum indigenæ, ut præclarisimè D. Thomas, Sotus aliique animadvertunt, multis nominibus sint utiliores Ecclesiis, sint magis eis profuturi, quam extranei, ut ut sint meritis celsiores, ipsi potius, quam extranei, beneficiis cohonestari debent.

Eiusdem rei magnos Auctores habemus, Lambertin. *de jurepatron. tract. 4. art. 5. quæst. princ. 3. par. lib. 5.* ubi concludit, si idoneus sit in Collegio, vel loco, non posse præsentari forensem alterius Collegii, vel loci, licet magis idoneum, Rebuff. *in tract. nominat. q. 9. n. 57.* Lucas de Penna *in l. quisquis C. de commun. agro desert. lib. 11.* ubi hoc extendit, etiam si incolæ sint indigenis meliores, cui subscribit Alciat. *regul. 1. præs. 37. n. 1.* & Rebuff. *in d. tract. nominat. quæst. 21. n. 55.* qui ait, jus expostcere, ut oriundus

non oriundo præcat : quibus astipulantur Guglielm. de Bened. *in cap. Raynutius verb. uxorem n. 482. & 488.* Ioannes Selva *de benef. 3. par. q. 26.* Gomes. *in regul. de idiom. q. 1.* Sed nemo melius rem explicat eximio viro Christiano Lupo in notis ad decretum Nicolai II. in Concilio Romano anni 1059. qui hunc esse ait antiquissimum, & generalissimum Ecclesiæ Canonem tanti roboris, ut vincat æternam naturæ legem, & avitam Patrum regulam, quæ digno digniorem anteponit. E re fuerit ipsum audire : *In Ecclesiasticarum, Curatarum præsertim, ac Episcopalium dignitatum electione, aut collatione, digniores semper præferri mandant, & æterna naturæ lex, & avita Patrum regula; verùm intra solos eiusdem Ecclesiæ, aut Episcopalis Parochiæ Clericos, & Monachos est facienda comparatio. Quousque illic reperitur dignus, dignior foris quæri non debeat, nec possit. Quisquis quæsierit, digno illi gravem irrogat iniuriam, qui antiquissimus, ac universalissimus Ecclesiæ Canon est in nostra tempora omninò revocandus.*

Cum de pluribus quæstionibus, partim ad fidem, partim ad disciplinam attinentibus, Cabasilas Dyrrachii Archiepiscopus, Ioannem Episcopum Citri consuluisset, & quomodo fieri deberet electio Episcopi, ejus sententiam exquireret; intra Cleri limites se continuit, quærens an senior, qui Protopapa vocabatur, ad dignitatem illam esset extollendus, an aliquis ex Sacerdotibus ad eum proximè accedentibus, an quispiam ex Diaconis; τίνες προτιμῶνται εἰς τὸ ψηφίζεσθαι εἰς ἐπισκοπάς, ὁ πρωτοπαπᾶς, καὶ οἱ μετ' αὐτὸν ἱερεῖς, ἢ οἱ διάκονοι οἱ ἔχοντες ἀρχοντικὰ ἐκκλησιαστικὰ ὀφφίκια. Joannes autem etsi responderit τῶν ἀξιωτέρων γάρ, οὐ τῶν προβαθμιωτέρων, καὶ δυνατωτέρων οἱ θρόνοι; *digniorum enim, non gradu altiorum, sunt throni*; attamen uterque Cleri fines non excessit. *Iur. Orient. p. 323.*

In epistola 12. ad Anastasium Thessalonicensem *cap. 6.* Divus Leo Magnus exoptat quidem, ut qui ad Episcopatum sit accessurus, *optimus eligatur*, sed optimus *ex Presbyteris, vel Diaconis eiusdem Ecclesiæ*: quæ verba transcripta sunt *in can. metropolitano 63. dist.*

Tur.

Turpe visum fuit Optato Milevitano, Majorinum ex Lectore fuisse Episcopum creatum; de schismate Donatistarum lib. 1. ibi; *Et Majorinus qui Lector in Diaconio Caciliani fuerat, domesticus Lucillæ, ipsa suffragante Episcopus ordinatus est,* id est, cum Cæcilianus adhuc erat Archidiaconus, durante ejus Archidiaconatu, ut explicat Casaubonus. Hujus ordinationis fœditas in eo sita erat, ex sententia Albaspinei. *Omnes minores Clerici sub Diaconis, Diaconi sub Presbyteris, Presbyteri sub Episcopis, tanquá per classes disponebantur. Atque ut nullus Presbyter sine Diacono, ita nullus Diaconus sine minoribus Clericis instituebatur, quia eorum omnium munus, sine alterius opera, & functione ritè fieri nequibat. Cæterum Maiorinum e lectione ad Episcopatum adlectum notat Optatus, ut eius ordinationem minus iure, & ordine factam ostendat; ordo enim postulabat, ut Præsbyteri, aut Diaconi ordinarentur ante Lectores, si qui idonei reperirentur.* Ordo igitur erat, ut qui altiori gradu, & Episcopatui propinquiori collocatus existeret, ad illum ascenderet inter meritis æquales. Sin autem in Clero quisquam meritis præstaret, is præpolleret cæteris. Sed semper intra Cleri civici pomærium, electio erat concludenda.

Comparationem digni, & dignioris intra eandem Ecclesiam fieri debere, abundè prodidit Ivo Carnotensis *epist.* 116. ad Urbanum Summum Pontificem, ita de electione Manassis in Metropolitam Rhemensem scribens; *Non enim poterat illa Ecclesia inter omnes filios suos quemquam invenire Sedi Apostolicæ magis devotum, suis utilitatibus magis necessarium, tum propter generis nobilitatem, tum propter morum honestatem.* Ait, *inter omnes filios suos.* Filiorum Ecclesiæ vacantis merita, lance pendebantur, non aliorum. Sicubi enim in Ecclesia idoneus adesset, extra eam nullus dabatur alterius licet dignioris, electioni locus, ut idem Ivo Carnotensis *epist.* 120. (cuius argumentum hoc est: *Quando Episcopus de altera eligendus est Ecclesia*) a Cenomanensi Decano consultus respondit, urgens Cœlestini decretum; *Si ergo huiusmodi personæ intrusione te senseris prægravari, libera est tibi facultas*

resu-

refutandi, quia secundum decretum Papæ Cælestini, tunc primum alter de altera eligendus est Ecclesia, si de Civitatis ipsius Clero, cui Episcopus est ordinandus, nullus dignus (quod evenire non credimus) poterit inveniri. Et quia per te sapis, superfluum mihi videtur te instruere, quibus auctoritatibus debeas ignotos, & ex transverso venientes refutare.

Clarius id fiet ex Alexandrinæ Ecclesiæ consuetudine, cuius initio dissertationis meminimus, prolatis etiam Hieronymi verbis *ex epist.* 85. ad Evagrium, quorum sententiam ita exprimit Petavius *lib. 1. de Ecclesiast. Hierarch. cap. 13. num. 11. Ab Apostolorum tempore usque ad Heraclam, & Dionysium, hoc est usque ad medium seculum ferè tertium, morem hunc fuisse dicit Alexandrinæ Ecclesiæ, ut e corpore suo Presbyteri unum quempiam eligerent.* Hieronymo opponit Salmasius Pseudo-Ambrosium in commentario *ad cap. 4. epist. Pauli ad Ephesios*, ubi de eadem consuetudine hæc tradidit. *Primùm*, inquit, *Presbyteri Episcopi appellabantur, ut recedente uno, sequens ei succederet, &c. Sed quia cœperunt sequentes Presbyteri indigni inveniri ad primatus tenendos, immutata est ratio prospiciente Concilio, ut non ordo, sed meritum crearet Episcopum multorum Sacerdotum iudicio constitutum, ne indignus temerè usurparet, & esset multis scandalum.* Arbitratur Salmasius, scriptorem hunc, sive is fuerit Hilarius non Pictaviensis, aut Arelatensis, sed Luciferianus Diaconus Liberii, ut plerisque visum est, sive alius incerti nominis, ut Petavio (nam falsò eum librum inscribi Ambrosio, in dubium amplius non venit) a Hieronymo discrepare, quasi dicat, prius ex ordinationis tempore delatum primatum inter Presbyteros, postea electione creatos Episcopos. Sed eum falsum esse ait Petavius *loc. cit. n.* 13. & quidem optime, nullamque esse inter relatos Auctores pugnam, conflictum nullum. *Scribit ementitus Ambrosius, primum ita creatos Episcopos, ut recedente uno sequens ei succederet. Id sic accipiendum est, ut ex solo Presbyterorum ordine tum Episcopi Alexandriæ caperentur, hoc est uno recedente, atque e medio sublato, sequens, idest alter ejusdem ordi-*

ordinis succederet. Ergo idem sequens est, atque alter. Ut ergo si ita dicam: Ex solo Cardinalium Collegio Pontificem Romanum ita fieri, ut uno recedente, sequens ei succedat: nihil aliud significavero, nisi alterum ei Cardinalem substitui. Minimè verò inde consequens erit, eum qui dignitate proximus sit ab Summo Pontifice, & cooptationis tempore totius Collegij primus, sine electione succedere. Sic Optatus Milevitanus in libro secundo, cum de Constantini M. actis contra Donatistas locutus esset, mox de Iuliano ita scribit: Deinde alter, ut omnibus notum est, secutus Imperator; Eodem planè modo ex Presbyterii corpore, & ordine creabatur Alexandrinus Episcopus: idque ab ipsismet Presbyteris, ut judicat Hieronymus. Ac tum ordo, non meritum creabat Episcopum, ut ait Ambrosius ille. Nam fieri poterat, ut in Presbyterio nemo esset Episcopatu dignus, esset autem in Diaconorum ordine, aut in hoc certè, longè quam in illo honore isto dignior. Et tamen quia non alius, quam Presbyter creandus erat Episcopus, vel indignus, vel minus dignus erat eligendus. Hoc merito displicuit: Et aliter instituenda res est visa. Itaque multorum Sacerdotum judicio constitui placuit Episcopum non ex ordine, sed ex merito: hoc est etiam ex alio, quam Presbyterorum ordine.

In ea mutatione, ut posset Episcopus suscipi ex universo Clero, putat Petavius, hoc etiam novatum fuisse, ut non a solis Præsbiteris eligeretur, sed etiam ab Sacerdotibus, hoc est Episcopis, adhibito etiam consensu populi: cujus rei extitisse exemplum in Athanasio, qui ex Diacono post Alexandri obitum, factus Episcopus.

Quamcumque ex his sententiis quis sectetur, semper verum erit, collationem digni, & dignioris fuisse factam intra eandem Ecclesiam. Nam juxta opinionem Petauii, quæ verissima est, electio prius intra Presbyteros coangustabatur, ex quibus aptioris fiebat electio; quæ postea, quia evenire poterat, ut nemo ex Presbyteris esset ad capessendum Episcopatum idoneus, fuit extensa ad Diaconos, aliosque inferioris ordinis Clericos: ita tamen, ut ex universo Clero Ecclesiæ, dignior

pe-

peteretur, non autem extra. Secundum aliorum anilem fabulam, antea ex ordinationis tempore, Primatus contingebat, postea per electionem etiam inter eandem Ecclesiam restrictam. Ita etiam erit verissimum de non advocando digniore extra Ecclesiam, in ea aliquo idoneo occurrente, tam Hieronymum, quam Pseudo-Ambrosium inter se consentire.

Operæ pretium erit hic adjicere, cum Sacrum Concilium Tridentinum *sess.24.de reformat.cap.*18.quò loci agit de beneficiariorum electione, quibus animarum cura imminet, statuisset, antiquiorem habendum aliis magis idoneum; ex multorum auctoritate Barbos.*num.*130.asseverasse, semper existimandum magis idoneum originarium, & cuilibet extraneo anteire debere. Ejus verba sunt: *Originarius idonejor quoque judicandus, ac præferendus, si alter sit extraneus, Cov. pract. cap. 35. sub num. 5. vers. secundò annotandum est, Fusc. de visit. lib. 2. cap. 15. num. 13. & 14. & c. 21. num. 25. Put. dec. 254. p. 1. alias dec. 244. lib. 1. in correct. Mandos. cons. 1. num. 4. Grilenz. cons. 151. num. 64. Vgolin. de offic. Episcop. cap. 50. §. 7. num. 4. Mastrill. Siciliæ decis. 2. n. 147. Rot. decis. 299. p. 1. divers. Valenzuel. cons. 34. num. 69. ubi n. 79. quod Diæcesanus in beneficialibus præfertur non Diæcesano, Perez de Lara de anniverss. lib.2.cap. 3.num.19. & seq. Et ita potest eligi dignus de Civitate, vel gremio Ecclesiæ, posthabito digniore extraneo, Læl. Zech. de benef. cap. 12. n. 36. Piasec. in praxi Episcop. p. 2. cap. 5. num. 19. Vgolin. d. c. 50. §. 8. num. 4. Ego ipse d. alleg. 60. num. 102. Valenzuel. d. consil. 34. n. 70.*

Superest, ut quorundam, qui peregrinis Clericis patrocinantur, aliquot objectiones, quibus nobis negotium facessere student, infirmas, ac futilissimas diluamus.

Opponunt primo loco, nunquam moribus comparatum fuisse in Regno Neapolitano, ut exteri a beneficiis deberent rejici, Romanos Pontifices semper ea, prout sibi liberet, etiam in alienigenas contulisse, qui etsi aliud jus non haberent quoad liberam de omnibus beneficiis disponendi facultatem, quemadmodum ajunt habere

bere pleniſſimum: ambigendum non eſſe, quin illud ex tam longæva conſuetudine, ac præſcriptione adepti fuerint, nec invidendum iis antiquiſſimæ poſſeſſionis commodum, qua Principes perſæpe ſe tueri ſolent, dum pleraque ſibi vindicant, quorum nullum titulum poſſint oſtendere; præſertim cum noſtræ nationis homines, etſi pluries crebrò a Regibus Aragoneis, a Conſalvo de Corduba, a Rege Catholico, ab Invictiſſimo Imperatore Carolo V. ac potentiſſimo Principe Philippo II. exquiſiverint, ut in beneficiis, quæ ad Regiam collationem ſpectant (nam quoad alia Pontificiæ collationis, vix ſemel, biſve facto periculo, ut Principes cum iis, a quibus concedenda erant, auctoritatem ſuam interponerent, rem non modo difficilem, ſed penè deſperatam aggredi agnoſcentes, animum abjeciſſe) indigenæ alienigenis præferrentur, operam penitus luſiſſe; quippe aut eorum petitio fuit reiecta, aut ſi gratia indulta, effectu caruit; donec a Cæſare fuit impetratum, ut cum exteris æquarentur, & alternatim cum iis, beneficia conſequerentur: ac proinde ſatis abſonum ſit, Regem noſtrum Auguſtiſſimum velle aliis legem imponere, qua ſe exſolutum profiteatur.

Secundò, in inveſtituris conceſſis tam Regibus Andegavenſibus, quàm Aragoneis, & ipſimet Regi Catholico, in cuius iura ſucceſſerunt Invictiſſimi Auſtriaci Principes, comprehenſum fuiſſe, ut Apoſtolica Sedes poſſet arbitratu ſuo, quos vellet, beneficiis augere, ac amplificare, & in iis libera uteretur poteſtate; quæque nullis eſſet finibus circumſcripta; idque repetitum fuiſſe in pactis conventis inter Clementem VII. Pontificem Maximum, & Carolum V. Cæſarem.

Tertiò, Clericos Romanæ Eccleſiæ non poſſe in aliis Eccleſiis extraneos cenſeri.

Quartò, complures alienigenas ad Epiſcopatum vocatos, complures ab ipſo Athanaſio accitos ex intimo Heremi receſſu.

Quintò, Divum Bernardum in Gallorum Regem

exteros a beneficiis protrudentem, invectum fuisse.

Sextò, pragmaticam sanctionem, quæ Divo Ludovico adscribitur, subdititiam esse, ac spuriam.

Septimò, ab aliquibus Auctoribus exterorum causam confoveri.

Sed hæc objecta imbecillia sanè, ac frivola, facili momento concidunt.

Ac primum quidem convellitur, cum in Regno nostro eam observationem viguisse, quæ in universa vigebat Ecclesia, ut extranei in eo beneficia sperare non possent, dilucidum sit ex Gregorii Magni epistolis relatis *d. dist. 61.* & aliis tum ejus, tum Leonis, & Innocentii Tertii. Quod & ex eo fit manifestius, quod vacante Metropoli Capuana, cum Archidiaconus Theatinus Capuanus Canonicus cum ejus sequacibus, ante factam electionem ad Sedem Apostolicam provocasset, ni ea canonice celebraretur, hoc est secundum canonum decreta; ex quorum præscripto nemo Episcopus ex aliena Ecclesia assumi potest, donec aliquis idoneus in propria reperiatur, & in id duarum partium Capituli vota convenissent, ut Subdiaconus Ecclesiæ Romanæ in defuncti Pastoris locum substitueretur, & de electionis firmitate, ac robore Canonici coram Pontifice Maximo Innocent. III. summa animorum contentione certarent, & confligerent, electionem, Archidiacono, ejusque assectis oppugnantibus, eò quod extraneus fuisset Episcopus designatus; eis, qui partes subdiaconi fovebant, nunquam in mentem venit, ipsius causam protegere ea consuetudine, quam nostri Oppositores comminiscuntur, quæ si in hoc Regno extitisset, prout in eo nunquam fuit recepta, illam allegare non omisissent; sed illud identidem ingerebant, potuisse Clerum juri, quod suo favore inductum fuerat, renunciare; nec Summus Pontifex, qui cum Subdiaconum magna benevolentia complecteretur, summopere cupiebat, ut electio non esset inanis, quemadmodum patet ex ejus epistola in Codice Coloniæ edito *pag.* 135. quam integram nobis exhibuit Gon-

zalez

zalez *cap.* 19. *de electionibus*, adeò ut quasdam rationes excogitaverit pro ea tuenda, quæ parum virium, ac firmamenti habere noscuntur, de ea consuetudine tacuisset, cujus nullam mentionem fecit, quia in Regno extraneis, ad beneficia aditus non patebat.

Et quamvis postea labentibus seculis, ac tepescente Ecclesiastica disciplina, invectus fuerit mos, etiam alienigenas ad beneficia obtrudendi; attamen hujusmodi collationibus tantum abest, ut legitima præscriptio fuerit completa, ut ne quidem inchoari potuerit. Etenim nulla datur præscriptio contra canones, & Conciliorum decreta, neque ij possunt ulla consuetudine, quamvis longæva abrogari, præsertim si eorum utilitas, vel ratio maneat, ut in prima dissertatione probavimus; & multominus potest præscriptio, aut consuetudo, quæ potius hac specie corruptela dicenda est, objici adversus ea, quæ ex jure divino dependent, ac initium sumunt, adversus traditiones Apostolorum, aut adversus ea, quæ ex jure, sive ratione naturali proveniunt, ex qua firmari eam indigenarum, de qua tractamus, prærogativam, leges Hispanæ fatentur, ut respondit Gregor. 9. de consuet. cap. ult. *Cum tanto sint graviora peccata, quanto diutius infelicem animam detinent alligatam, nemo sana mentis intelligit, naturali juri, cujus transgressio periculum salutis inducit, quacumque consuetudine, quæ dicenda est verius in hac parte corruptela, posse aliquatenus derogari*: & docet Divus Thomas quodlib. 9. art. 15. ibi; *Quantum ad hoc quod jura illa antiqua continent jus naturale, abrogari non possunt per contrariam consuetudinem utique irrationabilem*. Quem sequitur Natalis ab Alexan. Theolog. moral. & dogmat. lib. 3. art. un. reg. 22. *Canones, qui juris naturalis, & divini aliquod admixtum habent, semper, & immobiliter obligant, ut docet Sanctus Thomas quodlib. 5. art. 15. ubi loquens de canonibus plurium præbendarum, sive beneficiorum possessionem prohibentibus, ait, Quantum ad hoc, &c.* Sicut dispensatio ad jus divinum, & naturale non protenditur, ut ait Ivo Carnotensis in præfat. decret. *Si quis quod legerit de San-*

ctionibus, sive de dispensationibus Ecclesiasticis, ad Charitatem, quæ est plenitudo legis, referat, non errabit, non peccabit, & quando aliqua probabili ratione a summo rigore declinabit, Charitas excusabit: si tamen nihil contra Evangelium, nihil contra Apostolos usurpaverit. Quam regulam exscerpsit ex Augustini epistola ad Bonifacium, cujus verba transtulit Gratianus *can. ipsa pietas 23. quæst. 4.* eamque probarunt Bernard. *de disp. cap. 4.* & Hildebert. Canomanens. *epist. 63.* In eadem sententia sunt omnes Theologi, & graviores, ac nobiliores juris canonici Interpretes, de qua re consulendi Covarruv. *in epit. lib. 4. decret. par. 2. cap. 6. §. 9.* Rebuff. *in praxi cap. de disp. ad plura benef.* & alibi. Et in nostra ipsissima specie, infirmas esse dispensationes, quibus alienigenis, prohibitionis, quæ ipsos a beneficiis summovet gratia fiat, affirmant Azeved. & Rebuffus in locis supra memoratis, cui adhæret Thomass. *par. 2. lib. 1. cap. 103.* easque a reatu non excusare, censet Durandus, cujus verba supra retulimus; sicuti neque excusant in his, quæ canonum juri, sive quod positivum vocant, adversantur, si absque justa causa fuerint concessæ, ex omnium seniorum mente.

Neque nos latet, quod ait Sex. Cæcilius apud Gellium lib. 20. cap. 1. de legum mutatione, *pro temporum moribus, pro Rerumpublicarum generibus, pro utilitatum præsentium rationibus, pro vitiorum, quibus medendum est fervoribus*: quod Hildebertus Cenomanensis Episcopus apud Dacherium tom. 4. spicil. pag. 250. *Multa ex loco, multa ex tempore, multa ex personis differentius fiunt; Rector Ecclesiæ nonnunquam aut dissimulabit, aut faciet, quæ accusat*. Sed præterquam quod canones, ex quibus indigenarum jus proficiscitur, immobiles sunt, ut diximus, & rationes quibus innituntur, eædem semper sint, eandem semper vim habuerint, & habeant, & tantum abest, ut in universa Ecclesia, Apostolorum, de quo nos agimus institutum, immutatum fuerit, ut in universa Ecclesia, dempto tantum Regno Neapolitano, obtineat adhuc; nemo non videt, prædicta auctorum testimonia, aliaque ejusdem

farinæ

farinæ, nihil continere, quod nostræ quæstioni accomodari possit: ad quam tunc solum aptè pertraherentur, si quod olim in more fuit positum, nullo præcepto interveniente, ob temporum necessitatem, aut maximam Ecclesiæ utilitatem, secundum præsentes rationes, per omnes Christiani nominis provincias in usu esse desiisset. Optimè Divus Hieronymus apud Gratianum can. legimus dist. 93. *Quid mihi profers unius urbis consuetudinem? si auctoritas quæritur, orbis major est Urbe.*

Præterea jus hoc ut alienigenæ beneficiorum impotes sint ex canonum auctoritate est quæsitum indigenis, competit populo, cui ne vis fiat, interest Principis (præter curam, quæ ei esse debet, ut canones custodiantur) quatenus est subiectorum protector, ac defensor, ob Regnorum, ac præcipue Ecclesiarum utilitatem, ac Reipublicæ tranquillitatem. Hinc in Cœlestini decreto *d. can. nullus* 61. *dist.* si extranei eis præponantur, potestas datur Clericis loci, in quibus beneficia conferuntur, renitendi: *Sit facultas Clericis renitendi, si se viderint prægravari, & quos sibi ingeri ex transverso agnoverint, non timeant refutare*. Quæ verba retulit Innocent. III. in suam epistolam, quæ extat *d. cap.* 19. *de elect.* ubi hoc jus esse Clericorum autumat, quibus invitis sicut non potest auferri, ita eos posse si velint, illo se abdicare. *Nam cum duæ partes, & amplius electioni consenserint, & consentiant, licet cautum reperiatur in canone, ut tunc alter de altera eligatur Ecclesia, cum nullus in propria fuerit repertus idoneus, quia tamen hoc in favorem introductum est Clericorum, & cuique licet renunciare iuri, quod pro se noscitur introductum, vos, &c. iuri, quod pro vobis facere videbatur renunciare potuistis, & electionem de persona alterius Ecclesiæ celebrare: præsertim cum illud decretum locum habere videatur, quando Clericis renitentibus, & invitis, per alicuius violentiam potestatis, extraneus ingeritur ex adulterio, per quod sequitur in decreto, ut sit facultas Clericis renitendi, si se viderint prægravari, & quos ingeri sibi viderint ex adverso, non timeant refutare.*

Hinc

Hinc vacante ob Nectarii obitum Ecclesia Constantinopolitana, quamvis Ioannes Chrysostomus sanctitatis, ac doctrinæ suæ famâ orbem complevisset; quia ab ea Ecclesia erat extraneus, utpote Antiochiæ Presbyter, non nisi expetentibus, tam populo, quam Clero, quorum votis Imperator assensit, fuit ad eam Sedem evectus, & hac de causa ad urbem a Principe accersitus, ut testis est Sozomenus: ψηφισαμένων δὲ τοῦτο τοῦ λαοῦ, καὶ τοῦ κλήρου, ϗ ὁ βασιλεὺς συνῄνει, καὶ τοὺς ἄξοντας αὐτὸν πέπομφε: *Cum populus, ac Clerus hoc censerent, Imperator consensit, misitque qui eum adducerent.*

Certè cum Romanus Legatus in Biturigibus reservationem duarum præbendarum proposuisset, obstitere procuratores Capitulorum, & ius de quo tractamus, esse proprium Regnorum, sive subditorum, iisque dissentientibus, nihil innovari posse, agnovit idem Legatus, qui professus est: *super hæc* (verba sunt Mathæi Paris. loc. cit.) *quicquid præcepit tali conditione licet tacita intellexisse, si Imperium, & alia Regna consentirent. Adiunxit se nihil amplius super hoc attentaturum, donec per Regna alia Prælati consenserint, quod credidit provenire non posse. Istud enim iure, & privilegio quodam civium favore inter alia inductum fuit, ne extranei civibus prælati videantur*, ait Iacob. Gothofr. *d. l. Ecclesijs C. Theod. de Episc. & Cleric.* & alii auctores frequentissimè. Quod cum apertissimum sit, non est, quod in eo amplius immoremur.

Atqui Principes, aut superiores adversus subditos, quibus resistendi nulla facultas, quibus sola obsequii gloria relicta est, quoad ea, quæ ipsis iure debentur, nulla temporis longævitate præscribunt: quorum simplex querela, aut (ut Andreæ verbo utamur) sola *murmuratio* satis est superque, ut ius suum sartum tectum, illæsumque conservent, Andr. cap. 1. quæ sint regalia n. 62. ibi. *Et si non expressa, tacita murmuratio, ratio murmurans, impedit quodammodo præscriptionem apud Deum.* Quod sæpe repetit, subiicitque, non posse Principes se tueri præscriptione, quidquid sit de Iure civili inter pares, & qui possunt

possunt habere, & habent copiam Iudicis: *Iure Divino, quanto diuturnius est peccatum, tanto gravius. Deus ista non respicit, maxime quia contra potentes, impotentes non de facili, imo non sine damno eorum conquererentur, quibus pares esse non possimus, ff. de alienatione iudicij l. 3.* & statim: *peccatis nostris exigentibus multa vidimus, & quotidie videmus in Prælatis magnis, & Principibus dominantibus voluntate*. Ubi Episcopus Liparulus verbo *copiam Iudicis*, ait hanc esse rationem, cur Rex adversus subditos non præscribat, *quia non habent illi superiorem alium, quem adeant*. Quibus adstipulantur Capyc. *in Investitura Feudali verb. collectis fol.* 117. Avendan. *de exequend. mandatis cap. 4. par.* 2. Capiblanc. *de Baronibus Pragm.* 1. *n.* 212. Doctissimus Reg. Moles §. 3. *quæst.* 8. *num.* 56. qui hoc comprobat auctoritate Io: Andr. *in cap. quod latenter extra de regulis juris*, Io: Fab. *in §. æquè si agat institutionibus de actionibus, & in §. retinendæ institutionibus de interdictis*, Boer. *decis.* 132.

Quocirca tot expostulationes majorum nostrorum apud suos Reges, preces sæpenumerò iis porrectæ, ut ut tempus frustra consumpserint, concessiones etsi effectu vacuæ, querelæ, vociferationes, non modo nobis officere non possunt; sed potius convincunt, nostros proceres, ac cives, jus suum intactum ad posteros transmisisse.

Neque verendum est, quin Invictissimus Rex CAROLUS TERTIUS, qui nos tot honoribus, dignitatibus, ac beneficiis amplificaverit, qui tam liberalem, ac propensum erga nos se præstiterit, & omnium sua benignitate adeò mentes devinxerit, ut nemo sit, qui pro eo fortunas suas, ac vitam effundere compendium non ducat; eâ, qua præditus est clementia, longanimitate, & humanitate, effecturus sit, ut in collatione etiam regalium beneficiorum, & quorum sua est concessio, ejus munificentissimum animum experiamur; & quod Serenissimi decessores sui Carolus Cæsar, & Philippus Secundus exorsi sunt, perficiat: tandemque nos in eo, quod tandiù flagrantissimè concupivimus in tanta,

qua

qua sub ejus dulcissimo imperio in præsentia fruimur felicitate, votorum compotes fiamus.

Ut autem primum obiectum inane est, ita secundum inanissimum. Quantum sibi arrogaverint in Antistitum electionibus, & omni re beneficiaria Græci Imperatores, cum Regnum Neapolitanum eis pareret, nemo vel mediocriter in historia Ecclesiastica versatus est, qui ignoret. Notæ sunt Græculorum serviles assentationes, quibus Principibus suis totius Ecclesiasticæ disciplinæ summam deferebant, cuius rei documento esse possunt, vel sola verba Demetrii Chomateni Bulgariæ Archiepiscopi in responsione prima ad Cabasilam *lib.* 5. iuris Græco Romani, ὁ βασιλεὺς γὰρ οἷα κοινὸς τῶν ἐκκλησιῶν ἐπιστημονάρχης καὶ ὢν, καὶ ὀνομαζόμενος, ταῖς συνοδικαῖς γνώμαις ἐπιστατεῖ, καὶ τὸ κῦρος ταύταις χαρίζεται, ἐκκλησιαστικὰς τάξεις ῥυθμίζει, καὶ νομοθετεῖ βίῳ, καὶ πολιτείᾳ τῶν τῷ βήματος, ἔτι μὴν, καὶ δίκαις ἐπισκόπων, καὶ κληρικῶν, καὶ πρός γε χηρευουσῶν ψήφοις ἐκκλησιῶν. *Imperator, ut communis Ecclesiæ Epistimonarcha existens, & dictus, Synodalibuss præest sententijs, & robur tribuit, Ecclesiasticos ordines componit, & legem dat vitæ, politiæque eorum qui altari serviunt: hoc amplius, & judicijs Episcoporum, & Clericorum, & Vacantium Ecclesiarum electionibus.* Quam potestatem usurpabant Imperatores, & eorum Præfecti, qui Regio nomine erant insigniti, testibus Nicepharo, *lib. 7. de Irene Imperatrice, Divo Gregorio lib. 12.epist:32. & Gothofrido Viterbiensi*, etiam in Regno Siciliæ, ut palam est ex epistola Paschalis impressa *in cap.significasti de elect. & elect. potest.* inscripta Archiepiscopo Panormitano: Hanc epistolam Paschali I. qui Ecclesiam rexit ab anno 817. usque ad anum 823. tribuunt Vincentius Litara *in orat.de primatu Ecclesiæ Panor.* D. Rochus Pirrus *tom.1. Siciliæ in notit. Ecclesiæ Panormit. fol.77.* & post eos Gonzal. in qua improbat, damnatque translationes Episcoporum factas nutu Regio, ibi; *Quid super Episcoporum translationibus loquar, quæ apud vos non authoritate apostolica, sed nutu Regio præsumuntur?* cujus initio ait, etiam *Reges, & majores Regni admiratione permotos*, quod pa-

lium

lium ab Apocrisiariis suis fuisset Panormitano Archiepiscopo oblatum, dummodo sacramento, quod scriptum detulerant, iuxta formulam a Summo Pontifice conceptam, se obstringeret.

Sin autem auctorem ejus epistolæ fecerimus non Paschalem Primum, sed secundum, qui Ecclesiæ præfuit ex *anno* 1100. usque ad annum 1117. quod visum Baronio anno 1102. Piccol. *2.par. hist. cap.7. ad fin.* patebit, eadem potestate usum Rogerium Primum Siciliæ Regem. Sanè & ipse, & prædecessores sui, qui nomine Ducum Apuliæ dominati sunt, ex legitima auctoritate, & Pontificia concessione, jus conferendi Ecclesiastica Beneficia habuere, ut testatur Glos. caus. 16. quæst. 7. in princ. verb. Eccles. ibi. *Dic ergo, quod qui Ecclesiam consequitur a Laico, ipso jure suspensus est, argum. infra eadem Decimas, & c. Constitutiones, & c. si quis deinceps, nisi authoritate Papæ habeat laicus Investituras, sicut Dux Apuliæ, tunc potest dare, cui vult præter authoritatem Episcopi. infra eodem. nemini; & in c. concilia §. hinc etiam in verb. reverentiam in fin. 17. dist.* quod etiam notarunt Panormitanus in *cap. præterea de jure patron.* Petrus Gregor. in syntagm. jur. p. 2. lib. 17. cap. 7. n. 21. ibi. *Et Rex Apuliæ, cui vult, dat beneficia, & Vngariæ Rex quoque*, allegans glos. loc. cit. & Bald. *in l. rescripta 7. Cod. de precibus Imperatori offerend.* Renat. Choppin. *de sacr. politia lib. 1.* Marin. de Caramanic. in proœm. constitution. Regni col. 4. n. 50. & 60. *Et exinde probatur plurimorum consuetudo Regnorum, secundum quam Rex confert beneficia Ecclesiastica: & habet in certis Ecclesijs Regni sui jus Investituræ, sicut olim fuit, & hodie est in Regno Siciliæ, ut notatur in cap. quod autem 16. q. 2. in princ. in gloss. ordin. quæ incipit, hoc in 7. q. & c. ubi hoc tangitur de Rege Apulo*: Andr. similiter *in proœm. n. 60.* Afflict. ad constitution. Regni, *in præludiis q. 18. n. 1. & 2.*

Quam facultatem investituras faciendi de beneficiis Ecclesiasticis, posse ex concessione, aut privilegio Summi Pontificis in laicum transferri, inter omnes constat, ut Petr. Gregor. scribit *d. cap. 7. n. 18.* cum etiam *ex cap. 2. differ.*

dile,

dilecto de testibus appareat, mulierem Flandriæ Comitem eo donatam fuisse: ex quo & ex Abb. Io: Andr. Cardin. Zabarell. Alberic. de Rosat. Boer. Arnulpho Ruzeo, non modo Principibus, & aliis quibuslibet laicis, sed etiam fœminæ ex Sedis Apostolicæ privilegio, jus conferendi præbendas, & alia Ecclesiastica beneficia, acquiri posse, probat Lagunez *de fructibus p. 1. cap. 31. §. 2. n.* 109. De eo satis non convenit, àn idem jus laici præscriptione, aut consuetudine, cuius initii memoria non extet, assequi possint; siquidem Io: Andr. *in cap. 2. de præbend. in 6.* Abb. *in cap. quanto in primo notab. de consuetud. & in cap. cum Apost. in fin. de iis, quæ fiunt a Prælato, &c.* nullam temporis longinquitatem eis suffragari opinantur: at verò Boer. *decis. 32. num.* 9. ex Alberic. Archidiac. & aliis vetustis Interpretibus, ac Auctoribus, & Arnulph. Ruz. *de Iur. Regal. §. 4. sit opinio per tot.* contra sentiunt: licet Auctorum Gallorum suspectam fidem in hac quæstione, quippe qui pro jure Regal. tanquam pro aris, & focis pugnare soliti sint, putet Lagunez *loc. cit.* de qua re videndus etiam Corset. *de potest. Reg. n. 9. &* 12. Sed quidquid sit de aliis laicis, de quibus *cap. Messana, & cap. Sacrosancta de elect.* in horum censu Reges non sunt, qui inaugurationis tempore, sacro oleo delibuti, *cap. 1. de sacr. unct.* hujus sacræ unctionis virtute, videntur quodammodo fieri capaces, & participes, quorum privati, ac merè laici incapaces omnino sunt, Ic: Monac. *in cap. 2. de præbend. lib. 6.* Bald. *in d. l. rescripta Cod. de precib. Imperatori offerend.* ubi inquit ex consuetudine, quæ omnium memoriam exsuperet, posse Jus Regibus competere conferendi præbendas, & beneficia, quod Regum Hungariæ, & Angliæ exemplo confirmat Alex. *in 4. vol. cons. 74. viso puncto diligenti in 3. col.* Archidiac. *in cap. hortamur in princ. in 4. col. 61. distinct.* & de Regibus Siciliæ id nominatim astruunt Marin. de Caramanic. *loc. cit. n.* 50. & 60. qui cum dixisset: *legitur, quod Sacerdotium, & Imperium ex uno, eodemque principio processerant, ut in præalleg. Auth. quomodo opor. in princ. Nec*

mul-

multum differunt ab alterutro Sacerdotium, & Imperium, ut in Authent. de non alienan. §. scimus collat. 2. subnectit, Reges mere laicos non esse, quia fuerunt aliquando, scilicet considerato initio, etiam Sacerdotes, & adhuc retinent signa Pontificis. *Unde* (prosequitur) *Non est mirum si spiritualia ipsa specialiter in Regibus acceptentur, tum quia juvantur primordio Sacerdotij, ut argum. ff. de leg. 2. cum filius §. hæres meus, tum in memoriam ipsius primi Sacerdotalis dominij, ut arg. ff. de quæst. l. unius §. servus cum sim. tum etiam, quia adhuc habent eiusdem reliquias, ut arg. ff. de his, qui sunt sui, vel alie. jur. l. patre furioso.* Quod etiam innuit Andr. loc. cit. n. 40. ibi: *quantumcumque non dicatur Rex merè laicus, quia consecrationem suscepit*, & infra; *sed in Rege qui non est merè laicus præscripta consuetudo fortè valeret*: quod solum præstare poterit Regibus sacra unctio secundum Auctores allegatos, quæ etiam præter duas illas causas, ob quas solet ab Ecclesia adhiberi, nempe ob procurandam Principibus reverentiam, & subsidia divinæ gratiæ impetranda; eis incitamento esse debet, ut tuitionem canonum non negligant: quamvis fœdissima adulatio Græcorum eò progressa fuerit, ut impiè nimis, sacræ unctioni vim tribuerint peccata delendi; & docendi munus non minus Imperatoris proprium, quam Patriarchæ asseruerint διὰ τὴν τοῦ ἁγίου χρίσματος δύναμιν, ut loquitur Balsamo: licet Affl ct. d. q. 28. n. 5. hoc quod de collatione beneficiorum dictum est, verum intelligat, si Princeps alleget Papæ privilegium, & probet consuetudinem vetustissimam ex Alexand. *d. cons.* 74. Sed nobis de hac opinionũ varietate anxiè inquirendum non est, cum Ius Regum Apuliæ non minus consuetudine, cujus initium ignoratur, quam Pontificia concessione munitum fuerit, ut restatur Glos. & alii Auctores laudati. Fortasse huic rei causam dedit, quod Duces Apuliæ, & antiqui Reges nostri, & Ecclesias pene omnes struxerint, quæ ab iis immensis opibus fuerunt auctæ, & beneficia instituerint. Confert, quod scribit Geofred. *Hispan. illustrat. pag.* 333. qui refert, a Comite Rogerio magna ex

... 2. differ. Fff 2 par-

parte Siciliæ Episcopatus fuisse erectos, qua de causa cum Episcopos nominasse.

Similiter quoad electiones in Cathedralibus Ecclesiis, licet jure, quod in iis habebant Reges Siciliæ ceciderint, vel se excluserint, nihilominus id retinuerunt, ut electus Episcopus non posset throno admoveri, nisi priùs ab eis præstaretur assensus, quemadmodum anno 1159. convenit inter Adrianum Quartum, & Guglielmum Regem, & patet tam ex literis Summi Pontificis, in quibus hæc habentur: *Electiones secundùm Deum per totum Regnum Canonicè fiant de talibus quidem personis, quibus vos, & hæredes vestri requisitum a nobis præbere debeatis assensum*, Baron. *an.* 1097. *num.* 66. *& an.* 1156. *num.* 5. quam ex Regis literis, in quibus hæc offendimus: *De electionibus quidem ita fiet. Clerici conveniant in personam idoneam, & illud inter se secretum habebunt, donec personam illam excellentiæ nostræ pronuncient; & si persona illa de proditoribus, aut inimicis nostris, aut hæredum nostrorum non fuerit, aut magnificentiæ nostræ non extiterit odiosa, assensum præstabimus*, Baron. loc. cit. Eodem modo refert Antoninus Florentin. Archiepisc. & ex eo Michael Roussel. *Histor. Pontific. lib.* 2. *cap.* 7. *nu.* 41. cum Constantia Henrici Sexti vidua, & Friderici secundi mater, ac tutrix peteret ab Innocentio Tertio, ut Regno Siciliæ, Ducatu Apuliæ, & Principatu Capuæ filium investiret, respondisse istum, operæ pretium esse, ut illis Capitulis renunciaret, quæ dicebat derogare non solum Apostolicæ dignitati, sed etiam Ecclesiasticæ authoritati: nec oblatis muneribus vinci potuisse, ut investituram concederet, antequam hoc præstitisset: concesso dumtaxat, quemadmodum ex ejus epistola patet, ut Capitulum de morte Episcopi ad Regem rescriberet, deinde successorem eligeret: Electus vero non ante throno imponeretur, quam Regis assensus exploratus fuisset, nec administrationem Episcopalem præsumeret, nisi confirmatus a Pontifice, Baron. *anno* 1097. *n.* 71. 72. *&* 73.

Hanc prærogativam, ut in electionibus Regius requi-

requireretur assensus ratam habuit, & verbis, ac exemplis firmavit Innocentius Tertius, cum tanquam Balius, ac Tutor Friderici II. pupilli Regnum hoc administraret, & gubernaret, quomodo illius clavum tenuisse narrant Spondan. post Baron. anno 1198. n. 6. D. Roc. Pirr. *tom. 1. Sicil. Sacr. cap. de electionib. Præs. n. 6.* & D. Franc. Ram. *in memorial. pro Episcop. Lusitan. proposit. ult.* §. 5. ex quo lucem accipit text. *in cap. cum inter* 18. *de electionibus*, in quo videtur Innocentius antiquis Interpretibus crucem fixisse, dum agens de electione Præsulis in Metrop. Capuana, ait se studere, *ut ipsa tam in spiritualibus, quàm in temporalibus optatum suscipiat incrementum*; quia tanquam tutor Friderici, etiam ejus in temporalibus curam habebat: & postquam Capitulo, & Canonicis præcepisset, *ut personam idoneam per electionem canonicam concorditer assumerent ad regimen Ecclesiæ Capuanæ*, adjicit: *consequenter ad nostram præsentiam nuncios idoneos transmissuri, per quos a nobis vice Regia postuletis assensum*, quia nimirum ab eo concedendus erat assensus vice Regia tanquam tutore Friderici pupilli: quem sensum in præcedenti Capite *qualiter eodem titulo*, in quo tractatur de eligendo Episcopo in Ecclesia Pennensi, etiam habent ea verba, *electum ipsum nobis postea præsentetis, a nobis, ut dignum fuerit vice Regia petituri consensum, &c.* Quod & in omnibus aliis electionibus ab eodem Pontifice servatum fuit religiosissimè, ut videre est ex alia epistola ipsius Innocentii transmissa ad Clerum, & Populum Rhegiensem, ibi: *Cumque ad prædicti Cardinalis* (erát is Diaconus Cardinalis Sanctæ Mariæ in Porticu, cui in principio earundem literarum, ait Innocentius, tam circa Baliatum Regni, quàm circa officium legationis vices suas commisisse) *præsentiam accessissent, ut ab eo tam assensum, quàm confirmationem etiam obtinerent, ipse assensum ei regia vice concedens, & electionem examinans, cum eandem invenisset canonicè, & de persona idonea celebratam, auctoritate Apostolica confirmavit*: & ex epist. 232. lib. 2. ad Populum Capuan. ex epist. 242. & gestis ejusdem Innocentii pag. 10. & 20. & advertit Florens *ad tit. de electión.* Et

Et quamvis idem Imperator major factus, jus Episcopos eligendi repetierit, quod diceret, illud Reges Siciliæ, & Matrem suam Constantiam peculiare semper habuisse, ut ait Roussell. loc. cit. attamen anno 1213. edicto suo libertatem electionum restituit, ac reduxit, quam ait a decessoribus suis fuisse oppressam; sed in eo edicto facultatem assensum præstandi a se non abiicit, cuius nullam in eo mentionem fecit. Quare cum in anno 1226. conquestus fuerit cum Honorio Tertio, quod Episcopatus Siciliæ dedisset se inconsulto, ut refert Raynaldus anno 1226. n.8. verosimile est de sui juris imminutione sensisse, quod nimirum suus non fuisset expetitus assensus. Sed postquam de Friderico mentio incidit, liceat hic adnotare, unam ex causis, ob quas Fridericus a Gregorio Nono fuit sacris interdictus, fuisse, quod in Ecclesiis extraneos Episcopos per vim collocaret, non permissa libera electione ex illarum sinu. Nec enim aliter potest accipi quod ait Gregorius de adulterinis amplexibus epist. 12. ibi; *Ecclesiis Pastore viduatis non permittit sibi sponsum eligere, viduitatis vestimenta deponere, donec alicujus adulterinis amplexibus per compulsionem extiterint copulatæ*. Hac enim loquendi forma utitur Innocentius Tertius *d.c.19.de elect.* ut exprimat, extraneos in Episcopatum insilientes, quos ait ingeri ex adulterio, ibi; *præsertim cum illud decretum locum habere videatur, quando Clericis renitentibus, & invitis per alicujus violentiam potestatis extraneus ingeritur ex adulterio, &c.* quia nimirum, aliena sponsa fruuntur, qua de causa Gregorius Nazianzenus, cum ei vitio verteretur affectatio Cpnæ Cathedræ, ajebat se non cupiditate flagrare γυναικὸς ἀλλοτρίας *alienæ uxoris*, ut supra scripsimus.

Cum autem Urbanus, & Clemens IV. ad Regnum vocassent Carolum I. Andegavensem, inter pacta cum Clemente inita, fuit hoc conventum in primis, ut consensus hic, qui antea semper fuerat necessarius, in posterum exposcendus non esset: eo tamen expresso, ut denunciatio mortis Prælati fieret, si id moris esset, ut ex Raynald.

anno

anno 1253. n.3. *Denunciatio mortis Prælati Regi fiat, si fieri consuevit, sed eius consilium, vel consensus in prædictis non requiratur, nec ante electionem, nec post electionem*. Quæ conditio expressim apposita fuit in investitura eidem Regi concessa; *nec ante electionem, sive in electione, vel post Regius assensus, vel consilium aliquatenus requiratur, quam utique libertatem vos, & vestri hæredes semper manutenebitis*, ut paret ex dicta investitura, & ex Raynaldo anno 1265. n. 19. Spicil. tom.9. pag.238.

Sed hæc conditio respicit Ecclesias Cathedrales, & Antistites illis præficiendos, qui ut Cathedram conscendere possent, præcedere debebat Regius assensus; hoc fuit ea investitura sublatum etiam in Ecclesia Capuana, in qua, ad interpretationem dicti Capituli *Cum inter*, rectè suspicabatur Andreas, fuisse postulatum assensum Regis tanquam Regis, non tanquam patroni. Cæterum quoad collationem aliorum beneficiorum nihil fuit ea investitura immutatum. Unde cum Marin. de Caramanic. loc.cit. dixisset: *Reges Siciliæ contulisse Ecclesiastica beneficia, & habuisse jus investituræ in Ecclesiis Regni*, eo adiecto *licet hodie per capitula concessionis Regni tollatur*, quod refertur ad electiones, sive præsentationes in Ecclesiis Cathedralibus; Isernia ita hoc dictum temperat, ut de iis accipi debeat, non autem de collatione aliorum beneficiorum, in quibus nihil fuit innovatum: *Attende quia non per omnia tolluntur illa capitula concessa Regno, in investitura per Ecclesiam Romanam facta Regi Carolo Primo Regni Siciliæ; olim præsentabant, & investiebant de beneficiis Ecclesiasticis, & conferebant ea per privilegia Papalia, quæ possunt hoc concedere laico, etiam sine consensu Episcopi ordinarii Diœcesani, sicut dicit glos. hic allegata 17. q.7. cap. placuit in princ. & in cap. nemini Regum. Quod concessit Papa Imperatori de Papatu etiam 63. distinct. Adrian. & cap. in Synodo, & cap. fin. Unde & præsentabantur Regibus Siciliæ electiones Cathedralium Ecclesiarum, & hoc tollitur per dictum c. omnes insuper Ecclesiæ, &c.* Quod apertiùs scripsit Afflict. d.q.18. n.6. *Attende quia dicit hic Andr. quod non per omnia tolluntur per Ecclesiam Roman. Regi Carolo Primo*

per-

per capitula contenta in investitura, Regni privilegia, quæ Papa concessit Regibus hujus Regni de conferendis beneficijs Ecclesiasticis sine consensu Episcopi scilicet; sed per Sedem Apostolicam in dict. cap. fuit sublatum illud, videlicet, quia Regibus hujus Regni olim præsentabantur electiones Cathedralium Ecclesiarum, & ipse præstabat suum assensum.

Ex investiturarum concessione, quodnam jus quæsitum fuerit Romanæ Sedi, quonam titulo illa nitatur, an Regnum ei subjici, & vectigale fieri potuerit, nobis hic disceptandum non est. Satis hanc Spartam ornarunt viri doctissimi, ita ut nihil alienæ industriæ reliquum fecerint.

Disquisitionem, an Invictissimis Austriacis Regibus jus suum deducendum sit a Regibus Andegavensibus, in aliud tempus reservamus, qui justissimè illud repetere possunt a Corradino, cum ab eo, chirotheca projecta, institutus hæres in Regno fuerit Federicus Castellæ, amitæ suæ filius: quæ chyroteca tradita fuit Petro Aragoneo avunculo etiam ab eo ad Regni successionem vocato, ac hæredi nuncupato, ut post Aventinum scribit Besoldus de Regno Siciliæ, & Neapol. *c.3.a.*1269.*fol.*681.

Illud verò prætereundum non duximus, non esse in Regis potestate positum, jura sceptri sui, sive Regni cedere, aut quovis modo distrahere, aut lædere, ipsis Summis Pontificibus hoc testatum facientibus, ut ex constitutione Honorii III. ad Colossensem Archiepiscopum scripta *c. intellecto 33. de jurejur.* quo habetur, Regem Hungariæ, qui aliorum Regum more, cum Regnum auspicatus fuerat, se non passurū ut jura, & honos Coronæ minueretur, Sacramentum emiserat; nihil agere postea, si quidpiam ex iis alienet, licet alienationem semper ratam se habiturū juratò spoponderit; quod prius juramentum legitimum posteriori illegitimo prævaleat. Quam legem Jacobus Cujacius de hac re consultus in aula Regis, respondit, esse generalem omnium Regnorum, quæ cum ipsis Regnis ortum habuerit, & quasi jus gentium. *Respondi nullam esse legem specialem, quæ id prohibuisset, sed hanc esse legem*

legem generalem omnium Regnorum, cum ipsis Regnis natam, & quasi jus gentium, jus quod & initio Regni Rex quisque jurare, & ferre quodammodo solitus esset, ut in Institutionibus de lege Regia dicitur, sive de Augusta, cum ipso Imperio natam eam esse. Cum quo sentiunt Petrus Gregorius de Republica, qui multum profecit ex Maximiliano Aschaffemburg. in Consilio pro ærario, *ordine* 537. & 132. & 778. *cum seqq.* & 1548. *cum seqq.* Althusius *Politices cap.* 24. *ex nu.* 35. & *cap.* 37. *ex n.* 44. Arumæus *de Jure public. tom.* 1. *discept.* 13. Knichen *de Saxonic. non provoc. Jur. Glossa Ducum Saxo n. c.* 7. Tobias Pautmeisterus *lib.* 2. *de Jurisdict. c.* 4. Chopp. *de Domanio Franc. lib.* 1. *tit.* 1. *ex num.* 19. & *tit.* 2. & *lib.* 2. *tit.* 1. & 14. *num.* 26. & *seqq.* Vasq. *lib.* 1. *Illustr. cap.* 4. *ex num.* 1. Covarruv. *cap. quamvis pactum* 2. *par.* 2. §. 2. *num.* 4. Molin. *de primogen. lib.* 1. *cap.* 3. *num.* 17. Barbos. *de Offic. Episc.* 1. *par. tit.* 3. *cap.* 2. *num.* 70. & *seqq.* Ioseph. de Retes *de donat. cap.* 13. *n.* 9. Zypæus ad Cassanum *lib.* 2. *cap.* 12. Castillo de Tertiis *cap.* 7. ut mittam Hotmannum, Grotium, Bonitium, Arnisæum, Besoldum, Bodinum, aliosque. Quod cum non obscurum esset Hispanis Regibus, in eorum testamentis nihil magis eorum successoribus inculcarunt, quam ut recuperarent, quod ex Regni juribus fuerat abscissum, aut in alios translatum, ut videre est apud Zuritam, Marianam, Navarrettum, Sandovalium, Phœbum; nihilque magis in Comitiis, in eorum Imperio habitis, cautum fuit, testibus Gometio Toletano, Chabrera, Colmenaras. Horum autem jurium nihil speciosius, quam quod ad Patronatus spectat, & assensum in electionibus Episcoporum præstandum; adeo ut Arnisæus de Jure Majestatis *lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 13. *in fin.* ex Carolo Sigonio scripserit, Henricum Quintum Imperatorem investituris Episcopatuum renunciando, procul dubio dimidia sui parte Imperium deterius reddidisse. Unde cum Petrus Secundus Aragoniæ Rex patronatus Ecclesiarum sui Regni Summo Pontifici Innocentio III. cessisset; itaut ipso inconsulto Episcoporum creatio fieri posset, adversus hujusmodi abdica-

tionem Comitia sui Regni intercessere, ejusque successores reclamarunt, ut tradit Lucius Marinæus Siculus de rebus Hispaniæ lib. 10. in Petro Primo Aragoniæ Rege ibi: *Renuntiavit Romæ Rex etiam jura patronatus omnium Ecclesiarum sui Principatus*, & mox: *Verum enim vero nobiles Aragonum, Barcinonæque Principatus, omnes de renuntiatione juris patronatus, quod eis, & omnibus populis Principatus nocitura videbatur, uno ore reclamarunt, seque voluntati, & renuntiationi Regis de jure patronatus, non assentiri publicis instructionibus testati fuere*. Quod & memoriæ proditum a Roussellio lib. 2. Historiæ Pontificiæ Iurisdict. cap. 6. n. 31. Zurita tom. 6. Annal. Aragoniæ lib. 2. cap. 51. in fin.

Sed non obstantibus conditionibus, quæ in investituris insertæ fuere, præter jus alia beneficia concedendi, cujus ut innuimus jacturam non fecere, certum est duo veluti ex magno naufragio tabulas, aut reliquias, Regibus Neapolitanis superfuisse: unum, ut possent præsentare in Ecclesiis, sive Cathedralibus, sive Collegiatis, in quibus habebant jus patronatus, ut ajunt Andreas *loc. cit. & num. 10. aut ergo patronatus, & num. 30. vers. in Ecclesia verò Collegiata*, & Afflict. *d. quæst. 18. in fin.* quam facultatem supremis Principibus competere, vel ex causa constructionis Ecclesiarum, vel quia dotem eis constituerint, astruunt auctores laudati a Lagunez *loc. cit. n. 84.* quamvis non desint auctores, & quidem magni nominis, quibus visum fuit, Reges generaliter patronos esse Ecclesiarum Cathedralium sui Regni, & hac de causa posse in harum præbendis ab iis præsentationes fieri: Archidiaconus *in can. lectis 63. distinct.* Baldus *in cap. quanto de Iudic. colum. ult. & in proœmio decretal. §. Rex Pacificus num.* 12. Dominicus, Cardinalis, Alexand. *dict. can. lectis*, Schuiffius *consil. 72. num. 10. centuria* 10. Martinus Magerus *de Advoc. armata cap. 8. num. 658.* Corsetus *de excellentia Regis quæst. 34.* Paris de Puteo *de Syndicatu verbo Civilitas cap. 2. n. 5.* Martinus Lauensis *de Princip. quæst. 74.* quos impugnat Lagunez *d. loc. 68. nu. 87.* alterum, ut possent contra electum, vel a Capitulis, vel a Summo

Pon-

Pontifice excipere, eumque rejicere, vel quia proditionis notam incurrisset, vel quod hostibus adhæreret, vel quod ejus suspectam haberent fidem, aut timerent evenire posse, ut per eum arcana Regni patefierent, ut tradunt Andreas loc. cit. num. 60. *Sed hodie si Rex vellet excipere contra electum in Cathedrali Ecclesia Regni sui, dicens eum suspectum sibi de proditione, & sua interesse, potest*, & Afflict.d. quæst.18. n.7. *Bene tamen est in viridi observantia in Regno, quod si Papa facit aliquem Episcopum in Regno, Rex potest dicere Papa, non accepto eum in Episcopum, quia habeo ipsum suspectum de proditione, vel propter aliud ejus interesse, non compellitur ipsum admittere, imò tenetur Papa providere de alio Episcopo non suspecto Regi, sive habeat in illa Ecclesia jus patronatus, sive non*. Quod convallat auctoritate Innocentii, cui maximè deferendum est, Ioannis Andreæ, Antonii de Butrio, Hostiensis, Dominici de S. Geminiano, & præcipuè Abb. in c. 1. & cap. cum in jure 3. col. de elect. qui ait, *Principem posse contra electum objicere, quod sibi suspectus in regimine, nec teneri eum admittere prælatum, de quo non possit confidere, ne forte revelet adversario secreta Regni, concludens, & sic potest non admittere provisum a Papa*. Quibus consentiunt Salzedo *de leg. politic. lib. 6. cap. 8. num.* 31. Martinus Uranius *in cap. petitio num. 3. de testibus*, Probus *de jure Regalia quæst. 35. num.* 10. Cabedo *de Patronatu Regiæ Coronæ cap. 37. num.* 5. Schraderus *de Feudis part. 9. cap. 5. num.* 43. Suarez *allegat.* 8. *num.* 14. Petrus Gregorius *de elect. cap. 5. num. 21. & cap. 19. num. 15. versic. potest etiam*, Vivianus *de jure Patronatus lib. 2. cap. 9. num.* 20. Menochius *de jurisdict. Ecclesiast. & Sæculari tom. 2. lib. 3. cap.* 29. Michael Roussellius *lib. 2. Historiæ Pontificiæ jurisdiction. cap. 5. num.* 25. Anastasius Germonius *de Sacrorum immunit. lib. 3. cap. 11. ex num. 21. & 24.* ibi: *Interest siquidem Principis infensum non habere Antistitem*; Iulius Lavorius de elect. Canonic. tit. 4. cap. num. 56. ubi constantissimè affirmat, posse Principes intercedere, *si sua interesse putaverint, electionem non fieri de aliqua persona; & posse appo-*

2. differ. nere

nere contra electum, ne confirmetur, eo quod sit ipsis suspectus de proditione, ant revelatione secretorum, aut perturbatione publici status. Azor. 2. *par. instit. lib. 6. cap. 14. vers. quæres* Belletus *disquis. Cleric. par. 1. tit. de favore Cleric. person.* §.5.*n*.4.

Hinc legati Mediolanenses in Oratione ad Clementem Summum Pontificem apud Tristanum Calchum lib. 16. Histor. Patriæ, cur non recepissent Archiepiscopum Vicecomitem; hanc causam præferunt: *Contradiximus fateor edicto Pontificio, designatumque Episcopum recusavimus, non ut Majestati vestræ derogaremus, sed ne hic sub nomine, & potestate Sacerdotii excidium Patriæ moliretur:* & infra: *Interest nimium, Pater Beatissime, non tam Sacrorum, & Religionis, quam publicæ quietis, qualem Præsulem sortiamur; quò enim se Pastor noster inclinaverit, eò Imperia, & opes stetere.* Qua de re videndus etiam Ripamontius lib. 2. Histor. Patriæ, & in Historia Eccles. Mediolanens. 2. part. lib.5. Et quominus Cardinalis Allebretensis in Episcopatum Pompejopolis restitueretur, id causæ fuit, quod refert Gometius Toletanus in Vita Cardinalis Ximenii lib. 6. iis verbis: *Nequaquam Reipublicæ convenire, hominem alienissimum Provinciæ proventibus in nostrorum caput armare, unde procul dubio motus perniciosi erant emersuri.*

Quod & libenter admiserunt ipsi Pontifices Maximi, nec in suæ auctoritatis, aut libertatis Ecclesiasticæ injuriam cedere, nec obviare Canonicis institutis, immò iis maximè conformari, existimarunt, ut ex his, quæ hactenus exaravimus facilè est cognitu, & ex epistola Innocentii Tertii lib. 1. epistol. decretal ad Ædern. Pictaviensem Episcopum ibi: *Ne ipsa persona, in quam vota electorum convenissent, Regi ex certa ratione suspecta existeret,* ex epistola 2. Innocentii Quarti ad Henricum Regem Angliæ, & epist. 17. Gregorii Noni ad Fridericum Secundum, qui quamvis suis flagitiis illius iram, & pœnarum acerbitatem, rigoremque in se provocasset, attamen hoc non obstante Summus Pontifex professus fuit sibi in animo non esse *promovere suspectos.*

Quod

Quod ut in quæstionem vocari non posset in hoc Regno, explicatum fuit Bullâ Pont. maximi Nicolai IV. sub die 28. Junii 1288. qua in gratiam Caroli Secundi Andegavensis comprehensum est, ut non possent ad Archiepiscopatus, Episcopatus, aut alias dignitates ascendere in Ecclesiis Regni, de quibus aliquid Rex suspicari posset.

Quapropter cum Pastore destituta Miletensi Ecclesia, discordantibus votis, & Canonicorum studiis varias in partes distractis, a quibusdam electus fuisset Andreas Abbas Monasterii Sancti Stephani familiaris, & Capellanus Regis, ab aliis verò Manfredus de Cifono Canonicus ejusdem Ecclesiæ, & de hac re esset lis, & altercatio coram Landulfo Cardinali Sancti Angeli Sedis Apostolicæ Legato; cum Carolus Secundus interpellavit, ut electionem Abbatis, cui maxime fidere poterat, confirmaret, excluso Manfredo, qui inimicorum partes fuerat secutus.

Urgeant ut velint, in investitura Alphonsi Primi Aragonei Regis, ab Eugenio IV. eandem conditionem ut liberæ essent electiones, neque in iis regia voluntas, & assensus expectari deberet, repetitam fuisse; dummodo ingenuè, ac candidè confiteantur, eundem Pontificem eius bulla sub die 13. Decembris 1443. cùm exposuisset Alphonsus, semper in Regno Neapolit. licitum fuisse Principibus, Prælatos, aut qui ad alias dignitates promoverentur, non recipere, si fortasse essent incogniti, & verosimiliter suspecti, si non vitæ meritis, prudentia, ac fide undequaque probati: libentissimè consensisse, ut idem ei liceret, si ius, aut consuetudo ipsi assisteret, nihil obstantibus quibuslibet pactis, aut clausulis in Investitura appositis.

Quapropter a Summo Pontifice Nicolao V. cum ordinatus fuisset Episcopus Terracinensis Alexander Cajetanus, Alphonsus scripta epistola, in qua illum non sibi acceptum, & civibus ingratum asseverans, si ad possessionem occupandam accederet, maximum scandalum im-

minere

minere proteſtabatur; petiit ut ea Eccleſia Leonello Corteſio Subdiacono Surrentino regenda committeretur.

Poſſim vel ex ſolo Chioccarelli breviario innumera exempla depromere, ex quibus apparet, Ferdinandum Primum, Fridericum, alioſque Aragoneos, & Auſtriacos Reges, vacantibus Eccleſiis, ſi qua ipſos formido inceſſeret, poſſe electos præſules aliquid contra Regni ſecuritatem moliri, vel alia quælibet ſuſpicio de ipſorum moribus ſibi injiceretur; apud Summos Pontifices quaſi jure ſuo, ne in præfatis cathedris ſederent, interceſſiſſe, deſtinato interim Oeconomo, vel ſequeſtre, qui Epiſcopatuum poſſeſſionem caperet, & fructus exigeret: & eodem jure reperiviſſe, ut in iis conſtituerentur Antiſtites, qui ſibi a conſiliis, a ſecretis eſſent, vel aliquo inſigni teſtimonio fidem ſuam comprobaſſent. Sed cuncta perſequi ſuperſedeo, ne legentes tædio afficiam.

Addam tantummodo, ipſummet Clementem VIII. Summum Pontificem, epiſtolâ ſuâ, quam anno 1596. ad Comitem Olivarenſium tranſmiſit, teſtatum fuiſſe, morem illum in Regno ſemper coſtantiſſimè retentum, & nunquam intermiſſum, ut bullæ, ac reſcripta, aut brevia apoſtolica executioni non tradantur, niſi prius Regis Vicario ejuſque Conſilio oſtenſa fuerint, eorumque inſinuatione munita, initium ſuum accepiſſe ferveſcentibus bellis, ne Epiſcopi Regibus ſuſpecti in Eccleſiis locarentur; ut hinc clarum ſit, jure illo, quo antiquitus pollebant, ut Epiſcoporum electiones ratæ non eſſent, niſi antea principalis eliceretur aſſenſus, Reges noſtros non fuiſſe omnino dejectos. Quod poſt Franciſcum de Ponte, Rovitum, Follerium, alioſque, agnovit Ramos in ſuppici libello ad Alexandrum Septimum pro Epiſcopatibus Luſitaniæ *prop.2.n.11.in fin.*

Cæterum pactis inter Auguſtiſſimum Imperatorem Carolum V. & Clementem VII. Pontificem Maximum initis, nihil his juribus fuit derogatum. Etenim in ea conventione, cum Carolus Cæſar in Regno con-

ſue

suetum fuisse ex usu antiquissimo, ut Principes Episcopos possent nominare, ac præsentare in quatuor, ac viginti Ecclesiis obtenderet; Pontifex verò id abnueret: velut transactione rem decidentes, ut omnis in posterum controversiæ occasio præcideretur, pepigere, ut Imperator ejusque felicissimi in Regno successores, nominationem haberent in Ecclesiis, quæ in ea fuerunt expressæ, *salva potestate Apostolica Sedi liberè disponendi de reliquis Ecclesiis, ac beneficiis, exceptis his, quæ iuris patronatus existerent, juxta investiturarum formam.* Quæ verba, præterquam quod pertinent ad Ecclesias Cathedrales, de quibus tantummodo in ea conventione actum fuit; nihil novi inducunt, neque jus paciscentium aut augent, aut imminuunt, cum iis expressim ad investituras se retulerint.

Quibus præhabitis, frustra nobis investituras obtrudunt, qui alienigenis favent, & earum clausulas, quæ neutiquam possunt obesse. Nihil enim ex iis proferri potest, quod exterorum causam adjuvet, nihil quo cautum fuerit, ut ex alienis provinciis homines ad nostra Sacerdotia adsciscerentur: immò nihil, ex quo erui possit, Reges nostros jus conferendi alia beneficia Ecclesiastica (exceptis electionibus Episcoporum in Ecclesiis Cathedralibus) amisisse.

Verùm tantum abest, ut ex investituris alienigenæ subsidium petere possint, ut hæ validissima argumenta, ultra ea quæ antea deduximus, nobis subministrent, quibus omnimodo illis viam claudamus, ne nostris beneficiis, ac dignitatibus insigniantur.

Primum, quod cum semper Regibus nostris potestas fuerit ad beneficia etiam majora promotos respuendi, si forsan exploratæ sibi non essent fidei; hinc consequens fit, ut possit invictissimus Princeps noster, ne alienigenæ in Regno beneficiis potiantur, impedire: cum exteri ei meritò (his præsertim temporibus) debeant esse suspectissimi; quippe qui & possint aliquid contra rempublicam machinari, aut ejus tranquillum statum perturbare,

re; aut arcana imperii pandere: quæ una ex potissimis rationibus est cur DD. nostri peregrinos a Sacerdotiis repulerint, ut auctor est Zenzelinus antiquus canonum enarrator *in extravag. Ioannis 22. execrabilis* explanans ea verba in diversorum Regnorum partibus: quem insecutus fuit Chassan. *in Catal. glor. mund. par. 11. consid. 22.* ibi: *facit quod dicit Zenzelin.* Eximiè *Schifordegher. in vindicijs pro Episcop. Silesiæ quæst. 3.* qui ex eo quod Princeps obijcere possit, vel ex jure nominationis sibi competente, vel alia de causa eum cui beneficium collatum est, sibi esse suspectum; infert posse, ut alienigenæ omnes a beneficiis sint extranei, edicto suo decernere, cum justissimam de iis diffidendi causam habeat: *Suspectus autem omnis Principi, vel Regi esse debet, quicunque non est loci indigena, sed tantum advena, cum exteri arcana Imperij possint sollicitare, quomodo Pragmatici nostri præcipuam hanc rationem esse dicunt, ne quis exterorum ad beneficia Ecclesiastica, maxime suprema admittatur.* Quibus adnectendus Azeved. d. l. 14. lib. 1. tit. 3. novæ recop. n. 19. *Tertia principalis ratio iustificativa nostræ conclusionis est, quia Regni, & Regis interest, ne arcana eiusdem Regni, vel Regis revelentur exteris; ut dixit text. singularis in l. Mercatores C. de commer. & Mercator. ibi; ne alieni Regni, quod non convenit, scrutentur arcana. Ideo exteros non convenit habere beneficia, ut Rebu. ubi supra, & Benedict. in d. cap. Raynutius, verbo, & uxorem nom. n. 484. in parte de succesion. ab intest. juxta illud Eccles. Cum extero non facies consilium: nescis enim quid pariet: ut habetur in d. lib. 2. Regalium Franc. iure 8. in fine. Ideò iuste se opponit Rex provisioni, quæ fieret de incola alterius Regni secundum glos. in extravag. execrabilis, de præb. Ioan. XXII. vers. diversor. Regnor. ex d. celebri Innoc. ibidem allegati in cap. super his de accusat. ubi hoc notat Abb. n. 13. & Afflict. in præludijs ad constitutiones Siciliæ q. 18. nu. 7. & glos. in pragm. sanctio. in proœm. §. nam Ecclesiarum, verbo exterorum fol. 32. in parvis, & in Regalibus Franc. d. jure 8. Selva de benef. 2. part. q. fin. nnm. 18. 19. & 24. Gomesius in regul. de Idiomate q. 1. col. 2. & 3. ex eo dicens, quod licet ex omnibus nationibus eligantur*

Car-

Cardinales, minimè tamen sunt eligendi de Alemania, ne secreta Ecclesiæ Imperatoribus pandant, licet ex cap. 1. Concilii sacri Tridentini sessione 24. de reformatione in fin. verbis, id non distinguatur. Quo nomine Rex noster potest, & tenetur præcavere, ne alienigenæ in hoc Regno beneficia obtineant; quia si secus fiat, alterum sequitur, vel quod non resident, vel quod secreta Ecclesiæ, & Regni pandent. Et sic potest Rex petere repelli Episcopum promovendum in Regno non sibi fidelem: ut in l. 1. tit. 3. lib. 2. dicimus Deo favente.

Ejusdem opinionis fuere Iulius Lavorius Ecclesiasticorum jurium propugnator acerrimus, de elect. Canon. tit. 4. cap. 4. num. 57. Cujus verba sunt hujuscemodi. *Curare enim debet Princeps, ne sub religionis pretextu Respublica detrimentum aliquod patiatur, leg. 1. & 2. ff. de Colleg. illicit. & Zenzelinus in extravag. Iulii 2. execrabilis ait, quod contra promotionem, quæ fieret ad dignitatem unius Regni, de Regnicola alterius Regni, admittitur exceptio Domini temporalis, si promovendum haberet suspectum, l. si quis, l. omnes §. exploratores ff. de re militar. cap. petitio de jurejuran.* & infra: *Non enim alicui convenit scrutari arcana Regni alieni, l. mercatores Cod. de commerc. & mercatoribus*, & Anastasius Germonius de Sacrorum immunitatibus *lib. 3. cap. 11. n. 23.* qui cum retulisset, Sabaudiæ Ducibus, & Italiæ Subalpinæ Principibus juxta Canones permissum fuisse: *Ut nemo ad Cathedrales, Abbatialesve Ecclesias, quæ in ipsorum amplissimo dominio tam citra, quam ultra montes existunt, eligatur, qui eis subditus non sit, vel cujus fides illis cognita, & perspecta non existat*, subiungit. *Idque & publicæ tranquillitatis, & ipsorum Principis securitatis causa concessum, nemo ambigit.*

Et ne minutiùs DD. loca consectemur in re clarissima, una ex præcipuis causis, quæ tam in legibus Hispanorum Regum, quàm in Gallicis, & aliorum Principum constitutionibus disertissimè exprimitur, cur omne iter exteris ne beneficia Ecclesiastica obtinere possent, præcluserint, est, quia experientia compertum fuit, hos plerumque quieti Reipublicæ insidias struere, per eos arcana Regnorum propalari, divitiasque illorum ad

hostes deferri, quibus eorum vires augescant, & incrementum capiant. Uno verbo:quia exteri semper sunt suspecti,ut ex d.l.19. lib. 1. tit. 3. ordin. *E como quier que esta loable costumbre tiene fundamento, y approvacion de derecho,en favor, y dignidad, y preeminencia de nuestra real Magestad, para que no ayan las dignidades de nuestros Reynos, ni se occupen las fortalezas de las Yglesias des las personas estrangeras sospechosas a nos*. Idque satis edocuit Ramos in dicto supplici libello ad Alexandrum VII. proposit. 2. qui cum n. 9. dixisset: *Regium hoc jus, sive prærogativa non admittendi Episcopos Regi, aut Regno suspectos, utcumque electos institutosque ab Apostolica Sede, nititur in primis naturali, & politica ratione, & jure tuitionis publici Status, quietis, salutis, quam tueri nulli magis quam Principi convenire, nec alium ei rei sufficere scripsit Paulus in l. 3.ff. de Offic. Præfecti vigilum, & ne suspecto Episcopo admisso, status Civitatis vocetur in dubium, ut de Pontificia electione dixit olim Basilius Præfectus Prætorio, cujus relata verba in Synodo Romana 4. sub Symmacho, cap. 1. tomo 2. Concil. edition. Severini part. 1. & apud Gratianum in cap. benè 1. vers. quamquam 90. distinction.* profert num. 10. verba dictæ legis 19. quibus omnes exteri declarantur suspecti; & Gonzalez *cap. petitio de jurejur. lit. B.* ubi ait, jus Regium, quoad non admittendos Episcopos suspectos, niti approbatione Ecclesiæ Romanæ: & ut ostendat, qui nam sint suspecti,in medium producit verba a nobis apposita *ex l. 14. tit. 3. lib. 1. recopilat.* quæ est eadem cum dicta lege 19. ordinament. allegatq; Hostiensem in summa *tit. de elect. §. quis possit in fine*, ab suo præceptore Ramos etiam laudatum.

Secundò, quia Princeps, cui ex consuetudine denuncianda est mors Prælati,ut absque ejus consensu novi Pastoris ne fiat electio(quā consuetudinem validam esse, ipsemet Marta perpetuus Ecclesiasticæ jurisdictionis defensor, non addubitat, *de jurisd. distinct. judic. secul. & Ecclesiast. par. 4. cent. 1. cas. 47. n. 7.* & Iul. Lavor. *d. tit. 4. cap. 4. n. 58.*) potest electionem ad certum genus personarum

re-

restringere; neque hoc libertatem auferri, qua subla-ta, vitiatur electio ex *c. Abbate de verb. signif.* communibus DD. suffragiis receptum fuit. Quibus & ipse Marta assensum suum accommodavit, *par. 4. cent. 1. cas. 47. n. 17.*

Tertiò, quia etsi concesserimus, Reges nostros jure tribuendi Sacerdotia, quo eos fuisse præditos, quodque investiturarum restrictionibus eis non ablatum fuisse, fidem faciunt plenissimam Auctores relati; vel ex conniventia, ac tolerantia decidisse, vel erga Sedem Apostolicam obsequio se abdicasse, demptis aliquibus dumtaxat beneficiis, quæ etiam nunc suæ collationis sunt: ex pristina, qua utebantur, potestate, id saltem eis reliquum, ac salvum esse debet, ut exteros a nostris Episcopatibus, ac beneficiis possint excludere; quomodo ex jure, quod olim Imperatores in Germania exercebant, argumentatur Schifordegher. loc. cit. *Attamen nos cum pace omnia agemus, ita quidem, ut neque Baronius, neque Gretserus nobis succensere possint, quod ex hac Imperatoris, Regum, ac Principum potestate, reliquum esse dicamus, quò prospiciant, ne quis exterorum ad Episcopatus Regnorum suorum, & Ducatuum admittatur.* Quod repetit quæst. 4. seq.

Neque ullius momenti est tertia oppositio: quia inter causas, ac rationes, ob quas indigenæ in Ecclesiasticis beneficiis alios debent præcedere, illa maximè, ac præ cæteris pollet, ut huius capitis initio ostendimus; quod facilius evenire possit, ut illi resideant, quam exteri. Quod in Tridentina Synodo videntur prudentissimi, ac gravissimi Patres in mente habuisse, cum omnes in id consensere, ut lex de beneficiis non tribuendis, nisi civibus, saltem iis, quibus animarum cura conjuncta est, conscriberetur: quia nimirum huiusce modi beneficia, sedulam in Ecclesiis assiduitatem magis exigunt, quam illa, quæ suprascripto onere vacant. Hæc autem ratio non minus obstat Romanis Clericis quam aliis, nisi ad illud recurrere velint effugium, quod nimirum, qui in Romana Curia resider, ubique residere videatur. Sed eo excludi poterunt facillimè ex his, quæ in anteceden-

ti capite exaravimus; quia possumus nos quidem verbis ludi, *Deus autem non irridetur*: & hæ subtilitates, utcunque apud canonum detortores magis, quam Interpretes proficiant, non profuerint apud Deum, ut respondent Eminentissimus Cajetanus, Turrecremata, Fagnanus, Thomasinus, & alii, quos in præfato capite laudavimus.

Equidem Apostolorum traditiones, Conciliorum decreta, ac Patrum, sacrorum canonum dispositio, nullum discrimen inter antedictos Clericos, aliosque constituunt. Vetustissima consuetudo, quæ ab ipso Servatore nostro, ejusque discipulis ortum habuit, & ab iis ad posteros manavit, quod ad rem nostram attinet, illos non distinxit. Præcipua ex rationibus, qua utuntur sacri canones ob id, de quo quæritur privilegium stabiliendum, est quod iniquum sit, ut quis fruatur alienis stipendiis, aliis suorum laborum fructum intercipiat, & illius Ecclesiæ reditus, cui nullam operam præbuit, & cui penitus ignotus est occupet, exclusis; qui eam diu excoluere, *ut ex cap. nullus 61. dist.* Hanc rationem urgent quammaximè Auctores, qui nostram quęstionem pertractant, eamque tertio quoque verbo inculcare soliti sunt. Hæc autem ratio non modo Clericos Romanæ Ecclesiæ complectitur, sed in iis majorem vim exerit. Siquidem Ecclesia Romana post Christum in Cœlum reversum, cum non longo interjecto tempore maximas opes fidelium pietate, cunctis certatim in eam agros, domos, ac substantias suas, fortunasque conferentibus, congessisset; aliis Ecclesiis, quarum census in exiguo erat, opem ferre consuevit, ut supra tetigimus: quod longe æquius esset, ut præstaretur his seculis, quibus ejus divitias in immensum excrevisse, nemo non videt.

Consuetudo quoque totius orbis, veram fidem amplexi, quæ alienigenas a beneficiis prohibet; hanc differentiam non agnoscit. In cunctis catholicæ communionis provinciis, in quibus hic mos semper obtinuit; vel dicemus obtinuisse ex jure communi, vel ex privilegio.

Sive

Sive jus commune ſpectemus, ſive privilegia, alienigenas a beneficiis ſejungunt; quæ, ſi Clerici Romani inter Clericos quarumlibet Eccleſiarum eſſent accenſendi, nihil illis obſtarent, quominus in beneficiorum partem admitti poſſent. Et tamen id hactenus, quod ſciamus, tentatum non eſt. Tentavit hoc quidem Romanus Legatus in Biturigibus, qui cum duarum præbendarum reſervationem, poſt conventum habitum, Epiſcopis, & Abbatibus propoſuiſſet; ut aſperam novitatem aliquo modo emolliret, adjecit, eas non aliis collaturum Summum Pontificem, niſi Clericis Romanis. Sed neque hoc pacto Procuratorum animos, qui pro Capitulis ei conventui interfuerant, inſolentia rei perculſos, flectere potuit, ac delinire. Quin Legatum obſecrarunt, atque obteſtati ſunt, ut a re perſequenda abſiſteret, quæ ſine maximo ſcandalo, ac turbis ad effectum perduci non potuiſſet, his verbis, quæ refert Matthæus Pariſ. in Henrico 3. dict. fol. 317. & 318. *Vnde rogamus in Domino, ne iſtud ſcandalum oriatur per vos in Eccleſia Gallicana, ſcientes, quod ſine maximo ſcandalo, & inæſtimabili damno non poſſet hoc ad effectum perduci. Quia eſto, quod aliquis aſſentiret, nullus eſſet ejus aſſenſus in rebus, quę omnes tangunt; cum ferè omnes majores, & generaliter omnes ſubditi, necnon & ipſe Rex, & omnes Principes, parati ſint contradicere, & reſiſtere uſque ad capitis expoſitionem, & omnis honoris privationem: preſertim cum videatur imminere propter hoc ſcandalum, ſubverſio Regni, & Eccleſię generalis. Ratio autem noſtri timoris eſt, quod cum cęteris Regnis non habuiſtis rationem, & quibusdam Epiſcopis precepiſtis, & Abbatibus, ut cum præbendæ vacaverint, ad opus Domini Papæ reſervent.*

Quod ſi dixeris, æquitatem expoſcere, ut cum ſacri Romanæ Eccleſiæ milites, pro Catholica Fide amplificanda, & totius Chriſtiani nominis utilitatibus decertent, & ingentes labores ſubeant, in eorum ſtipendia aliæ Eccleſiæ contribuant; facilè reſpondebimus: dummodo aliæ Chriſticolentium provinciæ, unaquæque pro ſua magnitudine, ac opulentia, partem oneris agnoſcant,

prom.

promptiori, ac alacriori animo Neapolitanos suam symbolam collaturos.

Et ne in hoc longiores simus, quam par est: nuperum peregrinorum inventum hoc est, quod antiquitati fuit penitus incognitum; cui si fidem adjungere velint ex duobus verbis, quæ Innocentio Tertio exciderunt in epistola, ex qua sumptum est *cap. cum inter 29. de elect.* & ex altera, ex qua *cap. bonæ memoriæ 3. de postulat. Prælat.* frustra se diligentes præstiterint.

Ex priori enim, cujus speciem supra exhibuimus, nihil deduci potest, quod ipsis vel paululum conferat. Siquidem postulationis Subdiaconi Romani non idcirco Innocentius rationem habuit, quod ille Clericus esset Romanæ Ecclesiæ; sed quia a duabus Cleri partibus Episcopus renunciatus fuerat: cujus favore cum esset inductum, ut electio fieret ex Ecclesiæ gremio, in sua potestate situm erat, suum jus remittere, ut manifestum est ex verbis supra exscriptis. Et quamvis obiter addiderit, non posse Subdiaconum alienum reputari, quia lectus esset è Romana Ecclesia; attamen novum non est in decretalibus, in eandem rem plures rationes adduci, quarum aliquæ sint inefficaces. Quod agnoscens Gregorius Nonus, eam rationem, quod Subdiaconus Clericus foret Ecclesiæ Romanæ, in suam collectionem decretalium non recepit, ac proinde legis robur ei non accessit.

Quod autem ad alteram attinet, ea in Adversarios reflectitur, eosque suis armis impetere possumus. Etenim, ut ex Rubeo *lib. 6. Historiæ Ravennatis*, Guillelmo Ravennatensi Episcopo e vivis sublato, Ravennatenses Canonici suffragiis in diversa abeuntibus, alii Siffredum Sanctæ Praxedis Presbyterum Cardinalem, ut locum defuncti impleret, postularunt; alii Imolensem Episcopum vacuæ cathedræ suffraganeum. Utrique se necessitati eligendi Antistitem ex propria Ecclesia, si idoneus ibi existeret, satisfecisse prætexebant: priores, quia Siffredus erat Cardinalis Romanæ Ecclesiæ: alii quia Imolensis

lensis Episcopus, erat Ravennatensis Ecclesiæ suffraganeus, atque ideo pars illius corporis. Sed hæ fuere allegationes diffidentium Canonicorum. Cæterum utramque postulationem rejecit Innocentius Tertius. Cum igitur Cardinalis postulatio admissa non fuerit, nihil prodest Adversariis ea decretalis. Sed & illa in ipsos regeritur, quia ex ea apertissimum est, Cardinales Sanctæ Romanæ Ecclesiæ postulari posse, eligi non posse: quod tunc evenit, cum is, qui expetitur, secundùm Canones vel ad Clerum, vel ad dignitatem Ecclesiasticam adsumi non potest; cum ei aliquid canonicum impedimentum obstat, & declaratur postulationē (quod innumeris juris Pontificii locis expressum est) non recipi, nisi ex dispensatione, & non jure niti, sed totam pendere ex mera gratia Summi Pontificis, *can. literas 93. distin.* ac proinde non injuriam fieri postulantibus si respuatur. Ratio autem cur non possunt Cardinales Romanæ Ecclesiæ eligi, sed postulari dumtaxat, non alia est, nisi quia ex ordinatione Ecclesiæ Romanæ adstringuntur eodem vinculo, quo Episcopi, & alii Clerici suis Ecclesiis sunt addicti, ut observatum fuit Altesserræ: *Ex hoc capite notandum est, Cardinales Ecclesiæ Romanæ postulari posse, eligi non posse. Ratio est, quia eodem ferè vinculo, quo Episcopi, alligati sunt Ecclesiæ Romanæ, & titulis suis, seu Ecclesiis, in quibus ordinati sunt, tenenturque residere in titulis suis, cap. 2. de Clericis non residentibus*; & inferius. *ideoque semel ordinati in Ecclesia Romana, emigrandi ab ea alterius licentiam non habent. Can. filium 1. q. 1. & cap. cum in his distribuendis infra de temporibus ordinationum.*

Nec refragatur quod scriptum est *in cap. Ecclesia vestra 11. in fin. de elect.* in cujus specie Presbyter Cardinalis electus proponitur, non postulatus: quia ibi agebatur de Presbytero Cardinali, & Concanonico Ecclesiæ, quæ Pastore indigebat; cum olim etiam extra Romanam Ecclesiam, Canonici quarundam Ecclesiarum Presbyteri Cardinales nuncupati fuerint, *cap. 11. de offic. Archipresb. c. fraternitatem 71. dist. c. relatio 21. q. 1.* quod de Canonicis

Ra-

Ravennatis, & Compostellanæ Ecclesiæ, scriptum reliquerunt Hieronymus Rubeus *lib.* 5. & Compostellanus *cap.accessissent de const.* Eodem modo Clericus extraneus, & peregrinus postulari potest, non eligi, ut est communis omnium sententia, a qua stant etiam Florens *ad tit.de elect.* Cironius, & alii passim:ut proinde solitam diligentiam desideremus in Altéser. ad cap. 2. de post. Prælat. dum ait: *Clericum alterius Diœcesis, etsi non possit migrare ad aliam Ecclesiam sine consensu sui Episcopi, Can. si quis Presbyter, Can.eos 7. q.1. cap.admonet de renunciationibus; nihilominus eligi posse, quia non tanta est conjunctio inter Prælatos inferiores,& eorum Ecclesias,quanta inter Episcopum,& Ecclesiam;* quia id juri,& concordi omnium traditioni contradicit, & sicut spiritale conjugium contrahitur inter Episcopum, & suam Ecclesiam, ita inter hanc initur, & Clericum quemcunque, qui in ea ordinetur.

Non solùm igitur Clerici inferioris gradus Ecclesiæ Romanæ, sed ne quidem ipsi purpura ornati Proceres, sunt, aut dici possunt aliarum specialium Ecclesiarum Clerici: quia alioqui non esset prohibita ipsorum electio, postulatione tantummodo eis relicta.

Romanæ Ecclesiæ Clerici, quod ad nostrum propositum spectat,nihil ab aliis distabant. Semel in Romana Ecclesia ordinati, ad alias Ecclesias transvolare non poterant.Clericum,& Subdiaconum Papæ,non posse nisi ex ejus consensu ad aliam Ecclesiam transferri, affirmat Radevic.lib.1.cap.15. *Clericus de Reverentia vestra, & in Subdiaconatum a Papa consecratus, non nisi ejus conniventia,& assensu in aliam Ecclesiam transferendus putabatur.* Quare cum duo Clerici a Romana Ecclesia, cui ex ordinatione mancipati fuerant, ad Ravennatem Episcopum secessissent,non petita Pontificis venia, *sine nostra benedictione,* Divus Gregorius Magnus *lib.5. epist.*28.licet cum eis leniter agens, ac perhumanè, pœnam, qua ob ausum,quem vocat *temerarium*, plectendi erant,remiserit;relaxavit tamen, dummodo officio suo se quamprimum restituerent.Precibus adductus idem Gregorius Eliæ in Isauria Presbyteri,

teri,& Abbatis cum Epiphanium Diaconatus ordine insignisset, Eliam eum repetentem non audiit, quia semel Epiphanius Ecclesiæ Romanæ colligatus, permittendum non erat, ut eo se vinculo solveret, & ad aliam Ecclesiam transiret, ut ex lib.4. epist. 30. *Filium nostrum Epiphanium mandastis, ut ad sacrum provehere deberemus, vobisque transmittere, sed in uno vos audivimus, in alio vos audire minime potuimus. Diaconus quidem factus est, sed quisquis semel in hac Ecclesia ordinem sacrum acceperit, egrediendi ex ea ulterius licentiam non habet.* Et infra: *Dilectissimum filium meum Epiphanium Diaconum, quia huic Ecclesiæ Diaconatu interveniente ligavimus, Sanctitatem tuam non debet contristare, &c.*

Quamvis autem Gregorius mentionem fecerit sacrorum ordinum, id tamen contigit, quia ita res tulit. Cæterum regula, quam posuimus, in omnibus Clericis vim obtinet, ut rectissimè Christianus Lupus in scholiis ad dict.15. Gregorii Septimi: *Firmior ratio est antiqua, ac per Chalcedonensem Synodum innovata lex mandans nullum absolutè, sed ad certum cujuspiam Ecclesiæ, vel Monasterij titulum ordinari.* Qui etiam subnectit: *Atque ita de aliarum Ecclesiarum titulis disponere nolens Pontifex, nonnisi ad Romanæ Ecclesiæ matriculam passim ordinabat. Hinc & illis, quos Vigilius Pontifex Catanæ ordinaverat Presbyteris, ac Diaconibus, Ampliatum Presbyterum transmisit Romam, reliquos ad suum ministerium videtur secum duxisse Constantinopolim, quia omnes ordinaverat ad tabulam Romanæ Ecclesiæ.*

Ex ejusmodi ordinatis in Romana Ecclesia, nullus poterat ab alio Episcopo evehi ad altiorem gradum, ut in dict.15. Gregorii Septimi, ea ratione, ut observatum fuit eidem Christiano Lupo, *quia alieni cardinis Clerico, nemo potest manum imponere*: ut propterea Archiepiscopo Mediolanensi ab Innocentio Tertio expetendum fuerit, posse ab eo ordinatos, Presbyteratu, aut Diaconatu ornare, *reg.1. epist.22.* Qua de re Urbanus Secundus corripuit, licet non graviter, ac peracerbè, Anselmum Beccensem tum adhuc Abbatem, quod huic legi non paruisset: *In vos querela Romanæ pendet Ecclesiæ, quod ipsius Cle-*

ricum monachare, & altioribus gradibus provehere præsumpsistis: quibus verbis allusisse Vrbanum ad dictatus Gregorii, nemo non videt. Nec expressit aliquid unius Romanæ Ecclesiæ proprium: *Cum universim indubitatissimum sit* (ut ait Thomasin. par. 2. lib. 1. cap. 8. *Clericos ordinatione ipsa sua, uni Ecclesiæ ita illigatos fuisse, ut citra ejus assensum nec profiteri in Monasterijs possent, nec ab alio Episcopo ulteriores ordines consequi.*

Clericos hujusmodi nullus Metropolita, licet canonicè electos, poterat in Episcopos consecrare: & generatim non erat licita eorum electio, sed postulatio dumtaxat. Hoc jure cum Guido Blanderatensis Comitis filius a Friderico Primo postularetur Ravennati Sedi præficiendus, Adrianus Pontifex nullam rationem postulationis habuit, neque Imperatori pronas aures præbuit, quod ille esset Subdiaconus Ecclesiæ Romanæ. *Convenientius est* (verba sunt Adriani in epist. ad Imperatorem apud Radevicum lib. 3. de gestis Friderici cap. 17.) *ut qui filius, & Clericus est Romanæ Ecclesiæ, ab ejus gremio non recedat, & ipsa ei circa se locum dignitatis conferens, eidem inde provideat altiora.* De hac re ita Christianus Lupus: *Romanorum Clericorum ad aliarum Ecclesiarum præfecturas, electionem esse omnimodò commendandam, rectè ex præsenti dictatu asseverabat Fridericus; persistit tamen Pontifex, atque ita novis, & longis inter Sacerdotium, & Imperium contentionibus januam patefecit.*

Nimirum precibus Friderici non cessit Summus Pontifex, vel quia postulatio non admittitur, nisi cum causæ cognitione; utrum cum damno disciplinæ compensari possit communis utilitas, & necessitas Ecclesiæ *c. Episcopus 37. q. 1.* Vnde Innocentius Tertius postulationem Archepiscopi Thessalonicensis, quam nulla evidens utilitas Ecclesiæ comitabatur, repulit; ut habetur *lib. 1. epist. Innocent. 3. epist. 3.* cui simile exemplum de Cycensi Episcopo, cujus postulatio in Magdeburgensem Archiepiscopum ab Eugenio Tertio fuit rejecta, ut supra retulimus; vel quia non erat magnitudinis Romanæ,

Cle-

Clericum semel in ea Ecclesia adscriptum, alteri contradere, ut legitur in citata epistola apud Radevic. & Baronium an. 1159. n. 7. *Ipsa enim Ecclesia Romana viros & scientia adornatos, præditos honestate, & sanguinis nobilitate ad se libenter evocat, & eos aliunde consuevit admittere, non se talibus, cum ipsos in gremio suo habeat, facile spoliare.*

Ex his omnibus conficitur, Clericos Ecclesiæ Romanæ non esse Clericos omnium Ecclesiarum; alioqui eis vetitum non fuisset ad alias Ecclesias transilire, potuissent eligi, cum tamen solum postulari potuerint, sicuti de omnibus extraneis Clericis erat sancitum. Qua in re facilè nobis assentietur, qui in memoriam revocabit, cum Honorius Secundus Hugonem Abbatem Radinghensem sibi asseruisset, tanquam specialem Clericum Ecclesiæ Romanæ, necesse fuisse, ut Rothomagensis Clerus ob concredenda illi Ecclesiæ suæ gubernacula, præter Regis Angliæ, ac Episcopi Salisberiensis consensum, licentiam etiam Summi Pontificis exoraret: Spicil. tom. 3. pag. 151. *Ipsum itaque sub primo jure, atque dominio nostro tanquam specialem Beati Petri, & S. R. E. Clericum retinemus.* Hæc verba fuerunt Honorii, quibus cum præfatos Clericos septo Romanæ Ecclesiæ circumscribat, cum eos confirmet esse illius Ecclesiæ Clericos speciales; quis eos reputet Clericos totius orbis, quis eorum ministerium tam latè protendat, ut in omnes Ecclesias diffundatur?

Sane Ecclesia Romana omnium Ecclesiarum Caput, & Magistra, Summus Pontifex tanquam Petri successor, & Christi Vicarius, omnibus præsidet Ecclesiis, quæ illius corporis, cujus ipse Caput est, partes sunt: omnes Christi fideles in ea continentur. Sed Ecclesiæ particulares, quatenus tales sunt, inter se distinguuntur: alioqui si Clericus Romanus erit Clericus totius Orbis, Clerici aliarum Ecclesiarum, erunt Clerici Romanæ Ecclesiæ, & tanquam in ea ordinati, & illi affixi censeri debebunt: paulatim eò progrediemur, ut Clericus Ecclesiæ Neapolitanæ, sit etiam Clericus Ecclesiæ Capuanæ. De-

nique tota hæc res non melius explicari poteſt, quam explicavit idem Innocentius Tertius in epiſtola ad Patriarcham Conſtantinop. quæ legitur in ejus geſtis fol. 44: *Quæſiviſti etenim dubitans, addiſcere volens, qua ratione Romanam Eccleſiam unam, & univerſalem in noſtris literis vocaverimus, velut in quaſdam ſpecies ſpecialiſſimas jam diviſam, cum & unus ſit Paſtor, & unum ovile, ſed ſub uno Paſtorū Principe Chriſto plures ſint conſtituti Paſtores. Nos autem inquiſitioni tuæ taliter reſpondemus, quod Eccleſia duabus ex cauſis univerſalis vocatur; intelligentia namq; dictorum ex cauſis aſſumenda dicentis, cum non res ſermonibus, ſed rei ſermo ſubjectus. Dicitur enim univerſalis Eccleſia, quæ de univerſis conſtat Eccleſiis, quæ græco vocabulo quoque Catholica nominatur. Et ſecundùm hanc acceptionem vocabuli, Eccleſia Romana non eſt univerſalis Eccleſia, ſed particularis: prima videlicet, & præcipua, veluti caput in corpore; quoniam in ea plenitudo exiſtit, ad cæteras autem pars aliqua plenitudinis derivatur. Et dicitur univerſalis Eccleſia illa una, quæ ſub ſe continet Eccleſias univerſas, & ſecundùm hanc nominis rationem, Romana tantùm, univerſalis Eccleſia nuncupatur; quoniam ipſa ſola ſingularis privilegio dignitatis cæteris eſt prælata. Sicut & Deus univerſalis Dominus appellatur, non quaſi jam diviſus in ſpecies, aut ſpecialiſſimas aut etiam ſubalternas, ſed quoniam univerſa ſub ejus dominio continentur. Eſt enim una generalis Eccleſia, de qua Veritas inquit ad Petrum: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam: & ſunt multæ particulares Eccleſiæ, de quibus Apoſtolus ait: Inſtantia mea quotidiana, ſolicitudo omnium Eccleſiarum. Ex omnibus tamen una conſiſtit, tanquam ex particularibus generalis; & una præeminet omnibus, quoniam cum unum ſit corpus Eccleſiæ, de quo dicit Apoſtolus, Omnes unum corpus ſumus in Chriſto, illa veluti caput cæteris membris excellit.*

Quartæ argutationi facilè occurrimus; concedimus enim aliquos extraneos Eccleſiis præfuiſſe, ſed cum neceſſitas id expreſſit, quia indigenæ, & ex Clero omnes indigni Epiſcopatu, nec diſſentiente populo, ac Clero, ſed ab ipſis tum Eccleſiaſticis, tum laicis ob nominis celebri-

lebritatem, & singularis doctrinæ, ac sanctitatis famam longè, latèque diffusam, ac resonantem, concordantibus sententiis advocati. Fuit quidem Joannes Chrysostomus quamvis Antiochiæ Presbyter, sedi Constantinopolitanæ præfectus; sed doceant Adversarii, ac probent, dignos in ea Ecclesia fuisse, qui illam regerent. Eorum inopia, qui id munus implere possent, Clerum, & populum, ut aliunde suum peterent Pastorem, coegit: ut consideravit Thomassinus de Beneficiis par. 2. lib. 3. cap. 35. num. 11. *Chrysostomus cum Antiochiæ annos duodecim Presbyterum egisset, nihilo tamen minus ad Ecclesiæ Constantinopolitanæ thronum accersitus est, ubi ut nemo fuisse dignus existimetur, qui in eum promoveretur apicem, in eo argumenti satis est, quod plerique ad eum anhelarent.* Nec tamen, licet maximè urgeret necessitas, ad id deventum est, nisi præcedentibus Cleri, & populi suffragiis, qui omnes in eam iverunt sententiam, cui & Imperator Arcadius se adjunxit, ut ait Socrates lib. 6. cap. 2. ὀλίγῳ ἐν διαδράσαντος χρόνου ψηφίσματι κοινῷ ὁμοῦ πάντων, κλήρου τε φημὶ, καὶ λαοῦ, ὁ βασιλεὺς αὐτὸν Ἀρκάδιος μεταπέμπεται, *quamobrem haud diu post Imperator Arcadius communibus omnibus suffragiis, idest Cleri, & populi, illum accersit.* Quod & testatur Sozomen. lib. 8. cap. 2. cujus verba antea adduximus. Sed & duo etiam intervenere, quæ huic electioni viam aperirent: alterũ, quod esset Joannes famâ super æthera notus, ut ait idem Sozomenus dicto cap. 2. ἐπίσημος οὖν τοῖς μὲν εἰδόσι τῇ πείρᾳ, τοῖς δὲ ἀγνοοῦσι, τῇ φήμῃ ἔκ τε τῶν ἔργων, καὶ τῶν λόγων γενόμενος ἀνὰ πᾶσαν τὴν ῥωμαίων ὑπήκοον, ἔδοξε Κωνσταντινουπόλει ἐπιτήδειος εἶναι τῆς ἐκκλησίας ἐπισκοπεῖν. *Cum igitur notis ob experientiam, ignotis ob famam tum eruditionis, tum virtutis, per universum Romanorum Imperium clarus esset, dignus visus est, qui Constantinopolitanæ Ecclesiæ Episcopus constitueretur*: Socrates dicto lib. 6. cap. 2. Φήμη γὰρ ἐκράτει περὶ αὐτοῦ, ὡς εἴη διδακτικὸς ἐν ταυτῷ, καὶ ἐλλόγιμος, *nam de eo fama percrebuit, quod & ad docendum aptus, & in dicendi facultate valde peritus erat*: & Theodoritus lib. 5. cap. 27. qui ait, Arcadium cum intellexisset Antiochiæ in cœtum Presbyterorum ascitum Ioannem τὸν μέγαν τῆς οἰκουμένης φωστῆρα:

eximium

eximium Orbis terrarum luminare, ad se arcessivisse; alterum ut tumultus, ac discordiæ factiosorum hominum studiis, & contradictionibus excitatæ compescerentur: quod non omittunt Sozomenus *dicto cap.* 1. *lib.* 8. & Socrates *d. lib.* 5. *cap.* 2. quibus adjiciendus Nicephorus *lib.* 13. *cap.* 1. Quis autem ambigat, si hæc omnia simul copulentur, posse extraneum creari Episcopum? Quam ob rem cuipiam non immeritò videri possit, satis esse suffragationem populi, & Cleri, præsertim accedente etiam Principis assensu. Quid enim prohibet eos posse jus suum dimittere, vel suæ Ecclesiæ egestati providere?

Addunt Adversarii Chrysostomo Augustinum. Sed is quidem cum ad Episcopatum Hipponensis Ecclesiæ perductus fuit, ejusdem Presbyter erat, diuque in ea claruerat, & de ipsa insigniter erat meritus. Cum autem in eam Ecclesiam fuit receptus, certissimum est, id necessitati concessum, ut scribit Possidius cap. 53. *Valerius Episcopatum gerebat, qui cum flagitante Ecclesiastica necessitate de providendo, & ordinando Presbytero Civitatis, plebem alloqueretur, & exhortaretur, iam scientes Catholici Sancti Augustini propositum, & doctrinam, manu injecta eum tenuerunt, & ut in talibus consuetum est, Episcopo ordinandum intulerunt, omnibus uno consensu, & desiderio fieri, perficique petentibus, magnoque studio, & clamore flagitantibus, ubertim eo flente.* Ex quo loco vides, non modo ex communi populi sententia cooptationem Augustini in Clerum Hipponensem processisse, sed fuisse vi adactum, ut sacros ordines susciperet, ex necessitate ob maximam, quæ tum in Ecclesiis Africæ erat Clericorum penuriam, ut supra probavimus. Non est igitur cur tantopere sibi placeant adversarii his exemplis, a quibus allegandis profectò abstinebunt, postquam Thomasinum de iis suum judicium exprimentem audierint loco citato, cujus verba sanè pulcherrima sunt, & elegantissima: *Et Chrysostomus, & Augustinus non sua, sed alienæ Ecclesiæ Pontificatum adepti sunt, ut uterque admirationi magis esset, quam exemplo, & tam singulari claresceret electione, quam me-*

rito

vitæ, relaxante Deo ipso Canones, ut præstantissimos Canonum defensores, Ecclesiæ suæ daret; nec enim de legibus, & Canonicis suis regulis dispensat Ecclesia, nisi ubi suadet utilitas publica, cogit necessitas, probat charitas, cui leges, & Canones omnes famulantur.

Quod autem Athanasius in Ecclesiis constituerit Episcopos undeunde sumptos, etiamque exteros ex eremo abductos, nusquam proditum invenimus. Equidem Athanasius cum Constantius eum ab exilio revocasset, ne Constantis arma in se concitaret, & bellum Civile, ac intestinum hac de causa gerendum esset, eumque in Ægyptum remisisset; ejectis ab illius regionis sedibus Episcopis Ariana peste infectis, loco eorum Catholicos sustituit. *Athanasius autem*, ait Sozomenus lib. 3. cap. 20. *cum venisset in Ægyptum, quotquot sectæ Arianæ deditos cognoscebat, eos abdicavit, quorum verò fidem habebat exploratè cognitam, & probatam illis Ecclesiarum concredidit administrationem, fidemque Concilij Nicæni tenere, eique studiosè adhærescere jussit*: subjungitque λέγεται δὲ τότε καὶ διὰ τῶν ἄλλων ἐθνῶν τὴν ὁδοιπορίαν ποιούμενος ὅμοια πρᾶξαι, εἰ συνέβαινε ταῖς ἐκκλησίαις ὑπὸ τῶν ἀρείου κατέχεσθαι: *dicitur porrò per alias quoque nationes eodem tempore iter faciens, siquas fortè Ecclesias ab Arianis occupatas offenderet, eodem modo cum illis egisse*. Hac de causa inquit idem Sozomenus, criminationi fuisse obnoxium; quasi alienæ jurisdictionis fines invasisset, ἀμέλει τοι καὶ τοῦτο ἔγκλημα αὐτῷ ἐπῆγον, ὡς ἐν πόλεσι μηδὲν αὐτῷ προσηκούσαις, χειροτονεῖν ἐτόλμησεν. Cui concors est Socrates lib. 2. cap. 19. *Athanasius autem per Pelusium rectè Alexandriam iter capiens, & in singulis Civitatibus, ad quas adventabat, docuit, hortatusque est, ut Arianos devitarent, eosque amplexentur, qui fidem confiterentur consubstantialis*: adiicit ἐν τισι δὲ τῶν ἐκκλησιῶν, καὶ χειροτονίας ἐποίει, καὶ τοῦτο γέγονεν ἀρχὴ ἑτέρας μέμψεως κατ' αὐτοῦ, ὅτι ἐν ταῖς ἄλλων παροικίαις χειροτονεῖν ἐπεχείρει. *In quibusdam Ecclesiis Ministros etiam creat, atque ista origo erat alterius illi obiectæ criminationis, quod in aliis Ecclesiis Ministros ordinaverat*. Similia penè Nicephorus *lib. 9. cap. 25.* Nemo autem ex his auctoribus exprimit, Ecclesias extraneorum fidei

fuisse

fuisse commissas; immò ex eorum verbis elicitur contrarium, nempe in sua Diœcesi,ab Athanasio fuisse Antistites ex ipsa statutos: in locis vero, per quæ transiens, ac viator ministros creavit, eorundem indigenas fuisse creatos, cum ea peragranti, nec quidem tempus fuisset manendi; donec ex aliis regionibus acciri possent, etiam si expectare voluisset.

In Epistola verò ad Dracontium eum Episcopatum subterfugientem, atque deprecantem, a proposito dimovere studet, suggestis exemplis monachorum, qui a secessu, ac solitudine ad Ecclesiarum regimen vocati, hoc officium non detrectaverant. Sed eos Ecclesiis extra suam Diœcesim fuisse præpositos,cum in iis idonei ad Episcopatum existerent, neque asserit Athanasius, neque adversarii probant, aut probare unquam poterunt.

Cum autem Gregorius Magnus *lib. epist.* 18. Petro Subdiacono mandaverit, ut Ecclesiis Siciliæ vacantibus, *vel de Clero Ecclesiarum ipsarum, vel ex Monasteriis, si digni qui ad Sacerdotalem locum possent inveniri prospiceret*: quæ verba ita exponit Altaserra in notis ad *d. epist.* 18. ut voluerit non fieri locum Monachis nisi ob defectum idoneorum in clero: *Mandat Petro subdiacono, ut vacantibus Ecclesiis Siciliæ, vel de Clero ipsarum Ecclesiarum Episcopi eligantur,si idonei existant, vel de Monasteriis; regulariter Episcopus non est eligendus de aliena Ecclesia,nisi in subsidium, si in ipsa Ecclesia idoneus non inveniatur, Canon. nullus, canone obitum 61. distinct. cap. cum nobis extra de elect. in antiqua. Hoc casu Episcopus potest eligi de alia Ecclesia,vel Monasterio*;credendum est,qui ex Eremo Ægyptia prodiere Episcopos, in vicinis Ægypti urbibus collocatos fuisse: de qua re ita videtur censuisse Alteserra loco citato, ubi iis, quæ subnotavimus verbis cum docuisset, Monachū Episcopum eligi posse in subsidium, utitur exemplo Episcoporum, qui ex Eremo Ægyptia fuere vocati: quod & satis verosimile est, quia Athanasius dicta epistola Dracontium invitat,ut Episcopatum Hermopolis,

quæ

quæ est urbs Ægypti, susciperet.

Porrò illud mirari satis non possumus, inter externos Episcopos, ab adversariis reponi Gregorium Nazianzenum, quem ajunt in Cathedra Constantinopolitana sedisse, cum tamen hic, munus illud deponere coactus fuerit, quia peregrinus erat, & extraneus, & hac de causa Concilium Constantinopolitanum dimissionem dignitatis, quam retinere non poterat, ratam habuerit; postquam suam electionem tam Orientales, quam Occidentales Episcopi, Concilium Italicum, & ipse Damasus Papa reprobaverant, ut in superioribus palam fecimus.

Ut quæ ad hanc rem pertinent in pauca contrahamus: contigit aliquando Episcopum sumi non ex Ecclesiæ vacantis familia, vel quia idonei in ea non reperirentur, vel ob vitandam tumultuum occasionē, & factiones populi, ex quibus maxima oriebatur sacrorum perturbatio, & ob petitorum prensationes, qui omnes Episcopatum ambientes, dum alter in alterum insurgit, dum vicissim se incusant, cum se mutuò impedirent, omnes eo excidebant. Ea de causa post mortem Sisinii, Nestorius licet malis auspiciis, fuit Sedi Cpnæ admotus, ut refert Socrates lib. 7. cap. 29. μετὰ δὲ τὴν τελευτὴν Σισιννίου, ἔδοξε τοῖς κρατοῦσι, μηδένα μὲν διὰ τοὺς κενοσπουδαστὰς, ἐκ τῆς ἐκκλησίας εἰς τὴν ἐπισκοπὴν προχειρίζεσθαι, καί τοι πολλῶν μὲν τὸν Φίλιππον, πολλῶν δὲ τὸν Πρόκλον χειροτονηθῆναι σπευδόντων. ἐπήλυδα δὲ ἐκ τῆς Ἀντιοχείας καλεῖν ἐβούλοντο. *post mortem Sisinii visum est Imperatori, propter homines inanium rerum appetentes, neminem ex illa Ecclesia, licet multi Philippum, quamplures Proclum designatum cuperent, ad Episcopatum illum eligere, sed advenam Antiochia arcessere constituit*; quamquam id neque factum fuerit, nisi ex totius populi sententia, ut subjungit idem Socrates: διὸ καὶ ὡς προσεπιτήδειον εἰς διδασκαλίαν ἔγνωσαν μεταπέμπεσθαι. *& ob eam causam tanquam ad docendum populum admodum accommodatus (Nestorius scilicet) de illorum sententia arcessitur.*

Quamvis autem ob turbas, contentiones eorum, qui Episcopatum captabant, quærentes quæ sua sunt,

2. *differ.* Kkk non

45

non quæ Iesu Christi, qui hoc ipso se eo indignos red-
debant, ob adversa electorum, vel suffragatorum studia;
ut pax Ecclesiæ restitueretur, pugnæ componerentur;
ab Clericis Ecclesiæ matricis deficeret aliquando ele-
ctio: non statim ad externos declinabat, sed facta dili-
genti scrutatione, si qui in aliis Ecclesiis intra Civitatis
mœnia, vel etiam in suburbiis, aut in vicis dignus præ-
fato ministerio se offerret, ei deferebatur. Denique, ut
supra dicebamus, ad externos non nisi perquisita tota
Diœcesi non poterat perveniri.

Post mortem Attici magna certamina, quæ de
Episcopatu fuere, & quibus ea Ecclesia multum com-
mota, & divexata, electioni Sisinnii occasionem præbue-
re, teste Socrate lib. 7. cap. 26. Ἐγένετο δὲ μετὰ τὴν τελευτὴν ἀττικοῦ
πολλὴ φιλονεικία περὶ χειροτονίας ἐπισκόπου, ἄλλων ἄλλον ζητούντων,
*Post mortem Attici de Episcopo deligendo vehementer certatum
est, dum alii alium in eo honoris gradu collocare laborarent.* Ve-
rum quamvis, ut Ecclesiæ tranquillitati consultum esset,
& ne amplius ea dissensionibus turbulentis conflictare-
tur, lectus Episcopus non fuerit ex Ecclesiis intra Civi-
tatem; non tamen ex externis ullus postulatus est, sed in
Suburbio ejusdem Civitatis Antistes est conquisitus:
nempe Sisinnius in Elæa ordinatus, quod est suburbium
præfatæ urbis è regione illius positum, ut ait idem So-
crates, *qui quidem Presbyter quoque fuit, non tamen in ulla
Ecclesia intra urbem Constantinopolim ordinatus, sed in Elaa sub-
urbio ejusdem Civitatis, quod è regione illius situm est, in quo
quidem loco dies festus Ascensionis Servatoris ab universo popu-
lo Constantinopolitano celebrari solet, Sacerdotii dignitatem sor-
titus.* Quod tamen etiam actum fuit ex communi po-
puli consensu, ut refert idem Auctor κοινῇ δὲ πᾶς ὁ λαὸς
ἐσπούδαζε γίνεσθαι Σισίννιον, tum quia Sisinnius fuit pietate perce-
lebris, tum potissimum, quod pauperes, supra quam fa-
cultates ejus ferebant, fovere, ac sustentare laboravit.
Nempè cum Canonibus jus integrum servari non pote-
rat, curæ fuit, ut saltem non omnino perrumperentur.

Si exemplis certandum esset per omnia Ecclesiæ
secula

fecula, vix unum innumeris, quæ pro nobis sunt, Adversarii possent opponere. Sed nos regulis pugnamus, non exemplis; quæ ita intelligi debent, donec aliud evidentissimè appareat; ut conformia illis sint, non ut eas vulneraverint, aut infirmare potuerint. Præterquamquod cum regulæ illæ, de quibus agimus, suam originem ab ipsis Apostolis agnoscentes, jure divino, & naturali fultæ, omnibus temporibus in universo Orbe Catholico in usu fuerint, a Summis Pontificibus, & Sacris Canonibus novis semper munimentis roboratæ, quibus nihil antiquius fuit, quam ne ulla iis fraus fieret; si quod exemplum inveniatur, quo peregrinorum causa adjuvari videri possit: fas est existimare, immo ita credere cogimur, illud regulis consonum fuisse: vel si ab iis fuit dissentaneum, tanquam apertissima Canonum violatio, pro nihilo habendum est. Quare Thomasinus par. 2. lib. 1. cap. CIII. cum de aliquot exemplis sermocinatus fuisset num. 7. hæc habet: *Sed ne diutius ei exceptioni immoremur, nullis potest exceptionibus concuti, ac labefactari generalis illa lex, & regula iis innixa rationibus gravissimis, quæ in præfatione pragmaticæ sanctionis conjectæ sunt: quod advenæ qui sunt, ignoti fere sint, nec eorum fieri periculum potuerit, non facile adduci possint, ut resideant, patrium indigenarum sermonem non capiant, nec ab illis vicissim capiantur, unum id studeant potissimum, ut Ecclesiæ suæ dispendio locupletentur, ejus sarta tecta non curent, ab hospitalitate abhorreant, ignoto sibi gregi minus prodesse possint, quod denique cives ipsi animum despondeant, & literarum studia aspernentur, quorum præmia sibi videant ab extraneis præripi, & involari.*

Nec, ut quinto objecto satisfaciamus, subsidium petere possunt peregrini ex D. Bernar. epistolis ad Ludovicum Septimum. Etsi enim Thomasin. *loc. cit. n.* 6. ex Matthæo Parisio ad ann. 1146. referat, cum ab Eugenio III. Archiepiscopatu Bituricensi donatus fuisset nepos Cancellarii Ecclesiæ Romanæ: excanduisse vehementissimè Regem, & Sacramento se obstrinxisse, nunquã se permissurum, ut ille collati muneris possessionem nancisceretur,

tur: edicto tamen triennali, ac suasionibus D. Bernardi emollitum, iram, & indignationem convertisse ad Saracenos in Palæstina debellandos. Attamen hoc fuit *μνημονικὸν ἁμάρτημα* viri eruditissimi. Siquidem Petrus de Ciatra consanguineus Emerici Cancellarii Ecclesiæ Romanæ, quem juravit Ludovicus, etsi consecratum ab Innocentio II. nunquam admissurum; Gallus erat natione, & ex nobilissima, ac amplissima gēte in Biturigibus progenitus, nec proinde illum Rex reiiciebat, quod exterus foret, sed ea de causa, *quod sine eius assensu consecratus fuerat*, ut tradit Baron. an. 1141. *n.* 3. & Auctor prætermissorum a Sigeberto, quibus consentiunt Petrus Cluniacensis *lib.* 5. *epist.* 2. & 6. Chronicum Nangii, Pithœus *in libro de libert. Eccles. Gallicanæ fol.* 201. Pontifex verò, quia post mortem Alberici, Archiepiscopi Bituricensis, Rex licentiam dederat quemlibet eligendi, dempto Petro, ut ex dicto Chronico Nangii *in Spicil. tom.* 1. *pag.* 425. *Rex concesserat Ecclesiæ Bituricensi, libertatem eligendi Episcopum, quem vellent, excepto Petro, publiceque juraverat, quod se vivente non erat futurus Archiepiscopus*; non licuisse Principi contendebat, electionis libertatem hoc modo constringere, aliquem excludendo nominatim: præsertim cum ille, & Gallus esset origine, & nihil afferretur, quod aliquam de eò suspicionem posset injicere. Et cum ira percitus Princeps eo processisset, ut aliis electionibus impedimentum præstaret; factum est, ut permultæ Ecclesiæ absque suo Pastore squalerent. Hinc interdictum triennale, hinc illæ Bernardi querelæ juramentum Herodianum insectantis, *clamores pauperum, lacrymas viduarum, planctus orphanorum* exaggerantis. Sed quid hoc peregrinorum rationibus conducere possit, certè non percipio.

Verùm tantum abest, D. Bernardum pro peregrinis adduci posse, ut non uno in loco in suis epistolis pro certissimo posuerit; cavendum ne Episcopi, aliique beneficiarii Principibus parùm fideles sint, eisque quoquomodo suspecti; ut in con-

troversia de electione Episcopi Altissiodorensis, de qua agit epist. 282. quæ est inscripta eidem Ludovico Regi Francorum, ibi: *Neminem prorsus arbitror affuisse illi celebritati qui de assensu vestro dubitaret, cum jam idem assensus vestris literis teneretur*. Et postea: *de persona nulla subeat suspicio; aut ego nimium fallor, aut fidelis erit, & regi beneplacitum super ea*: & in controversia de electione Episcopi Catalaunensis, ad quam pertinet epist. 170. ubi ait Bernardus ad Regem scribens: *Electio ritè celebrata est: electus fidelis est; non autem esset fidelis, si vestra non per vos habere vellet: nec dum ad vestra manum extendit, nec dum Civitatem vestram ingressus est, nec dum prorsus se intromisit de aliquo, quamquam invitatio Cleri, & populi, & oppressorum afflictio, & vota bonorum, id ab eo vehementissimè flagitaverint*: in qua etiam notanda sunt ea verba; *Regalia vestra, quæ ad Ecclesiam pertinent*. Videndus & de eo jurgio Petrus Cluniacensis, qui priorem electionem a Bernardo oppugnatam, tuendam suscepit. Quid autem aliud est affirmare, Episcopos tales esse oportere, in quos nulla cadat suspicio, quam exteros excludere, quorum Principibus iustissimè est suspecta fides, ut præter Auctores allatos scribit Thomassinus par. 2. lib. 1. cap. 103. num. 7. *His alias accumulat rationes Author glossæ in pragmaticam sanctionem, ex Panormitano, aliisque juris Canonici Commentatoribus decerptas; quod nimirum Regibus, Principibusque suspecta semper sit peregrinorum fides, ne arcana Regni prodant, & foris evulgent: admitteretur exceptio Domini temporalis, si promovendum haberet suspectum de proditione Terræ suæ, vel consiliorum, & secretorum suorum*. Cui accenseri possunt Vasquius controversiarum illustrium lib. 2. cap. 51. & Pithœus in tract. de libert. Eccles. Gallic. fol. 202.

Vt ad sextam oppositionem accedamus, incassum fidem abrogare conantur adversarii Pragmaticæ D. Ludovici, cum eam non modò verissimam, & certissimam censeat Petrus de Marca *de concord. lib. 4. c. 9. n. 4.* sed ei acceptã referat restitutionem libertatis Ecclesiæ Gallicanæ: *Huic gloriosissimo Regi*, inquit, *prima debetur libertatis Ecclesiæ Gallicana*

na restitutio, quam suo edicto, post mutatam disciplinam in beneficiorum collationibus 1268. procuravit, quo uno capite contentiones inter Episcopos, & Romanam Curiam tunc ferè continebantur: eamque illi tribuant & Petrus Pithœus, & Carolus Feuret, aliique viri doctissimi. Quinimmo eam, quod magis est, inter selectas B. Ludovici constitutiones, edidit Cabassutius in notitia Conciliorum, quæ etiam uti lex illius Principis impressa fuit *tomo undecimo Concilior. par. 1. fol.* 903. talemque etiam agnoverunt Gabriel Cossartius *fol.* 908. & Henricus Spondanus Episcopus Apamiensis *tom. 1. continuationis Annalium anno* 1268. Eidem inscribitur in Bibliotheca Patrum formis excusa per Margarinum de la Bigne Doctorem Sorbonicum tom. 6. in Bibliotheca Patrum Doctorum Coloniensium, & a Cæsare Egassio Bulæo in historia Universitatis Parisiensis tom. 3. pag. 391.

Et quamvis ejus fidem dubiam arbitratus fuerit Thomasinus, tamen si verum fateri velimus, ipsius conjecturæ infirmæ sunt, ac imbecilles, nec tanti ut illa vel paululum labare possit: quandoquidem eò potissimum non firmis niti fundamentis putat Thomasinus, quia nihil occurrit in gestis, aut vita præfati Regis, quod possit ejusmodi edicto publicando ansam dedisse; cum tamen Matthæus Parisius anno 1247. pag. 960. tradat a Sanctissimo Principe inhibitam fuisse in suis Regnis exactionem quamdam sub Innocentio Quarto impositam. Verum & Thomasinus, & Antonius Ciarlas Romanæ Sedi addictissimus lib. 1. de libert. Ecclesiæ Gallicanæ cap. 15. non tam pragmaticam uti spuriam, ac subdititiam rejiciunt, quam probare satagunt, in ea de Romana Sede actum non fuisse: & eorum argumenta magis quam in alia, in 5. caput, quod exactiones respicit, directa sunt: quod & supposititium opinatur Antonius Ciarlas, quia sine eo typis tradita est in utraque PP. Bibliotheca memorata, & apud Bulæum; quamvis Henricus Spondanus loco citato, nec de veritate illius capitis dubitet, immo quod eo statuitur, justum

justum esse sentiat, hactenus tamen ut putet, non posse, nec debere referri ad injuriam Romanæ Curiæ. Quod & nos ultrò concedimus.

Sed etsi hoc demus, sicuti damus libenter, hinc tamen non fiet, ut non præceperit Ludovicus beneficiorum collationem fieri *secundum dispositionem, ordinationem, & determinationem juris communis, Sacrorum Conciliorum, & Ecclesiæ Dei, atque institutorum antiquorum Sanctorum Patrum*; ex quo sequitur alienigenarum exclusio: & semper verum erit, jus tuitionis Regiæ, ne injuria, aut fraus fieret Sacris Canonibus, ab eo impertitum fuisse. Quod etiam impertiit alia constitutione, quam condidit anno 1228, quæque ab Innocentio IV. in epistola ad Reginam Galliæ anno 1250. miris laudibus effertur. Ejus constitutionis verba post Petrum de Marca lib. 3. Concord. cap. 1. & Baluzium, recensentur ab Antonio Ciarlas dict. lib. 1. c. 3. Quæ dicta sint ex abundanti, cum nobis ea pragmatica opus non sit ob alienigenas a beneficiis eliminandos, quos tot Conciliorum, ac Pontificum decretis, & Patrum sententiis obruimus, profligavimus, & adversus quos tot urgent rationes validissimæ, ut nobis non tam difficile fuerit contra eos disserere copiosè, quam modum in dicendo quærere.

Quod ad ultimum attinet, si vellemus hic omnes auctores cumulare, qui alienigenas a Sacerdotiis ablegandos esse defendunt acerrimè; nimis hoc operosum esset, & in immensum excresceret hæc dissertatio. Multum hoc ab instituto nostro remotum est, cum nostrum consilium fuerit, in ea quæ oborta est quæstione, Canonibus dimicare, non auctorum testimoniis: quorum loca in unum conferre nova dissertatione, in aliud tempus reservamus, cum plus suppetet otii. Interea cōstantissimè asseveramus, & veteres Glossatores, ac Interpretes utriusque juris, & Theologos omnes, in eam sententiam convenire, quæ alienigenas a beneficiis repellit, qui ob eam confirmandam promiscuè utuntur sacris Canonibus, & juris Pontificii locis, quæ indigenas ad Sacerdotia vocant; & iis

quæ

quæ statuunt, ut ea tribuantur illis, qui sunt ex Ecclesiæ, cui providendum est sinu, vel familia. Quæ duo apud eos nihil inter se differunt, immò idem sonant; cum ille scopus Canonum fuerit, ut electio Beneficiariorum fieret ex Clero urbico, conflato ex lectissimo flore civium, ut toties ex Thomasino, aliisque auctoribus inculcavimus. Idque vel ex eo est apertissimum, quod innumera decreta Conciliorum, Patrum, ac Pontificum nos produximus, quæ indigenis beneficia deferunt, innumera, quæ iis qui sunt ex Ecclesiæ gremio: hæc autem inter se pugnarent maximè, nisi eo quo diximus modo, in concordiam adducerentur.

Sed quoniam adversarii nos oppugnant paucorum aliquot DD. auctoritate, quorum verba in longè diversam sententiam ab ea quam præseferunt, eis vim manifestissimam inferentes, pertrahunt; ipsisque quod nunquam cogitarunt, attribuunt, quasi iis placuerit, non posse alienigenas excludi a beneficiis, nisi ex privilegiis, quibus aliquibus Provinciis gratiam juris communis Summi Pontifices fecerint, vel impetrata dispensatione: juvat paululum in eorum dictis perpendendis immorari, eaque trutina appendere.

Priusquam verò hæc ad examen revocemus, reticere non possumus, tam exilem scriptorum numerum, quem adversariorum industria, ac diligentia collegerit, postquam improbo labore omnia monumenta illorum, qui de nostro argumento disceptarunt, evoluta fuere; satis ostendere, quam parum suæ causæ fidere debeant.

Sed & illi suo mucrone se jugulant, seque suis armis confodiunt, cum si rectè dictorum auctorum mens, ac verba percipiantur; nemo ex iis in spem peregrinos obtinendi alienæ Regionis beneficia possit erigere.

Porrò eorum, qui ab adversariis laudantur auctores, agmen ducit Rebuffus *in praxi beneficiaria tit. de rescriptis mixtis*. Sed nemo magis, externorum alienis beneficiis inhiantium, ambitionem oppugnat. Siquidem *nu.* 7. licet dicat Gallorum Regem privilegium habere,

ne

ne quis alienigena beneficium in Regno suo requirat; nihilominus eum intelligere de Canonico privilegio, non de Pontificia largitione, argumento esse potest, quod de eodem subjicit: *Firmatum fuit lege Regia a Carolo VII. edita, quæ prohibitum fuit exteris, ne beneficia Ecclesiastica, nec dignitates maximè Pontificales habeant, & teneant, tum ne Regni secreta revelent, teste Bened. in repet. d. c. Raynutius, in verb. & uxorem nu.* 1044. *de testam. ubi dicit illam fuisse publicatam die* 8. *Apr. in Parlam. Paris. Pictavis tunc sedente; tum etiam quia non valent propter idioma diversum docere populum sibi commissum, quod maximè interest. cap. inter cætera de offic. ordinarii, etiam quia in fundandis Ecclesiis ipsi extranei nil dederunt, neque illorum parentes: ideo dicitur Deuteron.* 18. *c. prophetam de gente tua, & de fratribus tuis, suscitabit tibi Dominus Deus tuus, ipsum audies. Facit l. in Ecclesiis ibi* in vico natus, *C. de Episc. & Cleric. & l. un. C. non licere habit. Metroc. lib.* 11. *facit c. bonæ* 2. *de post. prælat. in fine, c. nullus invitus* 61. *dist. cap. neminem* 70. *dist.* Cum tamen ante Regnum Caroli VII. præfati privilegii nemo meminerit, & absurdum sit Pontificis privilegium firmatum fuisse Caroli VII. Constitutione: deinde *num.* 10. *&* 11. alias rationes addit, ex quibus exteri a beneficiis sunt ejiciendi. *Quia videlicet exteri exhauriunt Regnum pecuniis, quas ex Regno extrahunt: eorum conscientiæ relinquo ad quos usus consumant: Item nascitur scandalum regnicolis, ut ignotus bona filiorum devoret, ut nunc fit, quia filii regni foras ejiciuntur, & extranei panem filiorum deglutiunt, & hac de causa malè, ac pessime in quibusdam Ecclesiis Regni, videmus officium celebrari: quia extranei multi non quærunt nisi lac, & lanam, & non commodum subditorum, ut dicit glossa in Clement. dudum, & in §. hujusmodi de sepultur. & quia super hoc extat regula Cancellariæ, eam hic subjiciendam duxi, cum aliquot elucidationibus.*

Sed tantum abest Rebuffum sensisse, Gallos ius suum metiri solùm ex privilegio, ut affirmatè scripserit *dict. tit. gloss.* 2. *vers. ideo*, regulam, quam nos tutamur, esse juris divini, ideoque non posse ei ulla dispensatione a Summo Pontifice derogari: *& sic non recipitur*

tur Papæ dispensatio in Francia contra istam regulam, quæ est juris divini, licet juri divino etiam annectat privilegium; & quod dixerat, regulam prædictam ex jure divino duci, postea communit magis ex veteri testamento: *Imò inter Dei maledictiones reputatur, habere hominem ex aliena gente, qui non intelligatur, Deuteron 28. c. ubi dicitur, adducet Dominus super te gentem de longinquo, & de extremis Terræ finibus, in similitudinem Aquilæ volantis cum impetu, cujus linguam intelligere non possis, &c.* & Hierem. 5. *cap. idem dicitur*. Nec magis favet alienigenis Thomasinus *par. 2. lib. 1. cap. 103. num.* 8. qui cum Rebuffo coniungitur, tum quia ait ante Carolum VII. & in eius constitutione nullam privilegii memoriam, nullum vestigium, ut propterea posſit coniectura fieri, si revera fuit concessum, fuisse indultum postea; tum etiam quia affirmat, *Et privilegio nullis Papæ dispensationibus derogari posse*. Quod idcirco tradit Rebuff. quia fundatum est in jure divino; quam sententiam & aliis in locis Thomas. propugnavit.

Quod ad Barbosam pertinet, facilè adversarius consentiam, ut secundum ejus sensum hæc controversia definiatur. Sane ille in votis *decisiu. lib. 1. vot. decis. 33.* jus indigenarum non arcessit ex concessione Pontificia, sed docet, fulcro sustentari juris divini, Canonici, civilis, regulis Cancellariæ, & communi DD. placito: id pendere ex mero jure, non ex honestate tantum, & digniorem extraneum ab indigena minus idoneo, dummodo non indignus sit beneficio, vinci. Qui etiam ejusdem sententiæ fuit de potest. Episc. part. 1. tit. 1. cap. 3. num. 18. *Illud quoque est in electione Episcopi observandum, ut nullus invitis detur Episcopus subditis, ut dicitur in cap. nullus 61. distinct. & in cap. final. 63. distinct. & emeritis civibus, qui concivium suorum benemerentur testimonium, in suis Ecclesiis extranei, & ignoti non præponendi, ut Cælestinus Papa constituit in cap. nec emeritis 12. distinct.* ubi etiam ex Suarez *allegat. 8. num.* 11. Cabedo *de Patronatu Regiæ Coronæ cap. 7. num. 5.* asserit, non esse eligendum Episcopum, qui Principi sit suspectus: idemque, nempe semper indigenas præferendos esse externis,

ternis,etsi dignioribus, affirmat *ad Concil. Trident. sess. 24. cap. 18. ver. magis idoneum n. 130* ut jam diximus. Quare verosimile non est, cum a semetipso dissensisse in *c. ad decorem de instit. num. 3.* qui propterea ibi accipiendus est, ut non omninò exteri beneficiorum sint incapaces, sed quatenus adsint indigenæ idonei, eis cedere cogantur: eo magis quia dicto loco innumeros auctores aggeravit, qui omnes huius fuere sententiæ; cum tamen vulgatum satis sit, Doctoris dictum exponendum secundum auctores, quos adducit: quemadmodum a se ipso discors non est in cap. 1. bonæ memoriæ de postulat. Prælat. quippe num. 2. hanc regulam statuit. *Notatur ad hoc quod beneficia oriundis potius, quam exteris sunt conferenda*: quam comprobat auctoritate Cosmæ, Rochi de Curte, Gregorii Lopez, Duennas, Mandosii, Azevedi, Ojeda, Covarruviæ, Rebuffi, Flamin. Salzedo ad Bernardum, Azorii, Gonzalez, Cævallos, Villar, Dianæ, aliorumque. Et licet num. 8. dicat, in Lusitania exteros a beneficiis excludi ex privilegio Summi Pontificis, non eodem modo loquitur de Castellanis, sed apud eos astruit ex L. L. Regiis exteros ad beneficia venire non posse. Quod etiam de Aragonensibus tradit, & de Gallis, & num. 13. addit. *notatur & hoc, quod in dubio Papa intendit cuique providere in Patria sua, ut per Nicolaum Garciam de benefic. part. 5. c. 9. num. 16. alias si forensis, vel alienigena impetrat beneficium non facta mentione de loco suæ originis, seu de sua Diœcesi, gratia est subreptitia, dixi ad glossam cap. si proponente sup. de rescriptis.*

Rursus Gonzalez in cap. final. de Cleric. peregrin. fusè probat non posse conferri beneficia, nisi iis, qui ex eodem Regno, vel Provincia, vel Diœcesi, ubi ea vacare contigerit, sunt oriundi, etiam prolatis Canonibus, quibus jubetur instituendos esse, qui sunt ex Ecclesiæ gremio; commoda quæ ex hoc sequuntur, incommoda quæ ex alienigenarum institutione proveniunt, exequitur num. 6. id confirmat etiam eo quod exteri sint semper suspecti; *accedit publica utilitas ne exterus in Regno provideatur, propter suspicionem proditionis; facilè enim Regni arca-*

na revelabunt. num. 7. obviam ivit difficultati, quod apud Deum non sit acceptio personarum, & Sanctuarium Dei non deceat jure hæreditario possideri; *nec obstat difficultas supra adducta, cui satisfaciendum est asserendo, acceptionem personarum non esse habendam, dum datur eadem ratio in ipsis personis: at si militat diversa ratio, diversum jus est statuendum cap. de multa 28. in fine, ubi Abbas de prabendis: in præsenti autem casu militat diversa ratio inter indigenas, & alienigenas; quia illi sunt aptiores, ut supra probavi; unde extraneis, & peregrinis meritò præferuntur.* Qui etiam nu. 6. ex D. Thoma, & Zapata de justit. cap. 6. num. 4. statuit, præponendum dignum Civem extraneo digniori, & *cap. 2. de Cleric. non resident.* ait, justissimas esse leges Hispaniæ, quæ alienigenas a beneficiis proturbant; etiam quia censentur ea impetrare animo non residendi, ut alibi dictum est.

Et quamvis num. 4. dicat prohibitum esse, ne exteri in beneficiis indigenis, & oriundis præferantur *ex honestate, & congruentia*; attamen falluntur adversarii, si putant legem hanc honestaris impunè violari posse; quemadmodum mera hallucinatio est ex Gonzalez inducere, non anteferri indigenas extraneis, nisi fiat gratia juris communis, aut ex dispensatione; cum tamen contrarium docet relatus Auctor, nempe jus commune assistere indigenis: quamquam in eum errorem fuerit prolapsus ex incuria, aut incogitantia, ut existimaret, posse adversus hoc jus commune dispensari ab Episcopo, quod falsissimum esse supra deduximus: quo etiam admisso, non potuisset dispensandi potestas exerceri, nisi ex causa, & necessitate.

Item Crespi de Valdaura *par. 1. observ. 6.* cum retulisset leges Hispanorum Principum, quibus exteri a beneficiis deterrentur, *num. 61.* ait a Sixto V. Pontifice Maximo 1587. approbatas fuisse. Sed præterquamquod, & ante Sixti privilegium leges prædictas & fuisse conditas, & in usu quotidiano positas testatur, *d. observ. 6.* non uno in loco docet, abstentionem exterorum a Sacerdotiis, constitutam esse Sacris Canonibus, & jure communi

Pon-

Pontificio, ut ex num. 80. ex num. 81. & num. 88. ibi: *non tamen, ait, in omnibus casibus, nec fit verbum de præferendis extraneis his, qui sunt de gremio illius Religionis, & Ecclesiæ, atque ita manent iura Canonica, quæ eos præferunt, cap. 5. de præben. in 6. cap. nullus 61. distin. gloss. in cap. statuimus 15. de maiorit. & obedientia cap. final. de constitut.*

Longum esset in unum cogere omnia Salgadi loca, in quibus causam agit indigenorum. Iustas esse leges Principis Politici, ablegantes alienigenas a Sacerdotiis, tuetur hic Auctor de supplicat. ad Sanctissimum cap. 4. num. 38. *hinc est, quod ad evitandum scandala, quæ futura esse timentur, licita est lex Regni, vel statutum disponens, ne alienigenæ obtineant beneficia Ecclesiastica in Regno, vel Provincia;* subditque ex multorum auctoritate, has leges jure Canonico non improbari: quod & confirmat cap. 5. nu. 60. ratione publicæ utilitatis: *hinc etiam oritur, quod ob bonum Regni, & ex causa publicæ utilitatis potest Rex temporalis condedere legem, ne alienigenæ acquirere queant beneficia Ecclesiastica in suo Regno.* Et ex hac causa posse existimat fructus beneficiorum sequestro subiici, *cap. 10. nu. 21. & 22. & nu. 92. 93. & 95. & n. 69. & seq.* Qui licet *n.* 69. indultis Apostolicis dicat prohiberi extraneos a beneficiis in Hispania; his adjungit consuetudinem supra hominum memoriam, & legum Regiarum sanctiones, & num. cxi. ait: *immemorabilem, & laudabilem consuetudinem fuisse indultis Apostolicis confirmatam:* quemadmodum *cap. 4. num. 26.* asseruit alienigenas excludi, & jure, & privilegio.

Quonam consilio Adversarii usi fuerint testimonio Quesadæ *num.* 2. equidem non video, cum ille beneficia conferenda esse indigenis non modo statutum esse defendat jure Ecclesiastico *num.* 2. sed etiam jure Divino *num.* 3. & jure naturali *num.* 8. qui etsi *num.* 13. narret, fuisse alienigenas Sardiniæ interdictos beneficiis non solùm sanctionibus regalibus, sed etiam literis Clementis VIII. nihilominus id ex privilegio non pendere, satis demonstrat verbis, quæ subsequuntur: *quæ prohibitio juri videtur consona, ac Reipublicæ peræque utilis,* compro-

bans

bans id ex Diana, Salgado, & Tonduto.

Cenedus autem *quæst.* 18. licet se involuat, ac velut in luto hæreat, & adeo obscure, ac varie loquatur, ut vix expiscari quis possit, quidnam in mente habuerit, ac ne ipse quidem, ut puto intellexerit; post ea verba, quibus adversarii nituntur, *num.* 9. iustissimas constitutiones esse, quæ alienigenas a beneficiis proijciunt, concludit, ut eæ serventur, Ecclesiarum rectum regimen, ac civilis status exposcere; si adversus eas aliquid fiat, innumeras ærumnas, ac calamitates, in damnum Reipublicæ, ac sacrorum, & Hierarchicæ Politiæ exoriri: denique dicto *num.* 9. privilegium Sixti in dubium vocat, nec ex eo jus Regum Hispanorum, & Castellæ, Valentiæ, Aragoniæ, aliorumque Hispaniæ Regnorum deducit, sed ex legibus Regiis, pro communi utilitate latis, & ex consuetudine hominum memoriam excedente: ut cuique eum consulenti facilè patebit.

Demum non aliquid suffragatur adversariis Garcia *de beneficijs part.* 7. *cap.* 9. licet adversus jura regia pessimè animatus. Quamvis enim *num.* 4. dicat, seposito privilegio, aut consuetudine, posse conferri beneficium Clerico aliàs idoneo undecumque sit; attamen hoc restrinxisse ad illum casum, cum nullus adest eo munere dignus in loco, vel Diœcesi beneficii, palam est ex eo, quod statim subjicit num. 5. *Sed qui est ex loco seu Diœcesi beneficij, debet, si est idoneus, alijs extraneis præferri*, ob quod probandum innumeros auctores congerit, adjecta etiam rerum judicatarum auctoritate. Quin verbis declarat conceptissimis, hac in re idem juris esse in Episcopatibus, & in aliis beneficiis: quod & pariter affirmat de iis qui sunt ex Ecclesiæ gremio num. 6. *Sicut etiam alteri præferendus est, qui ex gremio Ecclesiæ*, in quam sententiam sexcentos adducit. Nec turbat, eum *num.* 7. dicere, hoc valde honestum esse, ac utile, quod tamen sufficeret, ut non posset pro exteris allegari: siquidem, & *num.* 9. præferendos esse non modo Cives, sed etiam incolas extraneis definit, ex Fusco, Cecho, Ledesma, Hugolino,

no, aliisque, *& num.* 18. expressissimè statuit, hoc non modo congruere honestati, sed etiam rationi, ac juri; ideoque si alienigena beneficium impetret, nulla facta mentione suæ Patriæ, & originis, gratiam vitiari tanquam per subreptionem obtentam, cum Pontifex censendus sit unicuique velle in sua patria prospicere, quod & supra tetigimus.

Quæ eo libentius perstrinximus, ut quivis videat, neminem esse ex Auctoribus, in quibus Adversarii omnem spem repositam habebant, qui iis vel paululum patrocinetur. Ne autem quis hoc privilegii nomine decipiatur, quo aliquando Scriptores utuntur; illud addendum est, privilegia appellari, tam ea, quæ impetrantur a Regibus, & Imperatoribus, & dicuntur προνόμια, ut ex *Novella* 131. *de Ecclesiast. tit. & privil.* §. πάντα τὰ προνόμια, quo sensu etiam privilegia Pontificum adversus antiquos mores, ac vetustam disciplinam Ecclesiæ, προνόμια etiam nuncupari possunt: quam privilegia Canonica, hoc est jura ex sacrorum Canonum præscripto competentia, quæ dicuntur πρεσβεῖα, Synodi Nicænæ can. 6. ubi ita vocat provincialium Ecclesiarum eximia jura, quo loco tam vetus Interpres, quam Dionysius Exiguus, vertunt *privilegia.* similiter (ait Dionysius) *apud Antiochiam, cæterasque Provincias privilegia serventur Ecclesiis.* Hac notatione verbum illud accipitur, tum a Leone Imperatore *lege* 16.*Cod. de sacrosanct. Eccles.* a quo jura Sedium Patriarchalium, & Metropolitanarum dicuntur privilegium Metropolitanum, & Patriarchicum, tum a D. Leone Magno Pontifice Maximo epist. 55. ibi: *privilegia Ecclesiarum, Sanctorum Patrum Canonibus instituta, & Venerabilibus Nicænæ Synodi fixa decretis, nulla possunt improbitate convelli, nulla novitate mutari.* Quod loquendi genus usitatissimum est etiam apud Gregorium Magnum, Hilarum, Gelasium, Hormisdam, aliosque Summos Pontifices; & ipsorum exemplo, nos quoque indigenarum jus, privilegium nominavimus. Unde non mirum est, Scriptores aliquando de juribus indigenarum agentes, privilegii ap-

pel-

pellationem interferere; intelligentes de privilegiis Canonicis, quæ idem sunt, ac jus commune; & de iis, quæ sunt τὰ πρεσβεῖα, non τὰ προνόμια, ut optimè ajebat Jacobus Leschasserius de privilegiis Ecclesiæ Gallicanæ: *Quelques vns pour affoiblir ces droits communs anciens, & libertez, les veulent restreindre a la signification, qui est vulgaire aujourdhui du mot de Privileges, du quel mot ils appellent les privileges, que l'on dit Apostoliques, c'est a dire octroyez par le Papes. Il est vray, que plusieurs François le temps passè ont appellè leurs libertez Privileges Canoniques, tenans ce mot de la traduction impropre faite en latin du mot πρεσβεῖα, qui est au 6. Canon du Concile de Nicèe, & au 2. Canon du Concile de Constantinople, qui sont les privileges Canoniques, que nos Rois par leur serment ancien iurent a leur couronnement de garder a tous Prelats, & eux Eglises de France. Les Papes Leon I. & Hormisda au Canon Privilegia, & Canone Servatis 25. q. 2. font grand estat de ces privileges Canoniques, festimans tenus de les garder. Mais il faut lire leur intention dans ce lieux tels, que ceux qui ont reveu a Romè le decret de Gratian les ont restablis. Car lors que le decret fut fait on les mutila de ce mot Canoniques, ou autres semblables, pour le different, qui estoit lors entre l'Eglise Gallicane, e la Cour Romaine, celle la se tenant aux privileges Canoniques, et celle cy ne voulant point que l'on reconneust autres privileges, que ceux, que l'on dit Apostolique, que le Pape octroye.*

Cæterum & si quis privilegium accumulet a Summo Pontifice, vel alio Principe concessum, juri communi, vel alteri, quo erat munitus, ei ullam imminutionem non infert, neque ex eo, quod cuipiam privilegium indultum sit, aliquid agendi argui potest, nisi perperam, eandem facultatem hunc non habuisse privilegio secluso. Scilicet privilegia persæpe bonam fidem agnoscentis, veluti confessionem continent, plerunque ab iis, qui verecunda cogitatione lites, ac diffidia execrantur, petuntur, & obtinentur, ut cesset quæcunque controversia, quæ fortasse iis posset, licet injustè fieri, quæcunque molestia, quæ contra jus, fasque eis posset exhiberi: & ea de causa,

quam

quam expressit Hincmarus in epist. ad Nicolaum edit. Paris. *Privilegia Sedis Apostolicæ non idem petij, ut mihi non sufficeret, quod Sacri Canones, & Decreta Sedis Romanæ Pontificum, cuique Metropoli Sedi concedunt, & nec alia, vel amplius, quam Ecclesia Rhemorum collatum est ex antiquo, mihi largiri specialiter petij, neque appeto. Sed quia non solum Diœcesis, sed etiam Parœcia mea inter duo Regna sub duobus Regibus habetur divisa, & res mihi commissæ Ecclesiæ sub multorum Principum potestate consacere videntur, de quibus nihil, aut parum utilitatis Ecclesia nostra potest habere: quia veteres constitutiones jam pro vili apud quosdam habentur, his novis decretis carnales, & animales homines territi, quiddam reverentius contra Ecclesiam indignitati meæ commissam agerent.* πᾶς γὰρ ἀδικῶν εἰς ἀπολογίαν ἕτοιμος. *Quisquis injustè agit, facti defensionem in promptu habet*, ait Gregorius Nazianzenus in orat. in sancta lumina: Multa quidem causantur peregrini Beneficiarii, sed inanissima, *excusantes excusationes in peccatis*, iterumque & tertiò obstrepentes obtrudunt, quæ toties, ac fortasse longius, quam par erat, & res poscebat, rejecimus.

Occidit miseros crambe repetita magistros.

Separant Episcopatus ab aliis beneficiis, sed reclamante tota antiquitate, reclamantibus Patribus, ac Conciliis. Quomodo declinare poterunt auctoritatem Concilii Chalcedonensis, quod semper maxima veneratione prosecuta est Ecclesia; cujus canones vim legum habere jussit Imperator Iustinianus Novel. 131. cap. 1. θεσπίζομεν τοίνυν τάξιν νόμων ἐπέχειν τοὺς ἁγίους ἐκκλησιαστικοὺς κανόνας, τοὺς ὑπὸ τῶν ἁγίων τεσσάρων συνόδων ἐκτεθέντας, scilicet Nicænæ, CPnæ, Ephesinæ, καὶ τῆς ἐν Χαλκηδόνι, & Chalcedonensis: Et in Basil. *lib. 5. tit. 3.* §. 2. quorum defensio & hoc nomine speciatim Principi incumbit. Quærant ut velint, in quas se conjiciant latebras, ac recessus. Quò se proripient, aut conferent, ut se tueri possint adversus Canonem vigesimum sextum Oecumenicæ illius, ac Sanctissimæ Synodi? in quo cum institutum fuisset Oeconomi officium, quod nihil a beneficiis simplicibus

differt. Oeconomi, inquam, ad hoc, ut per eum Ecclesiasticæ facultates tractarentur, & illarum ipse esset demensor, ac dispensator; cavit, & verbis quidem apertissimis, ut ille eligi deberet è Clero proprio Ecclesiæ, cujus reditus erant procurandi: Ἐπειδὴ ἔν τισιν ἐκκλησίαις, ὡς περιηχήθημεν, δίχα οἰκονόμων οἱ ἐπίσκοποι τὰ ἐκκλησιαστικὰ χειρίζουσι πράγματα, ἔδοξε πᾶσαν ἐκκλησίαν ἐπίσκοπον ἔχουσαν, καὶ οἰκονόμον ἔχειν ἐκ τοῦ ἰδίου κλήρου. *Quoniam in nonnullis Ecclesiis, ut sæpe a nobis auditum est, Episcopi absque Oeconomo tractant res ecclesiasticas, placuit omnem Ecclesiam Episcopum habentem, ex proprio Clero, Oeconomum habere.*

Cum inter Ibam Edessenum Episcopum, ejusque accusatores Clericos, pax fuisset conciliata Eustathii opera Berytensium Antistitis, & Photii Tyriorum Præsulis, in ejus conditionibus, fuit expressum, ut res Ecclesiæ per Oeconomum ex Clero suscipiendum gubernarentur: nempè quia Ibas, ejusque nepos Charrorum Episcopus, malevolorum linguis, ac sermonibus traducebantur, quod ecclesiasticam substantiam per semetipsos sine Oeconomis, ac testibus administrassent, qua re eis invidia conflabatur, ut constat ex Synodo Berytensi cap. 9. *De Ecclesiastico reditu, & ex quacunque causa acquisitis Sanctissimæ Ecclesiæ, placuit Religiosissimo Episcopo Iba ex propria voluntate promittere, quod de cætero, secundum formam Antiochenæ maximæ Civitatis, gubernarentur res per Oeconomos ex Clero ordinatos ab ejus religiositate.* Id causam dedisse Canoni Concilii Chalcedonensis, conjecturam facit Christianus Lupus. Huic Concilio conjungere possumus & aliud Oecumenicum non minoris in Ecclesia ponderis, nempe Nicænum 2. canone 11. in quo cum dicitur: Καθ᾽ ὑπόχρεῳ ὄντες πάντες τοὺς θείους κανόνας φυλάττειν, καὶ τὸν λέγοντα, οἰκονόμους εἶναι ἐν ἑκάστῃ ἐκκλησίᾳ, παντὶ τρόπῳ ἀπαράθραυστον διατηρεῖν ὀφείλομεν. *Cum simus debitores omnes sacras literas custodire, & eum qui dicit, in unaquaque Ecclesia Oeconomos esse, modis omnibus inviolabilem conservare debemus.* Dubium non est, quin Patres intellexerint de Canone 26. Chalcedonensis Concilii, quem propterea cum confirment, confirmant

etiam

etiam electionis formam, ut non nisi ex Clero Ecclesiæ possit accipi Oeconomus, qui illius proventuum curam debeat in se suscipere; quò pertinet κρίσις & δοκιμασία, quam adhibendam in deligendo Oeconomo, statuit Iustinianus in ejus Græca constitutione 42. de Episcopis, & Clericis. Non posse eum, nisi ex Clero Ecclesiæ, aut familia sumi, testatur etiam Photius in Nomocanone c. 10. comprobans, non modo ex Canone Chalcedonensi, sed etiam Nicæno, & Theophili commonitorio, περὶ διοικήσεως ἐκκλησιαστικῶν πραγμάτων, καὶ περὶ τῶν ἰδικῶν τοῦ ἐπισκόπου, περὶ τοῦ χρῆναι τὸν οἰκονόμον ἐκ τοῦ κλήρου τῆς ἐκκλησίας εἶναι, συνόδου Χαλκηδόνος κανὼν κϛ΄. συνόδου Νικαίας τῆς β΄. κανὼν ια΄. Θεοφίλου ἐκ τοῦ ὑπομνηστικοῦ κανὼν θ΄. *De administratione rerum Ecclesiasticarum, & de rebus Episcoporum proprijs. Quod Oeconomum ex Clero Ecclesiæ, cujus Oeconomus est, esse oporteat. Concilij Chalcedonensis can. 26. Concilij Nicæni secundi can. 11. Theophili ex Commonitorio canon 9.*

Nec in posterioribus Conciliis Ecclesia semper eadem, pristinos sensus deposuit, omnibus in id consentientibus, ut non nisi uni ex Ecclesiæ sinu, quacunque spe ad illud pervadendi extraneis interclusa, officium, sive beneficium illud deferretur; ut patet ex secunda Synodo Hispalensi cap. 9. *Vnusquisque Episcopus secundum Chalcedonensium Patrum decreta ex proprio Clero Oeconomum sibi constituat*, & quarta Toletana cap. 48. *Eos quos Oeconomos Græci appellant, hoc est qui vice Episcoporum res Ecclesiasticas tractant, sicut sancta Synodus Chalcedonensis instituit, omnes Episcopos de proprio Clero ad regendas Ecclesias habere oportet.* Quin vacante sede, cum partes essent Metropolitani in ea Oeconomum statuere, hunc nisi ex ipsa Diœcesi petere non poterat, quod colligere licet ex canone secundo Concilii Valentini: *ut sede Episcopali vacante Metropolitanus ex ea Oeconomum deputaret, qui Clericis stipendia dispensaret, & bona administraret, futuro Episcopo rationem redditurus.*

Unde quoties Oeconomorum mentio, toties adjicitur, eos fuisse ex Ecclesiæ Presbyteris, ut videre est ex

Nicephoro Callixto, qui laudat Ioannem Presbyterum Alexandrinum Oeconomum Ecclesiæ Sancti Ioannis Baptistæ, & Cyriacum Presbyterum Constantinopolitanum Oeconomum Ecclesiæ magnæ *lib.* 16. *cap.* 11. *lib.* 18. *cap.* 40. Liberato Diacono Carthaginēsi, qui scribit de Ioanne Talaja Presbytero Alexandrino cap. 16. *Factus est Oeconomus habens causas omnium Ecclesiarum*, & Sozomeno *lib.* 8. *cap.* 2. & 12. Ubi ait, Isidorum Pelusioten ejusdem Ecclesiæ Presbyterum Oeconomum fuisse, licet pauperum duntaxat, & peregrinorum. Sed pluribus opus non est, cum hæc ariolatio in superioribus refutata fuerit abundè.

Non posse ajunt sanctuarium Dei jure hæreditario possideri. Et huic argutationi cumulatè jam satisfecimus. Sed ut telum hoc in ipsos, qui in nos jaciunt retorqueamus, ille idem Sanctus Hilarus Pontifex, qui tantopere ira exarsit, excanduitque, quod Nundinarius Barcinonensis Episcopus, moriens Clero, ac plebi Iræneum suum successorem designasset, qui in Concilio hac de causa Romæ habito tam contumeliosè factum hoc fuit persecutus, quasi id fuisset in Sacerdotium jus hæreditarium invehere: *Nova & inaudita* (verba sunt quæ habuit Hilarus in Concilio) *in Hispaniis perversitatum semina enasci, Episcopatum, qui nonnisi meritis præcedentibus debetur, hæreditarium compendium, non divinum munus nonnullis haberi, Sacerdotium ut res caducas, & mortales legali, legatariove, aut testamentario jure dimitti, plerosque Sacerdotes in mortis confinio cōstitutos, suo alios loco nominatim designatos subrogare, ut non legitimè expectetur electio, sed defuncti gratificatio pro populi habeatur assensu: id quam grave sit estimate: hanc itaque si placet licentiam ab Ecclesia auferamus, ne quod turpe dictu est, quod Dei est, homini quisquam deberi putet. Ab universis Episcopis, & Presbyteris acclamatum est multoties: hæc præsumptio ne fiat: quæ Dei sunt ab homine dari non possunt* (vides quid nam esset apud Pontifices, & Concilia, Sacerdotium tanquam hæreditatem censeri) tamen idem ipse sanctissimus Pontifex, dum jus hæreditarium

a Sa-

à Sacerdotiis propellit, ex Concilii sententia præcipit, ut proprius ex Clero proprio, Barcinonensibus creetur Antistes: adeo verum est, ut advertit Claudius Espencæus *lib. 3. digref. cap. 21.* cum his, qui sunt ex Ecclesiæ catalogo, beneficia tribuuntur, nihil fieri contra regulam, quæ in iis successionem hæreditariam prohibet: *Respondit cum Concilio Papa cap. 3. & 5. remoto a Barcinonensi Ecclesia Irenæo, & ad suam remisso, aut si redire neglexerit, a sua etiam removendo: Barcinone aliunde e Clero proprio Episcopum eligendum, ne aliter factum, ut in Dei (a quo specialiter Sacerdotalium est gratia dignitatum) injuriam admissum, ne honor Episcopatus hæreditarium jus putetur, quod nobis sola Dei nostri Christi benignitate confertur. Hujus rescripti fragmentum extat 7. q. 1. cap. remoto. Habes ergo successorem cooptatum accedente licet populi, Clerique consensu, & Episcoporum decreto, vix ac ne vix quidem receptum, non modo quia alterius Ecclesiæ ministrum (sed quoniam quod tantò post Hilarium Alexander 3. c. ex transmissa Extr. lib. 1. de filiis Presbyterorum dixit) successionem Dei Ecclesia hæreditariam detestatur.*

Proferunt exempla quorundam SS. virorum, quibus licet externis, patuit aditus ad Episcopatum. Sed ab omni regula excipitur: quod divina gratia fit, *θεία χάριτι*, ut in Canone 80. Apostolico, quo Neophyti ab Episcopatu removentur, additur hæc exceptio, *nisi forte hoc divina gratia fiat*, ea gratia, quam Apostolus in epistola ad Timotheum vocat *præcedentes prophetias*, idest divinas revelationes, aut signa, quibus frequenter fieri consuevisse Episcoporum electiones, & Cyprianus, & Hieronymus Comment. in Aggæum Prophetam fidem faciant. Et tamen licet S. Hilarius ex Cœnobio Lirinensi invitus, ac reluctans, totius populi, & Cleri consensu fuisset ad Sedem Arelatensem evocatus, ipso evidenti Dei judicio, cum esset per plura signa, ac miracula, etiam, quod columba in capite Sanctissimi viri recubuisset, id divino numini placere, exploratissimum, ut etiam de S. Honorato decessore suo scribit idem Hilarius (vid. ipsorum vitas a Quesnellio evulgatas ad calcem operum Divi

Leo-

noluit jure id suo facere, sed satius duxit, ut ea capita Concilii decreto confirmarentur, quæ publicè recitata à Beroviciano Sacri Consistorii à secretis, in canones illius Concilii relata sunt, ut ex Concilii Chalcedon. act. 6. *Divinissimus, ac piissimus Dominus noster ad Sanctam Synodum dixit*: Τινά ἐστι κεφάλαια, ἅτινα πρὸς τιμὴν τῆς ὑμετέρας εὐλαβείας ὑμῖν ἐφυλάξαμεν, πρέπον ἡγησάμενοι, παρ' ὑμῶν ταῦτα κανονικῶς κατὰ σύνοδον τυπωθῆναι, ἢ νόμοις θεσπισθῆναι ἡμετέροις: *quædam capitula sunt, quę ad honorem vestrę reverentię, vobis servavimus, decorum esse judicantes à vobis hæc regulariter potius formari per Synodum, quàm nostra lege sanciri.*

Sed nobis magnopere laborandum non est, ut huic objectioni obviam eamus. Siquidem à Deo Optimo Maximo fuit Regibus Ecclesia concredita, ac commendata, adeout ex officio teneantur canonicas constitutiones suis legibus tueri, omni studio, ac opera incumbere in cultum Divini Numinis amplificandum, qui non modò in Fide, sed etiam in disciplina cõtinetur; curamq; omnem adhibere, ne sacri canones violentur, ne ecclesiasticorum bonorum reditus malè administrentur, neve in usus ab illorum institutis alienissimos insumantur. Hinc Justinianus in rescripto, quod dedit ad Decianum Metropolitam Concilii Byzaceni in Africa, inquit: *Semper nostrę Serenitati cura fuit servandę vetustatis, maximè disciplinæ, quam nunquam contempsimus, nisi in melius augeremus, præsertim quoties de Ecclesiasticis negotiis contingit quæstio, quę Patrum constat regulis definita, immò adventu superni Numinis inspirata, quia constat esse cælitus constitutum quicquid Apostolica decernit auctoritas*, & infra; *Nos tutores sumus vetustatis, & vindices, &c.* ad quæ verba animum advertãt velim, qui in canones irrumpentes, eisque bellum indicentes, pravarum quarundam consuetudinum specie impietatem suam obtegere posse existimant, quasi infirmum sit ob eas abolendas regiæ tuitionis auxilium: quandoquidem Justinianus testatur se vetustatem colere, ac venerari, nihilque sibi antiquius fuisse, quàm ut bonorum temporum statuta servarentur, si desuevissent, ut restituerentur, se-

tuto.

tutorem esse vetustatis, ac vindicem, & in Nov. 3. se nihilo minorem Ecclesiæ, quam vitæ suæ rationem habere fatetur. Hinc tot Constitutiones ejusdem, aliorumque Imperatorum in lib. 1. Codic. Justinian. in lib. *τῶν νεαρῶν*, in postremo lib. Codicis Theodos. lib. 1. jur. orient. apud Balsam. ac etiam in Capitularibus. Sunt enim Principes Religionis, & Ecclesiæ defensores, & ut Esaias loquitur *nutritii* cap. 49. Unde Imperatores Theodosius, & Honorius in epistola ad Marcellinum: *Neque enim aliud aut belli laboribus agimus, aut pacis cõsilio ordinamus, nisi ut verum Dei cultum Orbis nostri plebs devota custodiat.* Et Theodosius in epistola ad Cyrillum: *Cæsarei est muneris, ut non solùm pacificè, sed piè etiam subditi vivant.*

Hanc Ecclesiæ, & decretorum ejus tuitionem, intervers æ disciplinæ instaurationem Principibus commissam esse suadent sacræ literæ tam veteris, quàm novi testamenti, Sanctorum Patrum consentiens auctoritas, agnoscunt Summi Pontifices, qui sanctitatis gloria claruerunt, agnoscunt Concilia, Scriptores Ecclesiastici confitentur, cujus officii & eos commonefacere videtur sacra unctio, ob quam Sacerdotibus quodammodo assimilãtur, tituli que honorifici, quibus ex causa patrocinii, quod Ecclesiis, & rebus sacris exhibere debent, ab ipsis etiam Romanis Pontificibus, & Synodis appellari meruerunt. Hoc idem patrocinium, quod ipsis ex jure Divino, & Ecclesiæ praxi asseruerunt jampridem clarissimi viri, & non minus doctrina, quam pietate florentissimi, ut Reges suscipere debeant, poscit Sacramentum, quod tempore inaugurationis præstare soliti sunt, poscit ea consonantia, aut *symphonia*, ut loquitur Iustinianus, qua inter se cohærere debent Sacerdotium, ac Imperium, poscit & generalis constitutio, qua Imperatores sacris canonibus legum robur perindè ac si ab se editæ sanctiones forent addiderunt.

Quantam rerum Divinarum curam gesserint Judaicæ Reip. Principes, quo jure, qua potestate in iis usi fuerint, nemo in sacris libris vel mediocriter versatus est, qui nesciat.

Quales hac in re se præbuerint, præter Davidē, Salomon, Josias, Josaphat, Ezechias hic commemorare supervacaneum est. Joadis exemplum, quod in oculis habere, quod imitari cæteri Principes, quibus Religio cordi est, debent, quodque Invictissimus Rex Carolus Tertius secutus videtur, supra retulimus. Ne quis autem dicat, eam potestatem exercuisse Judæorum Reges, quia in Synagoga jurisdictiones erant confusæ, & permistæ, quæ per legem Evangelicam fuerint discriminatæ, & sejunctæ, ita ut utrumque imperium & Ecclesiasticum, & politicum in Principibus hodie non coalescat, sicut olim idem & Regis, & Sacerdotis personam induebat (quamvis hæc disceptatio jus constituendi religiones, & cæremonias solummodo respiciat, non autem jus patrocinij, & tuitionis, ad quod pertinet Joadis exemplum, cujus exercitium penès illos fuisse tanquam Reges nemo inficiabitur) juvat addere hujusmodi provinciam Ecclesiæ protegendæ, ac canones custodiendi ab ipso Christo Principibus Christianis mandatam esse, quod colligere est ex Paulo ad Timoth. 2. ubi fideles hortatur, *ut orent pro Regibus, & his, qui in sublimitate sunt*, hanc causam subjiciens, *ut quietam, & tranquillam vitam agamus in omni pietate, & castitate*. Huc refert Augustinus epist. 164. & illud Pauli, *qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit, non enim frustra gladium portat*, addens Principes adversus eos, qui Ecclesiam, & religionem perturbant, ac lædunt statuere quod volunt pro sua sollicitudine, ac potestate. Sed & idem Apostolus, Dei ministram dicit summam potestatem εἰς τὸ ἀγαθόν ad bonum, qualecunque scilicet. In id quoque trahi solet psalmus secundus, in quo monentur Reges, ut Dei filio se ministros præstent, quatenus Reges sunt, quod ita interpretatur Augustinus contra Crescon. lib. 3. cap. 51. *In hoc Reges, sicut eis divinitùs præcipitur, Deo serviunt inquantum Reges sunt, si in Regno suo bona jubeant, mala prohibeant, non solùm, quæ pertinent ad humanam societatem, verum etiam, quæ pertinent ad divinam religionem*; Idem tradit ep. 50. ad Bonifacium, & ep. 166,

Quod

Quod divina oracula clarissimè demonstrant, & ipsi Summi Pontifices testati sunt, ut Sixtus in epist. ad Ioannem Antiochenum: *Sciunt* (Imperatores) *se illi fœnerare sollicitudinem suam, qui eam cum grandi reddat usura, de qua re nos convenit gloriari, quia cœlestem Regem videmus fautores habere Reges terrarum*. Nihil frequentius offeretur in Leonis epistolis, qui ep. 82. in hunc modum cognominè Imperatorem admonet: *Debes incunctanter advertere, regiam potestatem non solùm ad mundi regimen, sed etiam maximè ad Ecclesiæ præsidium esse collatam, ut ausus nefarios comprimendo, & ea quæ benè sunt statuta defendas, & veram pacem, his quæ sunt turbata restituas*: cui concinit Anastasius Secundus in epist. ad Anastasium Imperat., & Agatho in epist. ad Constantinum Quartum; idemq; Leo epist. 29. ad Pulcheriam Augustam, unde exscriptus c. 21. caus. 23. q. 5. generatim profitetur *res humanas aliter tutas esse non posse, nisi quæ ad divinam confessionem pertinent, & Regia, & Sacerdotalis defendat auctoritas*: a quibus non abest Hilarus in epist. 11. ubi ait *ea convelli non posse, quæ & Sacerdotali Ecclesiastica præceptione fulciuntur, & Regia*. Confert, quod ait Urbanus c. tributum c. 23. q. 8. de Imperatoribus verba faciens, *pro pace, & quiete, qua nos tueri ac defensare debent*, & Pelagius in epist. ad Childebertum Gallorum Regem ann. 557. *in perturbatione Ecclesiarum; quas vobis Deus credidit*: congruit etiam, quod legitur post can. *dicat aliquis* 25. caus. 23. q. 5. in fin. *Præterea sicut Principibus, & potestatibus fidem, & reverentiam exhibere cogimur, ita sæcularium dignitatum administratoribus, defendendarum Ecclesiarũ necessitas incumbit*, quo loci additur, id quod notatu dignissimum, si hoc facere Principes contempserint, esse a communione repellendos, in cap. administratores planè 26. caus. 23. quæs. 5. ibi *administratores planè sæcularium dignitatum, qui ad Ecclesiarum tuitionem, & rapaciumq; refrænationem constituti*: c. Reati. 63. dist. iis verbis: *Reatina Ecclesia, quæ per tot temporis spatia pastoralibus destituta curis consistit, dignum est ut brachio amplitudinis vestræ sublevetur, ac gubernationis tegmine protegatur*. cap. nimium 23. qu. 4. cap. si Ecclesia 42. in fin. caus. 23. qu. 4.

Quo.

Quomodo ergo Reges serviunt Domino in timore, nisi ea quæ contra jussa Domini fiunt, religiosa severitate puniendo, atque plectendo? Quæ verba illuc traducta sunt ex Augustini epistol. ad Bonifac. cap. duo ista eadem caus. & quæst. & in cap. de Liguribus 43. caus. 23. q. 5. ibi; *quos idonea est excellentia vestra, & ratione, & potestate reprimere*, & inferius, *Nolite ergo dubitare hujusmodi homines principali, vel judiciali auctoritate comprimere, quia regulæ Patrum hoc specialiter constituerunt, ut si qua Ecclesiastici officii persona, &c. per potestates opprimantur. Ecce Domine, quod animus vester forte timidus est, ne persequi videaris, de Patrum vobis auctoritate hæc breviter dirigenda curavi, cum mille alia exempla, & constitutiones sint, quibus evidenter agnoscitur ut scissuras facientes in sancta Ecclesia non solum exiliis, sed etiam proscriptione rerum, & dura custodia per publicas potestates debeant coerceri.* Quod non solùm ad ea quæ sunt fidei orthodoxæ spectat, sed etiam ad Ecclesiasticam disciplinam. Gelasius ad Anastasium Imperat. *Quantum ad ordinem pertinet publicæ disciplinæ cognoscentes imperium tibi superna dispositione collatum, legibus tuis ipsi quoque parent religionis antistites;* nam, ut inquit Sum. Pontifex in Clem. 2. de stat. monach., *ubi gubernaculum disciplinæ contemnitur, restat, ut religio naufragetur.* Quocirca Isidorus Hispalensis de sūmo bono c. 53. Principes à Christo tuendam Ecclesiā suscepisse affirmat, nec dubitandum quin ab ipsis rationem reposcere debeat, quomodo hoc munus expleverint, cujus verba transtulit Gratianus 23. q. 5. c. 20. *Principes sæculi nonnunquam intra Ecclesiam potestatis adeptæ culmina tenent, ut per eandem potestatem disciplinam Ecclesiasticam muniant. Cæterùm intra Ecclesiam potestates necessariæ non essent, nisi ut quod non prævalet Sacerdos efficere per doctrinæ sermonem, potestas hoc imperet per disciplinæ terrorem. Sæpè per Regnum terrenum cœleste Regnum proficit, ut qui intra Ecclesiam positi contra fidem, & disciplinam Ecclesiæ agunt, rigore Principum conterantur, ipsamque disciplinam, quam Ecclesiæ humilitas exercere non prævalet, cervicibus superborum potestas principalis imponat, & ut venerationem mereatur virtutem potestatis impertiat. Cognoscant Principes sæculi, Deo debere se reddere*

dere

dere rationem propter Ecclesiam, quam a Christo tuendam susci-piunt. Nam sive augeatur pax, & disciplina Ecclesiæ per fideles Principes, sive solvatur, ille ab eis rationem exiget, qui eorum po-testati suam Ecclesiam credidit.

Sive autem vetera Concilia, sive recentiora tam generalia, quam Provinciarum memoria repetamus, in eandem sententiam ea conspirare facile patebit. In epi-stola Synodica Concilii secundi Oecumenici ad Theo-dosium, cum quædam regulæ, pro Ecclesiasticæ discipli-næ constitutione fuissent decretæ, Principem Patres roga-runt, ut eas lege firmaret: πρὸς δὲ τούτοις καὶ ὑπὲρ τῆς εὐταξίας τῶν ἐκκλησιῶν ῥητοὺς κανόνας ὡρίσαμεν· δεόμεθα τοίνυν τῆς σῆς ἡμερότητος γράμμασι τῆς σῆς εὐσεβείας, ἐπικυρωθῆναι τῆς συνόδου τὴν ψῆφον, ἵνα ὥσπερ τοῖς τῆς κλήσεως γράμμασι τὴν ἐκκλησίαν τετίμηκας, οὕτω καὶ τῶν δοξάντων ἐπισφραγίσῃς τὸ τέλος. *ad hæc pro Ecclesiarum politia certos canones defini-vimus. Rogamus itaque tuam clementiam, ut per literas quoque tuæ pietatis confirmetur Concilii decretum, ut sicuti literis quibus nos convocasti Ecclesiam honore prosecutus es, ita etiam finem eo-rum, quæ decreta sunt obsignes.* Similiter in Concilio Ephe-sino act. 5. petunt Patres a Theodosio, quæ statuta erant τὴν ἰδίαν ἰσχὺν ἔχειν κρατυνθέντα τῇ ἐπινεύσει, καὶ χειρὶ? τῆς ὑμετέρας εὐσεβείας *suum robur obtinere assensu vestræ pietatis stabili-ta*; idque & observatum fuit in Concilio Chalcedonen-si, ut ex allocutione Marciani in ejus actis. βεβαιότητα τοῖς πραττομένοις προσθήσοντες, *robur iis, quæ facta sunt adjicientes*, edicto secundo, & tertio ejusdem, & epistola Synodica Concilii ad Leonem Pontificem, itē in alijs Oecumenicis Synodis, quemadmodum liquet ex epistola Constantini Pogonati ad Leonem, & Novella 41. Iustiniani, adeo ut Iustinianus ea Novella id agens, in quo decessores sui ei exemplo præiverant, facere professus fuerit πρᾶγμα οὐκ ἀήθες τῇ βασιλείᾳ *rem non insolitam imperio*. Quinimmo in Con-cilio Chalcedonensi adversus decretum, quo antiquiores Canones infracti fuerant imperiale præsidium advoca-runt Leonis Legati, ut ex act. 16. d. Concil. εἴ τι παρὰ τοὺς κανόνας ἐπράχθη, τὴν ὑμετέραν ὑπεροχὴν αἰτοῦμεν ὥστε κελεῦσαι περιαιρεθῆναι, *si quid in præjudicium Canonum hesterna die gestum est, sublimi-tatem*

tatem vestram petimus, ut circumduci jubeatis.

Quod nō eò spectat ut potuerint Principes de Ecclesiasticis, & spiritalibus rebus leges edicere; etenim tam latè patere, ac protendi regiā potestatem absit ut existimemus; sed ut legibus suis, quæ sequebantur, nō antecedebant, canonū, & decretorum Synodalium, ac Pontificiorum executionem tuerentur, ac foverent, ut infra dicemus, quod optimè explicavit Justinia. cum Nov. 83. dixit leges post canones, & ad ipsos fovendos edi. Hanc tuitionem, debere Principes canonibus impertiri certissimum fuit Conciliis adeò ut Concilium Parisiense habitum annò 829. affirmaverit cōstantissimè id præcipuè ad Regis officium pertinere, ut sit defensor Ecclesiarum, quam in rem advocat locū Isidori Hispalensis, cujus verba supra recitavimus *Concil. Paris. l. 2. c. 2. addi. 2. c. 22.* quem locum & in medium producit Concilium Aquisgranense anno 836. cap. 3. can. 2. ut confirmet Principes ob tuendam Ecclesiam institutos; quod etiam ex Fulgentio comprobat, qui Principē, ut quod sibi à Deo injunctū est impleat in hunc modū admonet, *Præsertim ita se matris Eccles. Catholicæ, meminerit filium, ut ejus paci, ac tranquillitati per universum Mundum suum prodesse faciat Principatum; magis enim Christianum propagatur imperium, dum Ecclesiastico statui per omnem terrarū consulitur, quam cum in quacumque parte terrarum pro temporali securitate pugnatur.* Concilium Moguntiacum primum, sub Rabano Archiepiscopo celebratum nono sæculo, hortatur Regem, ut res Dominicas magis, quā proprias hæreditates tueatur, his verbis: *quarum* (rerū nempè Ecclesiarū) *defensor, & custos divinitus statutus diligenti cura non solùm eas servare, sed etiā multiplicare debet, magisq; illa, quę diximus præstantiora, quā sua defendere illū oportet, & augmentare: si quis igitur insanus importunitate improbitatis Regē à recto proposito avertere tentaverit, nullisque remediis mitigari posse visus fuerit, licet obsequiis aliquibus transitoriis sit necessarius, abiiciendus ab eo, proiiciendusque est, juxta illud Evangelicū: si pes, manus, oculusque tuus scandalizat te, erue illa, & proiice abs te;* & in Synod. Tridentina cap. 20. sess. 25. Ecclesiæ Protectores Principes

Pa-

Patres vocaverunt: *Sæculares quoque Principes officij monendos esse censuit, confidens eos, ut quos Deus S. Fidei, Ecclesiæque Protectores esse voluit*, &c. quibus protectio Canonũ in Concilio decretorum fuit commendata in Bulla pro ejusdem confirmatione edita.

Tutelam quoque Ecclesiarum Principes gerere, earumque patronos esse prædicat concors, ac unanimis scriptorum Ecclesiasticorum sensus, e quorum numero Optatus Milevitanus lib. 3. ad Parmenianum de schismate Donatistarum, ait, *non esse Rempublicam in Ecclesia, sed Ecclesiam in Republica*, quasi Ecclesia pars sit Reipublicæ, ita ut æque, immo potius curare eam debeat Princeps, quam civilis Imperii statum, quod intra tuitionis Regiæ cancellos constringendum est, alioqui Imperator in Ecclesia est, non supra Ecclesiam, ut ait Ambrosius ad Cæsarem scribens, quemadmodum intra eosdem terminos coerceri debet, quod Socrates scriptũ reliquit lib. 5. historiæ in procemio de Imperatoribus agens ἀφ' οὗ χριστιανίζειν ἤρξαντο, τὰ τῆς ἐκκλησίας πράγματα ἤρτητο ἐξ αὐτῶν, *ex quo Christianam fidem amplexi sunt, res Ecclesiasticæ ex eorum arbitrio pependere*.

Possem & alia quamplurima in id comprobandum Auctorum Ecclesiasticorum testimonia conglobare; sed hoc onere me levarunt viri eruditissimi, qui in hoc argumento illustrando exornandoque nobis facem prætulere, e quibus facilè depromi poterunt.

Ex hoc provenit, ut Sacerdotii propria nomina de Imperatoribus, & Regibus etiam usurpata fuerint, quod de Cõstantino tradidit Eusebius lib. 4. de vita Cõstantini cap. 24. qui in orat. ad Episcopos est prolocutus, illos intra Ecclesiam, se autem extra Ecclesiam Episcopum constitutum ὑμεῖς μὲν τῶν εἴσω τῆς ἐκκλησίας, ἐγὼ δὲ τῶν ἐκτὸς ὑπὸ θεοῦ καθεσταμένος ἐπίσκοπος ἂν εἴην. Cujusmodi verba cur potius ad personas, quàm ad res referenda sint, quasi ijs significaret Imperator, Episcopos eorum curam gerere, qui Ecclesiæ adscripti fidem Christianam profiterentur, se verò Gentilium, qui essent extra Ecclesiam saluti consulere, sacri-

ficiis paganorum vetitis, Dominici diei cultu, & feriatione præcepta, quod opponi posse a tetrico lectore scripsit Petrus de Marca concor. lib. 2. cap. 10. sanè non video; siquidem etsi Constantini edictum adversùs Gentiles, ut Dominicum diem venerarentur, & Martyribus dicatos debito honore prosequerentur, ansam dederit Eusebio memorandi Constantini apophtegma, quo se Episcopum in externis Ecclesiæ negotiis vocitabat, nihilominus ea, quæ statim post illud relatum subtexit; *Itaque cum quæ loquebatur eadem mente secum cogitaret, animum in omnes, qui ejus imperio suberant intentum habuit, hortatus pro virili, ut piam omnes vitam excolerent*, satis produnt Imperatorem allusisse ad nominis notionem, ac ad officium Episcopi, cujus est quasi inspectoris saluti sibi commissi gregis intendere, ac invigilare ea mente, ut designaret suarum partium esse, non canones de rebus spiritalibus conscribere, sed jam latos exequi tanquam vindicem juris Divini, naturalis, ac canonici, & in hunc finem dumtaxat edicta, & leges sciscere: præsertim cum idem Eusebius lib. 1. de vita Constant. cap. 37. de eodem Principe memoriæ mandaverit, ipsum in Synodis indictis, rerum in deliberationem vocatarum se participem fecisse, & ea, quæ ad concordiam, ac Divinam pacem spectabant procurasse, tanquam communem Episcopum a Deo constitutum *οἷά τις κοινὸς ἐπίσκοπος ἐκ θεοῦ καθιστάμενος συνόδους τῶν τοῦ θεοῦ λειτουργῶν συνεκρότει*, lib. 3. cap. 23. idem Constantinus dicatur *ἐπισκόποις ὑπὲρ τῶν ἐκκλησιῶν τοῦ θεοῦ τὰ πρόσφορα διαταττόμενος* *Episcopis ea, quæ ad Ecclesiarum Dei commodum spectabant prescribens*, lib. 3. cap. 26. Imperator ille se unum ex Episcopis asserat verbis modestiam redolentibus; *ipse tanquam unus è vestrum numero, præsto adfui una; non enim recusabam, sed gaudebam esse vobiscum minister*, *συνθεράπων ὑμέτερος*, & in antiqua inscriptione, religionis, & fidei auctor nuncupetur. Nam quod notavit Grotius de imper. summarum potestatum circa sacra cap. 2. Græcos Scriptores postremorum sæculorum ipsum sæpe *ἰσαπόστολον*, interdum *ἐν βασιλεῦσιν ἀπόστολον* appellasse, nihilò ad rem nostram

attinet,

attinet, cum hæc ei nomina indiderint, quia divinitus a Christo, ſicut Paulus ad fidem vocatus fuerat. Anaſtaſius quoque, & Iuſtinus, Pontificis uſi ſunt appellatione. Item Leo tertius in epiſtola ad Gregorium Summum Pontificem de ſe ſcribit ὅτι βασιλεύς, καὶ ἱερεύς εἰμι, *quia Rex, & Sacerdos ſum*. Et Gregorius ad illum viciſſim, Conſtantinum, Theodoſium, Valentinianum, & alios, qui Eccleſiæ laboranti proſpexerunt, & Pontifices, ait, fuiſſe, & Imperatores. Ob hanc Eccleſiarum curam Marciano in *Synodo Chalcedonenſi* acclamatum fuit, τῷ ἱερεῖ, τῷ βασιλεῖ, *Sacerdoti, Imperatori*: eadem de cauſa, qua Leo ipſum cuſtodem fidei vocat epiſt. 57. & Theodoſio non ſolùm regium, ſed etiam ſacerdotalem animum ineſſe gaudet epiſt. 9. cujus curas *apoſtolicas* dixit Theodoretus. Nec aliter Simplicius, in Zenone agnoſcit animum Sacerdotis, ac Principis; ut mittam ab Auſonio Martianum appellari Pontificem, a Remigio epiſt. ad Heraclium, Leonem, & Theod. Epiſc. Clodoveum Francorum Regem regionum præſulem. *Scribitis canonicum non eſſe, quod juſſit: ſummo fungamini Sacerdotio. Regionum Præſul, Cuſtos patriæ, gentium Triumphator injunxit*, quomodo & Joannes VIII. Ludovicum Balbum Caroli Calvi filium nominat cooperatorem ſui certaminis. Eleutherius in veteri, quæ circumfertur epiſtola, Regem, vicarium Dei in ſuo imperio; & Concilium Moguntiacum I. Carolum Magnum, veræ religionis auctorem.

Unde etiam provenit, ut quemadmodum Eccleſia ſuas conſtitutiones conſtabilire ſolet anathematis execrationibus, ita & Principes non ab ſe alienum duxerint ſuas leges imprecationibus vallare, eos diris devovendo, qui illas fuiſſent prætergreſſi, ut ex conſtitutione Leonis, & Alexandri apud Harmenopul. in princ. promptuar. in qua ita Judicibus malè precantur, qui non ſecundùm leges ſententias pronunciant. *Inveniat iſte & Deum, & cœleſtes omnes, atq; incorporeas poteſtates ſibi nunquam non adverſantes, immaturè ex hac vita excedat, incommodis inſuper officiatur perpetuis; ipſius ædium fundamenta ignis tandèm*

 devo-

devoret, & posteritas eò redigatur inopiæ, ut panem ostiatim quæritet. Atque hæc jure fiunt optimo; propterea quod leges, quas liberrimas esse oportuit, servas quodammodo, atq; captivas effecit fictorum, pravorumq; judiciorum.

Hæc autem, quæ hactenus adduximus, & alia non pauca, quæ his superaddi possent, ita accipienda sunt, ut Principes canonum custodes faciamus, non auctores, non conditores; eisque tribuamus non canonum dominium, sed præsidium. Quapropter Justinianus Nov. 139. ait datam sibi a Deo legum civilium τὴν ἐξουσίαν, idest plenam, & liberam figendi, & refigendi potestatem, sed legum ecclesiasticarum, & canonum τὴν παραφυλακὴν idest *custodiam*: ac proindè licet Imperatorum jura circa ecclesiam magnificentissimis verbis enumeret Demetrius Chomatenus ut ex ejus verbis, quæ ex lib. 5. jur. Græco Rom. excerpsimus capite antecedenti: ea tamen nō solùm restringenda sunt, ut ipse restringit, & moderatur ea exceptione πλὴν μόνου τοῦ ἱερουργεῖν, sed etiam ut intra fines patrocinii ecclesiastici concludantur: etiam illud, quod ita exprimit ἐκκλησιαστικὰς τάξεις ῥυθμίζει, καὶ νομοθετεῖ βίῳ, καὶ πολιτείᾳ τῶν βήματος, *ecclesiasticos ordines componit, & legem dat vitæ, politiæque eorum qui altari serviunt.* Quod & ipsi infimæ ætatis Græci, licet nimis a veterum virtute, ac cōstantia distarent, non dissimularunt; cum teste Petro de Marca in prolegom. extet in Regis Christianissimi bibliotheca m.ss. liber temporibus Palæologorum publicatus, in quo Orientis Episcopi fortissimè ajunt, Epistimonarchię potestatem ad quæstiones canonicas dirimendas non porrigi, permissumque Principibus, ut canonibus præsidio sint, non autem dominentur. Quod si secū reputasset Hugo Grotius, absurdis opinionibus se implicans *de imper. summar. potest. cir. Sacra. cap. 3.* non dixisset absolutè, humanam potestatem circumstantias quasdam loci, temporis, modi, actionibus a Deo imperatis præscribere, ut fiant εὐσχημόνως, καὶ κατὰ τάξιν, adscitis in hujus effati confirmationem pluribus Iustiniani novellis; id enim egit Iustinianus in canonum jam constitutorum executionem; neq; hoc præfatus,

officium

officium summarum potestatum in eo consistere, quod ut attigimus θείων νόμων παραφυλακὴν Iustinianus vocat, subjunxisset, his verbis talem intelligi custodiam ab Imper. quæ & ipsa sit νομοθετικὴ quemadmodum Augustinus dixit, serviant Reges terræ Christo etiam leges ferendo pro Christo epist. 48. ad Vincent. quod certè absonum est nisi ita temperes, ut Principes non possint novos canones constituere, non solum de ritibus, cæremoniis, & Sacramentis, sed ne quidem de Cleri functione, conditionibus, censura, & disciplina, sed eis dumtaxat liceat jam constitutos legibus suis communire, & eorum executionem suis edictis urgere, & corruptelas adversus eos inductas, quibus immeritò consuetudinum nomen adscribitur, in irritum deducere: quo temperamento adhibito non poterit Principibus exprobrari, quod ajebat Hosius Cordubensis apud Athanas. ad vitam solitariam agentes οὔτε τοίνυν ἡμῖν ἄρχειν ἐπὶ τῆς γῆς ἔξεστιν, οὔτε σὺ τοῦ θυμιᾶν ἐξουσίαν ἔχεις βασιλεῦ; *neque igitur in terris, fas est nobis imperium tenere, neque tu sacrorum, & thymiamatum jus habes Imperator*, hoc est jus adolendi, alludens ad Oziæ historiam.

Hanc ita constrictam potestatem ne quidem ipse Facundus Hermianensis Aphricanus Episcopus Principibus abnegavit, quo loco Apostolica libertate illorum audaciam insectabatur, qui quæstiones canonicas suo judicio subdebant, eos ad exemplum Marciani retrahens lib. 12. cap. 3. *Sciens igitur* (ejus verba sunt) *ille modestissimus Princeps Oziæ Regi non impunè cessisse, quia sacrificare præsumpsit, quod licitum est singulo cuique etiam secundi ordinis Sacerdoti, multò magis impunè cedere non posse cognovit, vel quæ jam de fide Christiana ritè fuerunt constituta discutere, quod nullatenus licet, vel novos constituere canones, quod nonnisi multis, & in unum congregatis primi ordinis Sacerdotibus licet. Ob hoc itaque, vir temperans, & suo contentus officio, Ecclesiasticorum canonum executor esse voluit, non conditor, non exactor.*

De Romanis Imperatoribus hæc habet Dio Cassius histor.

histor. lib. 53. *Semper Imperator Summum Pontificatum gerit, & inauguratur omnibus Sacerdotiis, ut omnes religiones, & sacrificia in sua habeat potestate.* Idipsum apud Ægyptios obtinuisse Plato testatur in lib. civil. vel de Regno, & apud alios quosdam populos Aristoteles lib. 4. polit. cap. 10. Tantum sibi non assumant Reges, qui Christo nomen dederunt (non enim in Christiana Rep. ut apud Romanos olim, idem homo utramque personam sustinet, & Sacerdotis, ac Regis) neque sibi vindicent, quod Dionys. Halicarnass. lib. 2. antiquit. Roman. ita effert: *Regis hac eximia munera fuerunt: primùm, ut sacra curaret, atque sacrificia, per eumque gereretur quicquid ad placandos Deos pertinet*; sed quod in eadem clausula Dionys. subijcit; *Deinde ut morum patriorum, & legum haberet custodiam, & juris sive naturalis, sive quod scripta, & pacta continet,* non negligant. Eam curam, quam falsæ religioni impensissimè pagani Principes adhibuerunt, impertiant Christiani Reges veræ Fidei, ejusque tuendæ, ac protegendæ, & custodiæ legum Ecclesiasticarum, ac canonum, præsertim eorum, qui habent admistum jus naturale, onus, quod ethnici libenter subierunt, non detrectent.

Quomodo autem respuere possint eam tuitionem, ad quam Sacramenti religione tenētur? Res nota est Imperatores Constantinopolitanos in suæ inaugurationis sollemnitate jam ab ipsius Anastasii temporibus scripto *βαφῇ βασιλικῇ* solitos fuisse promittere Patriarchæ, fidei Catholicæ, & canonum observationem, cujus rei testes habemus locupletissimos Evagrium lib. 3. Nicetam in Alexio, & Codinum Curopalatem, quæ sponsio continebat, ut & ipsi canonum auctoritatem inviolatam præstarent, & ne alii eos transgrederentur prospicerent. Eodem pacto & Reges Gallorum, aliique, Sacramento, quod ad custodiendos canones attinet, se obstringebant antequam ungerentur. Extat hujus juramenti formula, quod Ludovicus Balbus, Caroli Calvi filius, Regnum Compendii suscepturus præstitit in capit. Ludov. 2. tit. 2. quam ab Hincmaro Remensi Archiepiscopo dictatam

fuisse

fuisse traditum est; a qua non absimilis ea, qua usus fuit Philippus primus Galliæ Rex in jurejurando, quod emisit ex Henrici patris auctoritate adhuc eo in humanis agente. *Ego Philippus Deo propitiante mox futurus Rex Francorum in die ordinationis meæ, promitto coram Deo, & Sanctis ejus, quod unicuique de vobis, & Ecclesiis vobis commissis, canonicum privilegium, & debitam legem, atque justitiam conservabo, & defensionem, quam potero, adjuvante Domino exhibebo, sicut Rex in suo Regno unicuique Episcopo, & Ecclesiæ sibi commissæ per rectam exhibere debet: populo quoque nobis credito dispensationem legum in suo jure consistentem nostra auctoritate concessurum.* Pressiùs Carolus Calvus, cum in urbe Metensi Lotharii Regnum acquisivit, ac iniit an. 869. *Sciatis me unicuique in suo ordine, secundùm sibi competentes leges, tam Ecclesiasticas, quam mundanas, legem, & justitiam conservare*; quæ maximè muniuntur formula juramenti inserta Clem. 1. de jurejur. & formula inaugurationis his solemnibus verbis concepta in Pontificali Romano jussu Clementis Octavi recognito, & anno 1595. Romæ excuso; *Accipe coronam Regni, &c., & per hanc te participem ministerii nostri* (Episcoporū) *non ignores, ita ut sicut nos in interioribus Pastores, Rectoresque animarum intelligimur, ita & tu in exterioribus verus Dei cultor, strenuusque contra omnes adversitates Ecclesiæ defensor assistas*, & mox; *ut inter gloriosos Athletas virtutum gemmis ornatus, & præmio sempiternæ felicitatis coronatus, cum Redemptore, ac Salvatore nostro Jesu Christo, cujus nomen, vicemque gestare crederis, sine fine glorieris.*

Cum autem inter res Divinas, ac humanas, inter Sacerdotium, ac imperium cognatio quædam intercedat, quam symphoniæ vocabulo Justinianus denotavit Nov. 42. ὥστε τὰ θειόθερα τε καὶ ἀνθρώπινα συνδραμόντα μίαν συμφωνίαν ταῖς ὀρθαῖς ποιήσασθαι ψήφοις, *ut Divina, & humana concurrentia unam symphoniam rectis efficiant sententiis*, quęque in eo consistit, ut civilis, & Ecclesiasticæ potestatis communis sit finis, ac scopus, religionis, ac mandatorum divinorum in otio, ac tranquillitate conservatio, vel subditorum salus, ut Isidorus Pelusiota scripsit, ἱερωσύνη καὶ βασιλεία εἰς ἓν ὁρῶσι τέ-

λος

καὶ τὴν τῆς ὑπηκόου σωτηρίαν, *Sacerdotium, & imperium in unum tendunt finem, nempe subditorum salutem*, quæ non in eo tantum versatur, ut ab illis vim arceant, ac propulsent Principes, sed Ecclesiæ non minus quam reipublicæ pacem procurent, ut propterea Leo Augustus in Ecloga anno 838. apud Græcos evulgata tit. 11 c. §. 8. elegantissime dixerit hanc, quam expressimus symphoniam, esse subjectorum, tam in his, quæ ad animas, quam in his, quæ ad corpus pertinent, pacem, ac felicitatem, *διὸ καὶ ἡ κατὰ ψυχὴν καὶ σῶμα τῶν ὑπηκόων ὑγεία καὶ εὐδαιμονία, βασιλείας ἐστὶ καὶ ἀρχιερωσύνης ἐν πᾶσιν ὁμοφροσύνη καὶ συμφωνία*, *Quapropter & subditorum salus, & felicitas, tum animæ, quam corporis consistit in concordia, ac consensione imperij, cum summo Sacerdotio*: hic concentus, hæc societas inter Religionem, & Rempublicam id in primis exposcit, ut Princeps jus præsidii ad tuendam Ecclesiasticam disciplinam impertiatur, curetq. ut eorum, qui in Clerum admissi sunt, vita sit probatissima, & ab omni nævo immunis. Quadere Theodosius Imperator in literis quas ad Synodum Ephesinam dedit, quæ ab Oecumenico Concilio approbatæ, in acta relatæ fuere, ut ex relat. illius Concil. ad præfatum Imperat. cum hæc præmisisset; *Reip. nostræ Constitutio, ea qua in Deum est pietate præcipue nititur, multaq. inter hanc, & illam cognatio, & familiaritas intercedit; nam & ex se invicem pendent, & utraque prosperis alterius successibus incrementa sumit; quandoquidem ut vera religio justa actione perficitur, ita Resp. utriusq. ope nixa florescit. Cum itaque Deus imperij habenas nobis tradiderit, ijsque, qui nostro imperio parent, pietatis, ac securitatis, quoddam quasi vinculum nos esse voluerit, harum inter se societatem, providentiæ, & hominibus medios nos præbentes, indivulsam perpetuò conservare contendimus*: Statim subijcit quid agere sibi statutum sit, ut ne hoc vinculum dissolvatur; *Ante omnia autem in id operam damus, ut Ecclesiasticus status ejusmodi sit, qui & Deum deceat, & temporibus nostris quam maximè congruat, idemque ex omnium concordia, & consensione suam tranquillitatem obtineat, tum Ecclesiasticarum controversiarum à turbis, & seditionibus liber existat,*

αὐδὴν

σπουδὴν τιθέμεθα πρῶτον ἁπάντων τὸ τὴν ἐκκλησιαστικὴν χριστιανῶν θεοῦ ϑρησκείαν, καὶ τοῖς ἡμετέροις πρόσφορον δεχομένην χρόνοις, ἔχειν τι ἐκ τῆς πάντων ὁμονοίας τὸ ἀτάραχον. Dein prosequitur totum se in hoc esse, *ut pia religio ab omni reprehensione immunis perseveret, eorumque vita, qui vel inter Clericos censentur, vel magno quoque inter illos Sacerdotio funguntur, omni prorsus nævo, & culpa vacet*: quod ad rem nostram appositissimè expressit Gregorius II. in Epistola ad Leonem Isaurum, cum eam consensionem Imperatorum, ac Pontificum in hoc sitam esse professus fuit, ut ex duabus potestatib⁹ una potestas, vis una conficetur, ut ea res administrētur cū pace, & charitate, quæ duo totā, tam civilis, quā Ecclesiastici Status felicitatē cōtinēt; συμβουλία δὲ τῶν φιλοχρίστων βασιλέων, καὶ τῶν εὐσεβῶν ἀρχιερέων, μία δύναμις ἐστι, ὅταν μετ' εἰρήνης, καὶ ἀγάπης τὰ πράγματα διοικῶνται. *Consensus Christi amantium Imperatorum, & piorum Pontificum est vis una, quando cum pace, & charitate res administrantur.*

Eodem sensu Orientis Patriarchæ in Synodica Epistola ad Tarasium missa, quæ inserta est actis septimæ Synodi act. 3. ἱερωσύνη γὰρ βασιλείας ἁγιασμός ἐστι, καὶ ἀναστοίχειωσις, καὶ βασιλεία ἱερωσύνης ἰσχὺς, καὶ κραταίωμα: *Sacerdotium imperij sanctificatio est, ac instauratio, imperium autem Sacerdotij robur, & firmamentum*. Quomodo autem, erit Sacerdotij, ἰσχὺς, καὶ κραταίωμα, *robur, & firmamentum*, nisi juxta regulas Patrum, Canones Conciliorū, & decreta Summorum Pontificum disciplinæ Ecclesiasticæ Reges consulant? Nec est alia Arnulphi Lexoviensis sententia epist. 52. cum ait non posse Ecclesiæ absq. regia protectione pacem, ac tranquillitatem comparari. *Etenim* (illius verba sunt) *quasi quibusdam sibi invicem complexibus dignitas Ecclesiastica, & regalis occurrunt, cum nec Reges salutem sine Ecclesia, nec Ecclesia pacem sine protectione Regia consequatur.*

Cum igitur regalis officij sit Canonum defensioni ministerium suum accommodare, non solùm facti executione, sed etiam legum in Canonum obsequium promulgandarum auctoritate; jure merito Invictissimus CAROLUS TERTIUS interversæ propemodum in Regno Neapolitano disciplinæ literis suis prospexit,

ccc & de

54

& de ruinis Ecclesiæ fulciendis, & restituendis Canonibus antiquis seriò cogitavit, quo nihil poterat in ejus mentem, vel cogitationem cadere divinius. Quam multæ, ac justissimæ causæ eum impulerint, immò coegerint, ut opus sua pietate dignissimum aggrederetur, in superioribus jam exposuimus. Earum unaquæque religiosissimi Principis animum ne amplius suum auxilium differret, & suorum subjectorum spem, ac vota frustraret, permovere debuit. Nec est, quod illius, quæ ad assiduitatem beneficiariorum in Ecclesiis requisitam, & ab Ecclesiasticis legibus inculcatam vim elevent consuetudine, quæ videtur eam in beneficiis simplicibus remisisse. Nam ut in eo, quod priori dissertatione promisimus, fidem nostram exsolvamus, cum hęc non consuetudo, sed totius Ecclesiastici Status, ac Hierarchicæ politiæ subversio potius censeri debeat: hujusmodi corruptelas radicitus evellere, ac extirpare, Principum sollicitudinis est, à qua Ecclesiarum tranquillitas potissimùm pendet. Quantopere Justinianus reverendæ vetustati detulerit in his præcipuè, quæ disciplinam contingunt, ex ejus verbis, quæ ex rescripto ad Decianum supra exscripsimus, palam est; quibus nunquam ejus auctoritati detraxisse nisi quid esset in melius reformandum ob divini cultus augmentum, inquit, & quæ Patrum regulis definita utpote divinitùs suggesta, & cęlesti Numinis afflatu inspirata, quod nobis maximè conducit, semper sibi fixum fuisse ut firma, ac stabilia permanerent: denique se proclamat tutorem vetustatis, ac vindicem. In Synodo Chalcedonensi notum est Patres à Judicibus interpellatos in eam constantissimè vocem prorupisse. *Contra regulas pragmaticum nihil valebit: Regulæ Patrum teneant.*

Liceat nobis eisdem armis profligare consuetudines Canonibus invisas. Contra Canones corruptelæ nihil valebunt. Regulæ Patrum teneant. Quò spectat percelebris canon Nicænus 6. & illud τὰ ἀρχαῖα ἔθη κρατείτω, *prisci mores obtineant*, & quod Divus Leo ad Maximum Antiochenum Episcopum perscripsit referente Hincmaro ep.

8. cap.

8. cap. 32. *Si quid à quoquam contra Nicænorum Canonum statuta in quacumque Synodo, vel tentatum est, vel ad tempus videtur extortũ, nihil præjudicij inviolabilibus potest inferre decretis, & facilius erit quarumlibet consensionum pactum dissolvi, quam prædictorum Canonum regulas ex ulla parte corrumpi.* Hujus patrocinii, quo Principes vetustis moribus, ac Canonibus integram auctoritatem restituunt, ac corruptas consuetudines adversus eos invectas compescunt, ac confringunt, insigne monumentum extat in Theodosii junioris constitutione inserta in Cod. ejus nominis *l. omni 45. C. de Episc. & Cleric.* & Justiniani *l. 6. C. de Sacros. Eccles.* ac laudata à Baronio *anno* 421. *num.* 3. & à Photio in *Nomocan. tit.* 8. *cap.* 1. qua sanxit ut antiqui mores, & Canones Ecclesiastici suum robur obtinerent etiam in provinciis Illyrici, ut in aliis quibuslibet, & ne quis usus cujuspiam aut consuetudinis nomine, pristinæ Ecclesiæ legum violatarum invidiam à se depelleret, innovationibus omnem vim ademit. *Omni innovatione cessante, vetustatem, & Canones pristinos Ecclesiasticos, qui usque nunc tenuerunt etiam per omnes Illyrici provincias servari præcipimus*; cujus legis sententiam convenire decreto Nicæno canone 6. adnotat Gothofredus, & hoc quidem rectè. Rectissimè etiam d. l. in fin. ait. *In hac eadem constitutione egregium exemplum habemus Principalis auctoritatis in Canonica disciplina tuenda fanciendaque.* Nec improbamus; quod idem conjicit, vetustatem, & Canones Ecclesiasticos in ea lege conjungi, sed velut diversa, quia vetustas est συνήθεια, ἔθος; jus non scriptum, Canones pristini sunt, τύποι, παραδόσεις, κανόνες, κανονικὰ διατάγματα, sancita in Synodis, de quibus utrisque, eorumque auctoritate Basilius in cap. 1. 2. 3. 4. Epistolæ ad Amphilochium; Can. ult. sextæ Synodi in Trullo ubi Basilius refertur; & explicatur; & ibi Zonaras, & Balsamo: quamquam, & in eadem cõstitutione vetustatem, & Canones pristinos pro eodem accipere possumus. Sed illud perperam quod Theodosii rescriptum arctaverit ad Canones ritusque Ecclesiasticos peculiares ἔθη, θεσμοὶ provinciarum Præfecturæ Prætoria-

næ Illyrici Orientalis. Siquidem non de his intellexit Theodosius, sed de legibus Ecclesiasticis, & Canonibus priscis generalibus, & de traditionibus, quæ ut inconcussæ, & adamussim servarentur, mandavit in provinciis Illyrici, ut in cæteris reliquarum Diœceseon provinciis, rejectis, ac reprobatis quibuslibet consuetudinibus, quæ adversus eos invaluerant. Et hic genuinus, ac germanus Theodosiani edicti sensus est ex sententia Accursii, cui reliqui antiqui interpretes assensere, cum quibus convenit Brunneman., Dionys. Gothof., Petro de Marca, aliisque viris eruditissimis. Sive autem eam fuisse mentem Theodosii arbitremur, sive ejus edictum ea interpretatione donemus, quæ placuit Jacobo Gothofredo, sive illi affingamus, quam excogitavit Baronius, & Geographiæ Sacræ Auctor p. 123. existimantes deceptum Theodosium ab Attico Episcopo Constantinopolitano, qui ei commentitios priscos Canones supposuerit, sive illud interpretemur quomodo interpretatus fuit Emin. Perronius cap. 32. interpretationis posthumæ adversus Regem Britanniæ, qui nimium subtiliter censet, Theodosio ab Attico Episcopo Constantinopolitano suggestum fuisse, Illyricianos Episcopos res novas molientes a Sedis Constantinop. obsequio recessisse sub Arsacio decessore suo, & hoc colore elicuisse eam constitutionem, quæ, cessante illa innovatione, veteres Canones servari præcipitur; semper verum erit, a Principe lege sua consuetudines, quæ Canonibus adversabantur, deletas fuisse.

Et quidem modis omnibus Principibus enitendum esse ut deformatos mores ad priscam religionem revocent id etiam suadet, quod omnium ora pervolitat, a Justiniano prolatum, & a Gratiano in suam collectionem receptum, *canones legum vim habere*, quod non tantum ad venerationem, qua Principes sacros Canones prosequi solent, ac debent, sed etiam ad canonum custodiam spectat, ut nempe impediant, ne homines Ecclesiæ titulo insigniti ab eorum præscripto quicquam deflectant, & si quid a vetere illa disciplina degenerasse viderint, emen-

dent,

dent, ac corrigant. Si quis autem delicationis stomachi sit, ut nostram expositionem aspernetur, ac fastidiat, id ex ipso Iustiniano addiscat, qui sui ipsius erit optimus interpres. Is enim Nov. 6. cap. 1. qui ad Episcopatum aspirat, admonendum esse statuit, si quid in canones admiserit, fore ut a Sacerdotio deturbetur; immo & civiles leges violatos canones ulciscantur, quia canones vim legum obtinent, [illegible] *neque civiles leges crimen inultum relinquent; id quod a praecedentibus nos Imperatoribus, & a nobis ipsis recte dictum est, oportere sacras regulas pro legibus valere.* Quoniam autem sacris canonibus Imperatores vim legum addiderunt, earum tuitio duabus summis potestatibus subnixa est, Pontificia scilicet, & Regia, quo respexit Iustinian. Nov. 58. in fin. βουλόμεθα γὰρ ἱερατικῶς τε καὶ ἀρχικῶς ταῦτα φυλάττεσθαι, *volumus ex Sacerdotali, & civili virtute hæc custodita, &c.* Immo majore cura, ac studio in eorum tutelam, ac custodiam incumbendum, quam legum civilium, diserte ait idem Imperator in proœmio Nov. 137. *si civiles leges, quarum potestatem nobis Deus pro sua in homines benignitate credidit, firmas ab omnibus custodiri, ad obedientium securitatem studemus*, πόσῳ μᾶλλον πλείονα σπουδὴν ὀφείλομεν θέσθαι περὶ τὴν τῶν ἱερῶν κανόνων, καὶ θείων νόμων φυλακὴν, τῶν ὑπὲρ σωτηρίας τῶν ἡμετέρων ψυχῶν ὁρισθέντων; *quanto plus studii adhibere debemus circa sacrorum canonum, & divinarum legum custodiam, quæ super salute animarum nostrarum definita sunt?* Ex hoc consequitur, ut canones difficilius convellantur, quã leges publicæ, quippe qui, ut ex Hilaro supra retulimus, & Sacerdotali Ecclesiastica præceptione fulciantur, & Regia. Nempe duplici vinculo cõstringuntur leges Ecclesiasticæ; utrumq; perrumpat oportet, qui canones lædere nititur. Hinc Emin. Perronius *Replic. cap. 25.* de Synodo Ephesina agens, qua Flavianus damnatus fuit, ait Synodum illam, quod attinet ad Ecclesiasticam potestatem a Leone Pontifice in irritum missam, a Principe vero, quod perti-

net

net ad sæcularem potestatem, cujus auctoritas necessaria videbatur ad rescindendam priorem legem, qua Theodosius acta illa Ephesina, & Flaviani damnationem comprobaverat. Consequitur etiam, ut si quando, quod plerumque fit, canones solvantur, perinde ac si Regia auctoritas offensa, ac injuria lacessita esset, perinde, ac si in ipsas leges Reipublicæ, & Regni impetus fieret, possit Princeps vindictam exigere, ac pœnas reposcere: immò magis eis contumaces subdere teneatur, quam si in ipsas leges publicas, ac generales peccatum esset, ut d. Nov. c. 1. Iustinianus declarat verbis conceptissimis: *si enim illa, quæ a laicis peccantur, generales leges non concedunt extra inquisitionem, & vindictam manere,* πῶς τὰ παρὰ τῶν ἁγίων ἀποστόλων, καὶ πατέρων ὑπὲρ πάντων τῶν ἀνθρώπων σωτηρίας κανονικῶς διατυπωθέντα περιιδεῖν ἀνεχώμεθα; *quomodo a Sanctis Apostolis, & Patribus, super omnium hominum salute canonicè statuta despici patiemur?* & in epistola ad Decianū Metropolitam Byzacii, cujus supra meminimus. *Nos tutores sumus vetustatis, ac vindices, nec deerit Ecclesiastica vindicta, vel nostra in eos, qui aut ambitiosa superbia, aut subreptitiis postulationibus antiquitatem temerasse docebuntur; quoniam ad divinitatis tendit injuriam qui Sanctorum Patrum instituta contemnere, ac violare non metuit.* Hinc si res humanæ, ut est earum conditio, in deterius prolabantur, possunt Principes veteres mores, ac instituta revocare, eaque etiam ab heroicis ætatibus repetita, pravis usibus immò abusibus sublatis, & posteriorum temporum fæce exclusa, restituere. Etenim quamvis in explananda lege Constantini 2. *C. quæ sit longa consuetudo*, in qua cum non negasset *consuetudinis, usûsve longævi non vilem esse auctoritatem*, subjicit, *non tanto valituram momento, ut aut rationem vincat, aut legem*, Interpretes variaverint, ac in diversas sententias abierint; constat tamen inter omnes, nullam temporis antiquitatem legislatori potestatem auferre, quin possit consuetudinem vitiosam tollere, ac emendare, vel alia lege postea lata, aut eam renovando, quæ contraria consuetudine obliterata videbatur, ut ratiocinantur Treutlerus *select. disp.* 1.

thes.

thes. 9. *lit. G. Revard. de auctor. prudent. c.* 16. *Gaddeus l.* 102. *in fin. de verb. sign. Everard. Broncborst. ἐναντιοφανῶν* cent, 1. assert. 9. Oldendorgius, Contius, aliique, quos lubens prætereo, quod nullam dubitationem admittere posse inquit Nicolaus a Genoa concil. leg. cap. 5. quæst. 5. par. 2. n. 43. optimè Connan. commentar. jur. lib. 1. c. 10. n. 9. in fin. *Et si diligenter attendemus, desuetudo legum ab eorum vel negligentia, vel patientia proficiscitur, qui eas tulerunt, hoc est Magistratuum, & eorum, qui plus possunt, & custodia legum sunt commissi, quare non possunt leges tanta vetustate senuisse, & viluisse, ut renovare eas, & in pristinam auctoritatem restituere non liceat Principibus, quia nulla sua contumacia possunt se Cives in libertatem legum vindicare: negligere eas, quamdiu Princeps concedit, & permittit, possunt.* Qui inferius prosequitur, hujusmodi desuetudinem posse aliquam excusationis causam sufficere, ut ignoscamus eis, qui legi non obtemperarunt, quam magistratus passi sunt obsolevisse. *Itaque lex non dicitur contraria consuetudine sublata, sed suo silentio periit, & si renovetur non dicetur latum aliquid contra consuetudinem, sed jus antiquum, & obsoletum revocatum, neque plus hæc desuetudo pollet, potestque, quam ut excuset eos, qui non paruerunt, ut Alex. Pontifex Episcopo Herfor. rescripsit cap. sanè de tempor. ordinat. errore enim peccarunt, non contumacia, quæ adversus leges nec unquam permittitur, nec commissa excusatur:* sed nihilominus non debere Principem re comperta ferre, ut leges amplius jaceant, immò illas excitare, ac erigere. *At errori ignoscendum omnes putant oportere, qui tamen cognitus non recipiendus est in mores, nec consuetudine alendus, sed renovatione legis corrigendus.* Cujusmodi officio cumulatè satisfactum fuisse videmus ab Imperatore Frederico II. dum ea constitutione, quæ extat inter Honorii tertii epistolas l. 5. 483. edita anno 1220. ipso die suæ inaugurationis, & in 5. comp. decret. cap. 1. de constit. ex qua sumpta est authen. cassa *C. de sacros. Eccles.* mandavit, ut omnes consuetudines, Ecclesiæ, ejusque libertati contrariæ, quatenus adversarentur canonicis, & imperialibus sanctionibus, vel quia canones nomi-

natim

natim Principum edictis, aut legibus firmati fuerant, vel quia generaliter vim legis regię acceperāt, nullius essent momenti; cui consonare videtur edictum Clotarii Francorum Regis in an. 615. *definitionis nostrę est, ut canonum statuta in omnibus conserventur, & quod per tempora ex hoc prętermissum vel dehinc perpetualiter observetur*. Facit ad rem cap. incestuosi 23. q. 5. ibi: *quos oportet per sæcularis potentia disciplinā a tam pravi consuetudine coerceri*; Quidni ergo possint hodie Principes corruptelas sacris regulis inimicas exscindere? quando in canonem jam transiit, e suarum legum numero canones esse; ut præter decreti expositores docent Joannes Scholasticus mox adducendus, Thomasin. de benefic. par. 2. lib. 2. cap. 18. n. 13., Natal. Alex. sæculo 6. cap. 7.; quando omni ætate Christiani Imperatores, ac Reges negligentibus Episcopis, vel Sacerdotibus, tot leges ad Ecclesiarum rectam gubernationem, earumque politiam ordinandam spectantes tulerunt, obsequentes canonibus juxta confessionem Iustiniani, qui ait se leges ita scribere, ut sacros canones imitentur, sive eos adversus introductas novitates vindicantes, quod scirent moribus antiquis rem Ecclesiasticam stetisse semper, nec aliter stare posse.

Hactenus Hierarchici status tranquillitatem a Regum sollicitudine pēdere, Ecclesias ipsis a Deo creditas; ex jure tuitionis Ecclesiasticæ, leges & pro religione divina ab iis ferendas, ita tamen ut canones non condant, sed conditos foveant, ac amplificent, & executioni mandent, & si quòd aliqui adversus eos moliantur, violatarum legum vindices se illos præstare debere, ac veterem disciplinam adversus consuetudines a priscis moribus aberrantes ab eisdem restaurandam esse, generaliter demonstravimus. Nunc ad rem nostram propiùs accedentes, speciatim jus hoc patrocinii, tam Romanos Imperatores, quam alios Principes, & præsertim eos, qui Regno nostrò imperarunt, in re beneficiaria exercuisse, & quod attinet ad cogendum eos, qui beneficia possident, ut in

Ec-

Ecclesiis resideant, & quod pertinet ad prohibendum ne sacerdotia ad alienigenas perveniant etiam pœnis inflictis, etiam fructibus sequestro subjectis, ac proinde potentissimum Regem nostrū edictis suis fines Regiæ potestatis egressum non fuisse neq; aliquid sibi tribuisse, quod intra patrocinii terminos non contineatur, neque novum aliquid, ac insolens attentasse, liquidò confirmabimus.

Ut autem à residendi onere ordiamur: hanc assiduam Clericorum in Ecclesiis sibi assignatis functionem quampluribus legibus Iustinianum sanxisse, pœnis adversus contumaces irrogatis etiam subtractionis, ac sequestri fructuum, ac redituum Ecclesiasticorum, ex ipsius Novellis apertissimè comperimus.

Equidem Imperator Novell. 6. cap. 1. expressim jubet ne Episcopi ultra anni spatium ab Ecclesiis suis absint: μὴ τ ἐνισταμένων ἐκκλησιῶν ἀμελεῖν, μηδὲ τ ἐνιαυτὸν ὑπερβαίνειν, *neque Sanctissimas Ecclesias negligere, neque annum excedere, nisi id fiat per imperialem jussionem*, πλὴν εἰ μὴ τοῦτο κατὰ βασιλικὴν γένοιτο κέλευσιν, ex quibus verbis Theodorus Balsamon cui Græci Canonum Interpretes alii passim assentiuntur, Chalced. Syn. cap. 4. colligit Imperatorem dispensationem indulgere posse Episcopo ne in Ecclesia resideat, & sic Episcopum Regis sui jussu negotia Reipublicæ tractare posse. Adjicit ut nequidem litis ecclesiasticæ obtentu, possit Episcopus Ecclesiam suam deserere, sed illam, si quando incidat, movere debeat per Clericos, vel Apocrisiarios, aut Oeconomos: sin secus fecerit, pœnā statuit, ut a dignitate sua dejiciatur: ἐκβαλέσθω τοῦ ἱεροῦ τῶν ἐπισκόπων χοροῦ, *expellatur à Sacro Episcoporum Choro*, quæ gravior est sequestro, aut subductione fructuum, ac redituum: eam tamen probat Synesius χρῆναι τούτους ὅσοι τὰς οἰκείας ἐκκλησίας ἀπολείποντο πάσης ἐκκλησίας ἀπωθεῖσθαι: *oportere hos, qui proprias Ecclesias deseruerunt, omni Ecclesia ablegari*. Hæc autem a se constituta profitetur, ut sacræ regulæ, ac Apostolicæ traditiones custodiantur: τὰ τοίνυν παρ' ἡμῶν νομοθετηθέντα καὶ τὴν ἱερὰν τάξιν τε καὶ κατάστασιν φυλάττοντα κατὰ τὴν τῶν θείων κανόνων δύναμίν τε καὶ ἀκρίβειαν, *quæ igitur à nobis sancita sunt, & sacrum ordinem, statumque custodiunt, secundum sacrarum regularum observationem, & virtutem*, & rursùs, ταῦτα κατὰ τῶν θείων κανόνων ὑφήγησιν, καὶ

τὴν ἀποστολικὴν παράδοσιν ϛηρίξαντες, *hæc secundum Sacrarum regularum explanationem, ac apostolicam traditionem constituentes.* & quod notandum est, non solùm ait exemplaria illius constitutionis Patriarchis, Metropolitis, Episcopis transmisisse, sed etiam Præfectis Prætorio, ut eam executioni mandarent.

Mitiùs agit Imperator cum Episcopis in suis Ecclesiis non residentibus ultra anni spatium Nov. 67. cap. 2. his enim præcipit, ut quamvis in comitatu Principis commorentur, subministrari expensæ nō debeant ab Oeconomis (erat enim ea tempestate redituum Ecclesiasticorum cura penes Oeconomos) sed illæ in Ecclesiæ utilitatem ususve pios erogentur; hęc autem pœna sequestro adsimilis est; εἴπερ ἀπολιμφθείη ὁ θεοφιλέστατος ἐπίσκοπος τῆς ἐκκλησίας τὸ αὐτοῦ πλείονα χρόνον, μηδεμίαν αὐτῷ στέλλεσθαι δαπάνην ἐκ τῆς χώρας, ἀλλ' ἐκείνην μὲν περὶ πράξεις εὐσεβεῖς, καὶ περὶ τὴν ἁγιωτάτην ἐκκλησίαν δαπανᾶσθαι, αὐτὸν δὲ ἐνταῦθα πλανώμενον, μὴ καὶ δαπάναις τὴν ἁγιωτάτην ἐκκλησίαν βαρύνειν. *Si verò defuerit Deo amabilis Episcopus Ecclesiæ suæ amplius tempus, nullam ei mitti expensam de Provincia, sed illam quidem circa actus pios, & Sanctissimam Ecclesiam expendi, ipsum verò hic errantem non expensis sanctissimam Ecclesiam prægravare*, ubi Gothofred. lit. I. *vagus, & aberrans Episcopus expensis Ecclesię non est alendus*. Porrò si multum temporis aberraverit veterem pœnam decernit suum robur obtinere, ut nimirum desertor Episcopus à sua Cathedra amoveatur.

Sed & idem Justinianus Nov. 123. cap. 8. vetat ne Episcopi possint à suis Ecclesiis discedere nisi ex imperiali jussione hoc eis permittatur, aut literis Patriarchæ, aut Metropolitæ; sin autem aliter proficiscantur, aut ultra anni spatium alibi moram ducant, πρῶτον μὲν μὴ χορηγεῖσθαι παρὰ τῶν οἰκονόμων τῆς ἰδίας ἐκκλησίας δαπάνας, *primum quidem non ministrari ab œconomis propriæ Ecclesiæ expensas*. Quid autem hoc, & sequestrum interest? Deinde si admoniti à Sacerdotibus, quibus subsunt, ut redeant, juxta sanctas regulas revocati, non revertantur, αὐτοὺς μὲν τῆς

ἐπι-

ἐπισκοπῆς ἐξωθεῖσαι, ἑτέρους δὲ ἀντ' αὐτῶν καλλίονας χειροτονεῖσθαι, *ipsos quidem ab Episcopatu expelli, alios autem pro eis meliores ordinari.* Ne quis autem hoc ad solos Episcopos pertinere putet, expressim & ad alios Clericos cujuscumque ordinis, aut ministerii porrigit, τοῦτο αὐτό, καὶ ἐπὶ τοῖς κληρικοῖς κρατοῦντος οἱουδήποτε βαθμοῦ εἶεν ἢ ὑπηρεσίας, *hoc ipso & super Clericis valituro, cujuscumque ordinis sint, aut functionis*; quod & de Clericis quibuscumque repetit iterum, ac inculcat ead. Nov. cap. 18. ubi injungit Clericis, ταῖς ἰδίαις ἐκκλησίαις παραμένειν, καὶ πᾶσαν αὐτοῖς ἁρμόζουσαν ἐκκλησιαστικὴν ὑπηρεσίαν πληροῦν, *In suis Ecclesiis permanere, & omne eis competens Ecclesiasticum ministerium adimplere:* in quo implendo si cessaverint, vult ut Canonicas pœnas subeant. Harum Constitutionum argumentum in breve conjiciunt Basilic. lib. 3. tit. 1. cap. 9. & cap. 18.

Præterea tit. 2. Nov. 57. quæ est περὶ κληρικῶν ἀποστάντων τῆς κατ' αὐτοὺς ἐκκλησίας, *de Clericis qui suis destiterunt Ecclesiis*, ut in interpretatione Scrimgeri inscripta Mennæ Patriarchæ Constātinopolitano, cum præfatus fuisset Iustinianus, à quāplurimis Clericis Ecclesias, sive εὐκτηρίους οἴκους, *Orationum domos*, in quibus sunt constituti, derelinqui; jubet; ut in horum locum, qui χωρίζουσιν ἑαυτοὺς τῶν ἱερῶν καθάπαξ μυστηρίων *separant semetipsos divinis omninò mysteriis*, alii substituantur, quibus dentur ea diaria, aut sportulæ, quæ antea desertoribus suppeditabantur: hos verò remeantes amplius non suscipi, τοῖς δὲ μετὰ τὴν ἀναχώρησιν τῶν προτέρων ἐγκατασᾶσιν αὐτοῖς δίδοσθαι τὰς σιτήσεις, *sed iis, qui post priorum secessionem sunt constituti, ipsis præberi annonas*, & in fine legis hæc aliaque à se mandari declarat, ὥστε μὴ βεβηλοῦσθαι τὰ ἅγια τοῦ Θεοῦ, *ut non prophanentur sacra Dei*, quod sacris literis proditum esse ait Ezechielis nempè c. 20. τὸ ἅγιόν μου βεβηλώσατε, cujus moniti utinam obliti non fuissent, qui in Regno nostro beneficia possidentes, ita Ecclesias suas despectui habent, ut templorum squalentissima facies sit quasi σπηλαίων ἀτόπων, quibus verbis, licet in alium sensum, utitur Iustinianus dicta Nov. 67. in princ.

Nemo autem est, cui non sit cognita Justiniani pietas

qua Principes, qui antè eum regnarunt, & religionem potissimùm coluere, vel æquavit, vel longe post se reliquit. Sanè Eustathius in vita Eutychii ipsum maximè collaudat, quod nullam potiorem curam habuerit, quam divina dogmata scrutandi, & hæreticos refellendi: *Nostis omnes* (inquit) *quotquot meministis, quam curiosè piæ memoriæ Justinianus in divinorum dogmatum investigatione versaretur,* quodque νυκτὸς, καὶ ἡμέρας ὑπὲρ τῶν τῶν ἄλλων ἀπάντων φροντίδα ταύτην εἶχεν ἀεὶ ὡς μίαν, καὶ μόνην, *diu noctuque posthabitis omnibus aliis curis illam unam, & solam nunquam intermittebat*, & addit; *qua ad disputandum omnes provocabat hæreticos, &c.* à quo non discedit Victor Tunonensis Episcopus in Chronico anno 28. Hoc studium tanti fecit Imperator, ut ipsis etiam imperii rebus illud prætulisse, ei vitio vertat Procopius in Arcana historia pag. 83. Quare cum Artabanes alijque necandi ejus consilium injissent, opportuniorem occasionem non posse arripi rati sunt, quam cum ille accitis Sacerdotibus usque ad multam noctem de divinis mysteriis dissereret, ut refert Procop. lib. 3. de bello Gothico κάθηται ἀφύλακτος ἀεὶ ἐπὶ λέσχης τινὸς ἀωρὶ τῆς νυκτὸς ὁμοῦ τοῖς τῶν ἱερέων ἐσχατογέρουσιν ἄσχετον ἀνακυκλεῖν τὰ χριστιανῶν λόγια σπουδὴν ἔχων: *Perpetuò sine custodibus desidet ad multam noctem in musæo, cum senioribus quibusque Sacerdotibus attentissimo studio arcana Christianorum dogmatum investigans*. Profectò Procopius, Victor, atque Eustathius Constantinopolitanæ Ecclesiæ Presbyter eodē quo Justinianus ævo floruere, & ea monumentis suis mandarunt, quæ oculis imbibebant, quæ auribus hauserant. Porro a Baronii injuria, qui anno 583. Imperatorem inscitiæ traduxit, & analphabetū appellavit, mendoso Svidæ loco deceptus, in quo amanuēsium incuria pro *Justino, Justinianus* subditus fuit; ad liberales artes quòd attinet eruditissimus vir Alemannus, quantum verò ad sacra studia Emin. Card. Henricus de Noris lib. 1. histor. de V. Syn. cap. 2. pag. 15. vindicavit. *Meum est qui Sacra tracto monstrare, quantum ille* (Iustinianus) *Theologiæ studiosus fuit. Antequam Imperium capesseret, ob illam assertionem,* unus de Trinitate passus est, *plures ad Hormisdam*

misdam literas dedit, atque ea de re cum Scythię Monachis litigavit, & obortis sub id temporis de gratia, & libero arbitrio Constantinopoli controversiis sese immiscuit, ut ex Epistola Possessoris Episcopi ad Hormisdam patet, de quibus in Historia Pelagiana lib. 2. c. 19. pluribus disseruimus. Factus postea Imperator tanto studio rerum divinarum comtemplationi vacabat, ut nullam eidem rem præponendam duceret. Et mox; *Cum Eutychius Monachus doctissimus Constantinopolim venisset, Mennas (inquit Eustathius) illum misit ad Imperatorem, apud quem cum de rebus propositis disputaretur, apparuit omni divina, humanaque disciplina instructissimus cap. 18. adeo ille Theologicis disputationibus oblectabatur. Agapetus Diaconus in Parenetico ad Iustinianum, quod exhibet Baronius in appendice tomi 7. nostris tẽporibus ostensum est* (inquit) *prospere vitæ tẽpus, quod prędixit quidã ex Veteribus futurũ, cũ vel Philosophi regnarent, vel Reges philosopharentur; nã philosophando digni habiti Regno estis, & Regnando à Philosophia non descivistis. Ita ne si superis placet, Hominem analphabetum inter Philosophos connumerasset? Possevinus in fine tom. 3. ubi de Bibliothecis Grecis agit, testatur Constantinopoli inter Codices Constantii Barini fuisse laudatum Agapeti volumen ita inscriptum: Agapeti Diaconi magnæ Ecclesiæ, & Magistri quondam Regis Iustiniani Magni, ad eundem Iustinianum libri, seu sectiones duodecim. Iustinianus ergo doctissimo Viro Magistro usus est. Scribit Vigilius Papa in Epistola ad Iustinianum Augustum data anno 540. Sapientia vobis singulariter à Deo concessa disponitis. Inde Ecclesiasticis causis promptius, quam Laicum Hominem decebat sese immiscebat. Rogatus à Pelagio Apocrisiario Vigilij, ut in Origenem sententiam ferret, annuit Imperator facillimè (inquit Liberatus cap. 23.) gaudens se de talibus causis judicium ferre. Cum vero ex alia parte Theodorus Cappadox tria Capitula etiam damnanda esse eidem suggereret, annuit bis Princeps (inquit idem Liberatus cap. 24.) & hoc se lætus implere promisit, & relinquens operis sui studium, unum in damnationem trium Capitulorum condidit librum.* Et inferius; *Plures libros de tribus capitulis se scripsisse testatur Justinianus in edicto contra eadem capitula. Hinc Sanctus Isidorus, qui proximus Iustiniano, eundem insignium Scriptorum catalogo inseruit, ejus libros recen-*

sens

sens cap. 12. Meritò ergo Theodatus Gothorum Rex vocabat Iustinianum sapientissimum apud Cassiodorum Epistola 22. & in libro Pontificali in vita Joannis II. scribitur : Vir religiosus Augustus Iustinianus, summo amore Christianæ religionis, misit fidem suam scriptam Chirographo proprio ad Sedem Apostolicam per Episcopos Hypatium , & Demetrium .

Inter faustas acclamationes, quibus sexta Synodus Constantino Pogonato ob defensam religionem felicitatem longævam precabatur : *Novo Magno Constantino multos annos , Novo Theodosio , Novo Marciano ,* & hæc quoque subnectitur. Νέῳ Ἰουστινιανῷ βασιλέως πολλὰ τὰ ἔτη : *Novo Justiniano Imperatori multos annos* ; à quo ea fuisse constituta , quæ attulimus , & alia pleraque decerpta ex Sacris Canonibus, vel è receptis moribus, etiam quædam interpretatione supplendo , tantùm abest Summos Pontifices damnasse , ut Epistola Synodica Agathonis Papæ , & Synodi Romanæ hoc nomine summis laudibus extollatur Imperator οὗτινος ὡς ἡ ἀρετὴ (verba sunt Pontificis maximi sextæ Synodi act. 6.) οὕτω καὶ ἡ εὐσέβεια εἰς κρείττονα τάξιν ἀνεκαίνισε πάντα , *cujus ut virtus , ita & pietas in meliorem ordinem cuncta redegit* . In act. 4. ejusdem Synodi idem Sanctus Agatho scripserit : *Præ omnibus æmulator veræ , & Apostolicæ fidei piæ memoriæ Iustinianus Augustus , cujus fidei rectitudo quantùm pro sincera confessione Deo placuit , tantùm Remp. Christianam exaltavit , & utique ab omnibus gentibus ejus religiosa memoria veneratione digna censetur , cujus fidei rectitudo per Augustissima ejus edicta in toto orbe diffusa laudatur* . Ioannes verò Scholasticus in Cod. MS. Bibliothecæ Regiæ, si Marchæ fides , ejus Constitutiones tanti fecit , ut non solùm illas maximo usui esse jurisdictioni , ac rebus Ecclesiasticis testatus fuerit , sed etiam in Canonum collectione quam Theodoretus Cyri Episcopus in quinquaginta titulos digessit , cum iis leges , præsertim Iustiniani constitutiones contulerit , αἵτινες (inquit ille) οὐ μόνον ταῖς τῶν ὀρθοδόξων ἡμῶν πατέρων κανόσιν ἀκολουθοῦσιν , ἀλλὰ καὶ τὴν ἐκ βασιλικῆς ἰσχύος αὐθεντίαν χαρίζονται μετὰ προσθήκης ἐννόμου τε καὶ διαρίσει τὸ συμφέ-

pro

ρον πάσῃ τῇ ἀνθρωπίνῃ κτίσει θεομιμήτως περισκοποῦσιν: quæ quidem non solum sequuntur orthodoxorum nostrorum Patrum Canones, sed etiam ex Principis Imperio auctoritatem illis largiuntur, una cum adiectionibus quibusdam legitimis, & Deo gratis, quæ commodis hominum ad exemplum Dei consulunt, cujus exemplo Photius Nomocanonē suū edidit. Ex verbis autē Cōstantinopolitani Patriarchæ palam est ut supra diximus, Iustinianū Canonibus legū publicarum vim tribuisse, & eos per interpretationem supplendo, quædam adiecisse, præscripto etiam aliquando modo rei gerendæ, ac judiciorum ordine, quæ connumerat Scholasticus inter *συνάδοντα νόμιμα τοῖς ἐκκλησιαστικοῖς κανόσιν*, alios verò articulos Canonibus non comprehensos inter ea recenset, quæ appellat *ἕτερα κεφάλαια ἐκκλησιαστικά*. Quinimmo Summi Pontifices non solùm has constitutiones amplectuntur, ac exosculantur, sed earum testimonio & frequenter, & libentissimè utuntur non minus quam si Canones in medium proferrent: quemadmodum Gregorius Magnus epist. 54. lib. 11. laudat Novellam 123. quæ est veluti quoddam totius juris veteris Canonici compendium, ac *συλλογή*, eiusque verba & si longiuscula interserit: & Ioannes 8. Novella Constitutione nititur adversus quosdam Episcopos, qui Bicbertinum Laicum causa non cognita, ac discussa à fidelium consortio segregaverant. *Scitote quemadmodum in centesimo Capitulo Aphricani Concilij legitur, similiter in 2. Novellarum Iustiniani libro, ut nemo Episcopus, aut Presbyter aliquem excommunicet, antequam causa probetur*, ut non immerito has leges ab Ecclesia probari dixerit Hincmarus opusc. cap. 17. ubi de ijs nominatim agit, quæ residendi necessitatem concernunt: *Sed & leges Romanæ ab Imperatore* Iustiniano *promulgatæ, quas probat Ecclesia, decernunt de Episcoporum sine Metropolitani sui auctoritate profectione*, & Ivo epist. 180. eas à Romana Ecclesia servari, & commendari: *Dicunt instituta legum Novellarum, quas commendat, & servat Romana Ecclesia.*

Etenim veteres Canones renovavit Iustinianus dumtaxat, ac recudit, & legibus suis, velut quibusdam

sup-

supplementis interpretatus est, novas Ecclesiæ regulas non præscripsit, & in his quæ ad fidei dogmata, & hæreses damnandas, ac proscribendas spectant, decreta Conciliorum suis legibus roboravit. Quapropter cum Pater Halloixius impugnans Iustiniani edictū adversus Origenistas latum, opposuisset, Imperatorem usurpasse ea, quæ Ecclesiæ, & Episcoporū sunt propria, Cardinalis Norisius Historiæ de V. Synodo cap. 2. pag. 2. reposuit, Romanæ Ecclesiæ Iustiniani edicta probata fuisse, non uno testimonio demonstrari posse; hęc deinde subtexens: *Vitio vertit adversarius Justiniano, quod usurparit, quę Ecclesię, & Episcoporum sunt propria. At Vigilius Papa legens edictum Justiniani, quo anno 540. cum Severo, Petro Apameensi, ac Zoara etiam Theodosium Alexandrinum damnabat, Imperatoris scriptū non modo laudavit, verum etiam ob id gratias Deo agendas fassus est. Nos in Domino, inquit, nimium convenit gloriari, quod non Imperialem solum, sed etiam Sacerdotalem animum concedere sua miseratione dignatus est. Illa edicta adhibitis in Consilium doctissimis Episcopis Princeps componebat. Unde hæc ad Justinianum scribit Io: II. Papa: Fidelibus populis proposuistis Edictum pro amore fidei, pro submovenda Hereticorum intentione, secundum Apostolicam doctrinam, & fratrum, & Coepiscoporum nostrorum interveniente consensu. Plenæ sunt eiusmodi Edictis ab Imperatoribus emissis Ecclesiasticę Historiæ.* Et cum subjecisset, decretis Conciliorum consentientia Imperatorum edicta accessisse pluribus cumulatis exemplis, concludit: *Unde Imperator latam contra Origenem sententiam recenti Edicto confirmavit, nec ea, quæ Episcoporum sunt propria usurpavit, sed Sanctorum Antistitum, quos in ea Epistola laudat, exemplum secutus Adamantio nigrum theta præfixit.*

Quamvis autem Balsamon in Nomocan. tit. 8. cap. 2. quærens cur leges pœnam dejectionis Clericis, ac Episcopis, qui diutius evagantur in Principis Comitatu, vel alibi statuentes, sua ætate in usu esse desierant, Episcopis in Constantinopolitanam urbem pro lubitu adventantibus, dummodo in ejus ingressu Patriarcham de hac re, certiorem facerent, ibique per longum etiam spatium,

prout

prout magis liberet moram trahentibus, hanc causam reddat, quia Novella 86. abrogata fuit constit. 123., quæ pœnam minuit, ac temperat, & hactenus Episcopos è suis Ecclesiis emigrantes punit, ut non subministrentur eis solemnes annonæ ab Oeconomo; legem verò, quæ Episcopum dignitate exuit, qui per annum à sua Ecclesia abfuit absque legitima causa, putet correctam fuisse nova constitutione Emmanuelis Comneni, qua cautum fuit, ut Episcopi possent Regiam urbem, aut Sacrum Comitatum adire juxta veterum legum, aut canonum sanctiones, sed si ultra tempus his præfinitum in eo commorari pergerent, ut vel inviti ejicerentur, nobis Græcus canonum enarrator rectè, an perperam senserit, disquirendum non est. Satis fuerit superque Principes, tanquam Canonum patronos, de Ecclesiastica disciplina in his, quæ ad rem beneficiariam pertinent, ac præsertim ad residendi necessitatem leges suas edidisse.

Et quando in Balsamonis notas incidimus liceat id obiter innuere in can. 16. Concilii Constantinopol. quod Græci primum, & secundum appellant, quodque indulget Episcopo, ut per sex menses tantùm a sua Ecclesia absit, quamvis in Regia urbe maneat, nisi vel Regio jussu, vel sui Patriarchæ, vel morbo suam sedem repetere præpeditus fuerit; quod si in sacro Comitatu non ex his, quas diximus causis, aut alibi *supra semestre tempus degat, statuit sancta Synodus, ut a Sacerdotio alienus omninò constituatur, & alius pro ipso promoveatur*, advertere eundem interpretem canonem illum severiùs cum Episcopis agere Novella Iustiniani, quæ in Basilicis lenior, ac humanior extabat. Quapropter quid sibi existimandum sit hæret, ac anceps est, licet in id propendeat, quod in Nomocanone exaraverat.

Silentio prætereunda non est ejusdem Iustiniani Græca Constitutio, quæ in vulgata Codicis editione omissa, se offert apud Gothofred. ex Contii interpretat. l. 43. de Episcop. & Cleric. cujus præfatio maximam religionem, ac Christianam pietatem redolet, & Principes instruere

Eee vide-

videtur quomodo in suscipiendo disciplinæ canonicæ patrocinio se gerere debeant, eosque invitat ut reminiscantur jus gladii ipsis mandatum esse ad tuendam Ecclesiam, eorumque studio commissam esse Ecclesiasticorum ordinum; integritatem; Πᾶσαν ἀεὶ ποιούμενοι πρόνοιαν τῶν ἁγιωτάτων ἐκκλησιῶν, δι' ὧν καὶ τὴν ἡμετέραν βασιλείαν κρατύνεσθαι, καὶ τὰ κοινὰ πράγματα τῇ τοῦ φιλανθρώπου θεοῦ χάριτι τειχίζεσθαι πεπιστεύκαμεν, ἀλλὰ μὴν καὶ τὰς ἡμῶν τε καὶ τῶν ἄλλων ἁπάντων ψυχὰς σπουδάζοντες περισώζεσθαι, καὶ τοῦτο χάριν ἐπιμελούμενοι διὰ παντὸς τοῦ μήτε τὰ συμφέροντα ταῖς ἁγιωτάταις ἐκκλησίαις καθ' οἵαν οὖν πόλιν οὔσαις τρόπῳ τινὶ κατολιγωρεῖσθαι, μηδὲ τὰς ἐν αὐταῖς θείας λειτουργίας ἐκ τῆς τῶν θεοφιλεστάτων ἱερέων ἀπουσίας ἐμποδίζεσθαι ἢ μὴ προσηκόντως ἐπιμελεῖσθαι: *Omnem semper adhibentes providentiam circa sanctissimas Ecclesias, per quas & nostrum Imperium sustineri, & communes res clementissimi Dei gratia muniri credidimus, nec non & nostras, & cæterorum omnium animas studentes salvari, & eam ob rem solliciti assiduè, ne commoda sanctissimarum Ecclesiarum in quacumque Civitate sint constitutæ, aliqua ratione minuantur: neve quę in ipsis fiunt divinę liturgiæ ex Deo amatissimorum Sacerdotum absentia impediantur, aut non convenienter curentur.* & inferiùs πρὸς τὸ μηδὲ τὴν τῶν ἐκκλησιαστικῶν πραγμάτων δεόντως προϊέναι διοίκησιν παρὰ τὸν τῆς ἀποδημίας τῶν θεοφιλεστάτων ἱερέων καιρόν, *simul etiam ne Ecclesiasticarum rerum non convenienter procedat administratio per absentiæ Dei amantissimorum Episcoporum tempus.* His expressis, ac præmissis causis edicit, ut Episcopi, absque speciali imperatoria jussione a suis Ecclesiis non discedant, neque in Regiam Civitatem commeare audeant; si quicquam sit, quod eos ad adeundam Principis clementiam adigat, id vel per unum, aut duos Clericos, aut per Patriarcham ei exponant, ut si necessitas exposcat profectionis licentiam concedat; si quis legi suæ non obedierit, aut contumax fuerit, suę indignationis pœnam gravissimam comminatur: οὐ μικρᾶς ἀγανακτήσεως πειραθήσεται, *non parvam indignationem experietur.* Neque quod postea in eadem constitutione exprimatur, ut non residentes Episcopi in suis Ecclesiis anathemate feriantur, incusari poterit Iustinianus quasi alienę jurisdictionis, & Sacerdotalis au-

auctoritatis invasor; nam in postrema legis parte denotat tantum, ac exequitur, quod pluribus Conciliis constitutum fuerat, ut Episcopi, aut Sacerdotes, qui ab Ecclesiis suis decedentes, absque necessaria licentia, ac literis a Canonibus requisitis, vel Imperatoris aulam peterent, vel alibi moram ducerent, a communione seponerentur, ut Antiocheni cap.11., Sardic. cap.21., Agath. cap. 52.; Epaun. cap.5., quod & postea cautum fuit Arelatensis secundi cap.13. Aquisgr. cap.73. & in aliis; sed anathematis pronunciationem Ecclesiasticis potestatibus reservat, ut planum est ex ijs verbis: ἀλλὰ καὶ ὑπὸ ἀφορισμὸν γενήσεται, εἰ μητροπολίτης εἴη ὑπὸ τῆς σῆς μακαριότητος, εἰ δὲ τῆς ὑπὸ τὸν μητροπολίτην πόλεων δι' αὐτοῦ τοῦ μητροπολίτου; *sed & sub excommunicatione fiet, siquidem Metropolita sit, a tua Beatitudine, si vero Civitatis sit Episcopus, quę Metropolitæ subiecta sit, ab ipso Metropolita.*

Cernitur & in Codice Justiniani alia constitutio, qua vacationis a tutela, & cura Clericis concessæ expertes fiunt qui suis Ecclesiis non sint perpetuò affixi; *Eos tamen Clericos, & Monachos huiusmodi beneficium habere sancimus, qui apud Sacrosanctas Ecclesias, vel Monasteria permanent, non divagantes, neque circa divina ministeria desides, cum propter hoc ipsum, beneficium eis indulgeamus, ut aliis omnibus derelictis Dei Omnipotentis ministeriis inhæreant*; & tom.1. juris Oriental. pag. 84. & 85. Heraclii edictum quo prohibetur ne Ecclesię, Xenodochia, vel Monasteria erronibus Clericis, & propriarum Ecclesiarum desertoribus, qui undique Constantinopolim confluebant, quippiam largiantur, neve ῥόγας, σιτονομὰς, διάρια suppeditent.

Sed & ex Capitularibus Caroli Magni velut ex instructissima penu innumera decreta promi poterunt, quibus pessumdatæ, per temporum injuriam, ac bellorum incendia, & calamitates, Ecclesiasticæ disciplinæ subventum fuit; cuius ea pars, quæ ad assiduam præstandam a Clericis operam in Ecclesiis, quarum stipendiis gaudent, neglecta non est, ut patet ex Capit. lib. 5. cap.177. *Comperimus quosdam Episcopos, & Abbates, atque*

Sacerdotes non causa necessitatis, & utilitatis, sed potius avaritiæ, & propriæ delectationis, sepissimè propriæ Civitatis suæ sede, vel Monasterii septo, aut Ecclesia propria derelicta, cleroque neglecto, remotiora loca frequentare: Pro qua re, & destitutio Divini cultus, & prædicatio in plebibus, & cura subiectorum postponitur, & hospitalitas negligitur. Quod ne ulterius a quoquam sine inevitabili necessitate, aut aliqua utilitate fiat, pari consensu inhibemus; & lib. 1. cap. 41.; quo renovatus fuit antiquus canon Concilii Aphricani: *Vt non liceat Episcopo principalem Cathedram suæ Parochiæ negligere; & aliquam Ecclesiam in sua Diœcesi magis frequentare*; & lib. 7. cap. 19. *Placuit, ut nemini sit facultas, velicta principali Cathedra ad aliam Ecclesiam in Diœcesi constitutam se conferre, vel in re propria diutius, quam oportet constitutum curam, vel frequentationem agere; & propriam plebem negligere.*

Quod tam altè infixum fuit in animis, tam Caroli, quam Ludovici filii, ut lib. 5. Capitul. ex editione Friderici Lindembrogii disposuerint, ut presbyteri, qui in titulis consecrantur secundùm canones, antequam ordinentur, juratò promittant se perpetuò in illis titulis, sive locis permansuros. Quò pertinet *cap. 13. de Cleric. non resid.* in quo ab Honorio III. proponitur Præfectum, seu Præsulem de Valeriis Ecclesiæ S. Martini Turonensis eo tempore, quo Præposituram de Valeriis receperat, juramentum præstitisse de facienda ligia residentia in Ecclesia prædicta; quo loci ligiam residentiam, vocat Honorius, quæ valdè ligat, & adstringit, & integram deditionem notat, ut de Guiscardo narrat Albertus Krantzius lib. 4. cap. 7. & 9. *Norvegiæ*, qui se Romano Pontifici ligium spopondit, & de Roberto Rege Siciliæ *clem. Pastoralis de sentent. & re judic.* Nempe Præsul de Valeriis jurejurando se adstrinxerat ligiæ assiduitatis in Ecclesia S. Martini Turonensis, quam regere debebat iuxta formam a Capitularibus præscriptam, quod miror fugisse Cironium, qui hanc ligiam residentiam de ea, quæ a quolibet clerico exigitur accepit. Præterea sexcentas suppeditant sanctiones,

ad

ad rem nostram attinentes capitularia Caroli, Ludovici, & Lotharii, quæ universi iuris canonici breviarii instar esse poterunt.

Porro licet hæ constitutiones, & Episcoporum, & Optimatum Galliæ consilio conditæ, quas in unum corpus redegerunt Ansegisus Abbas, & Benedictus Levita, de rebus Ecclesiasticis latæ sint, in iis tamen, ut ex Capitul. Aquisgran. apparet profitetur Carolus devoti Sanctæ Dei Ecclesiæ defensoris, humilisque adjutoris munia implere, & Iosiam imitari præsefert; *Nam legimus, inquit, in Regum libris, quomodo Sanctus Iosias Regnum sibi a Deo datum circumeundo, corrigendo, admonendo, ad cultum veri Dei studuit revocare*, ita tamen, ut aliquando & iniungendi verbo utatur, & legibus sanctio adiecta fuerit. Neque profecto Romani Pontifices eas approbare veriti sunt, ut Leo IV. quem constat ex fragmento eius epistolæ ad Lotharium, spopondisse, Capitula illa Lotharii eiusque prædecessorum se in omnibus observaturum, *c. de capitulis dist.* 10. apud Gratianum, exemplum secutum Leonis primi epist. 78. ad Leonem Isaurum. Itaque mirum non est, Synodum Meldensem anno 845. celebratam a Carolo Calvo postulasse, ut capitula illa per Gallias custodiri iuberet, ut ex cap. 78. illius Synodi: *ut capitula Ecclesiastica a D. Carlo Magno Imperatore, necnon & a D. Ludovico Pio Augusto promulgata, obnixè observari præcipiantur, sicut & legalia esse noscuntur*.

Adeo autem hoc ad Regiam tuitionem pertinet, ut & Summi Pontifices, & Concilia, Principum auxilium imploraverint hoc nomine, ut Clerici sedulò, ac assiduè in suis Ecclesiis permanere cogerentur. Legimus in Bibliotheca Patrum tom. 3. pag. 256. complures epistolas Athanasii Patriarchæ Constantinopolitani, quæ omnes scriptæ sunt de residendi necessitate Episcopis aliisque Sacerdotibus iniuncta, quibus etiam diris incessit eam Episcoporum turbam, qui Regiam aulam frequentabant, quosque ambitio transversos agebat, & in Principis Comitatu honores, ac dignitates affectantes,

reti-

retinebat, ita ut suarum Ecclesiarum omnem curam deponerent,& si quando laxiorem disciplinam intendere satagerent Patriarchę eos confictis criminationibus in famę, ac existimationis periculum arcessebant. Has inter duę existunt 6. & 7. quibus Imperatorem hortatur, ut Episcopos compellat Regia Urbe abire, & in suas Ecclesias regredi, aut sibi eorum Episcopatuum administrationem committere, & inter eos Constantinopolitanam Sedem partiri, ac dividere. Idem patrocinium,eandem opem a Celsitudine Imperiali petiit Concilium Parisiense,sub Ludovico,& Lothario c.36.lib.1. ex quo etiam apparet posse Principem ex suo imperio, & potestate Regali(ut Concilium ait)prohibere ne Clerici huc illuc discurrant suis Ecclesiis vale dicentes. Eisdem precibus Patres exorabant Imperatorem in Parisiensi sub Ludovico,& Lothario lib.3.cap.14.:*Illud a vestra pietate suppliciter flagitamus,ut Monachi,& Presbyteri,nec non & Clerici, qui postposita Canonica authoritate, passim Palatium adeunt, & vestris sacris auribus importunissimam molestiam inferunt vestra, auctoritate, & potestate deterreantur, ne hoc facere præsumant,* & in Parisiensi sub Ludovico, & Lothario lib.3. cap.13.:*Sacerdotes,& Levitæ,& sequentis ordinis Clerici,qui in diversas Imperii vestri partes, maximeque in Italiæ Regionem fuga lapsi sunt, vestra authoritate per Missos vestros diligenter perquirantur, & in pręsentiam vestram venire compellantur, & per vestram Clementiam unicuique Ecclesiæ,a qua per contumaciam defecerunt,restituantur.*Ex actis Romanæ Synodi habitæ sub Leone III. consilio Lotharii, & Ludovici in Ecclesia Beati Petri, in qua interfuere Episcopi septem, & septuaginta, ut refertur in *cap. 2. de Cleric. non resid.*, & in qua Anastasius Cardinalis sua dignitate ejectus fuit, & ordine motus,quod diutius a sua parœcia absens, ac aberrans, in eam evocatus remigrare noluisset, cujus historiam prosequitur Anastasius Bibliothecarius *anno* 853. in Leone IV. & Baronius *annal.* 10. *anno* 853. *n.* 84., liquet a Summo Pontifice obsecratum fuisse Imperatorem, ut Anastasium ad redeundum

com-

compelleret, qua in re quantum auctoritati Principum deferretur verba jubendi,& sanciendi,quę a Leone usurpata fuere satis ostendunt; *Postmodum verò Ravennæ nobis cum piissimo invictoq;Domino H.Ludovico Imperatore spirituali filio nostro degentibus,ejus clementiam exoravimus, ut eundem Presbyterum ad nos,suamq;Ecclesiam reverti juberet, quod omni alacritate nostro repromisit perficere Pontificio, diem constituens, atque denuncians, in quo eum remeare sanciret, Missos etiam Majestatis suæ nobiscum reliquit, Nottingum Brixiensem, & Aldegisum Illustrem Comitem,qui revertentem illum nostro conspectui præsentarent, quos expectantibus illic nobis ad diem statutum, & ultra,prædictus Presbyter non advenit; at iidem Missi illum nobis repræsentare non posse professi sunt.Post transactum autem placitum,&c.* Id cum in sacrosancto illo Conventu exposuisset Leo, dein facinus exagitans, quod Anastasius patrarat ait, *& jussis Apostolicis, & Concilii sanctioni eum parere noluisse*, & quasi vel majus, vel saltem æquale crimen admisisset, quod Imperatoris præcepto obtemperare recusasset, subnectit: *& Domini Lotharii præstantissimi Imperatoris decreto redire jubenti, pertinaciæ suæ intemperantia restitisse*; quo peracto interpellavit Pontifex Missos Imperatoris, cur secundum Principis jussionem Anastasius non adventasset, eumque sibi non exhibuissent, ac concilio se sistere non coegissent: ipsisque non fuisse inventum excipientibus, universo Episcoporum cætui placuit, ut epistola Imperatoris recitari deberet; *Tunc Sanctissimus Papa Imperialibus superiùs jam dictis Missis dixit: Cur nobis, Sanctoque Concilio secundùm Imperialem epistolam jam dictum non præsentatis præsbyterum? ipsi autem affirmantes dixerunt: nos enim secundùm preceptionem Domini, Magnique Imperatoris reducere, vobisque presentare maluimus, sed minimè illum invenire potuimus. Mox autem omnibus* Episcopis *ipse insignis, ac Beatissimus Præsul dixit, quid vobis de his videtur? Universus Episcopum cętus respondit: Imperialis, si vobis placet,epistola relegatur, & cum relecta fuisset,in ea inter cætera repertum est ita, &c.* qua epistola perlecta, fuit juxtà canonem tertium Sacri Concilii Antiocheni, Anastasius ministerio motus ex omnium consensione. Qua-

Qua in re sicut præsens, ac paratissimum experta fuit Ecclesia Romanorum Imperatorum præsidium, ita & aliorum Principum, qui illorum vestigiis insistentes, variis Edictis ne Clerici, ac beneficiarii suas Ecclesias derelinquerent prohibuere, eos pœnis etiam sequestri fructuum coercentes; quemadmodum a Justiniano redituum, qui ab Oeconomis iis præstari solebant, amissione, ac jactura, coercitos fuisse jam vidimus. Hoc pacto Henricus III. Angliæ Rex anno 1264. lege declaravit sequestro se subjecturum temporales proventus Episcoporum in suis Ecclesiis non residentium, nec passurum amplius ut temporalia demeterent, qui in divino Ecclesiæ campo spiritualia serere non curarent; Conc. to. 11. par. 1. pag. 226.: *Bona temporalia, & omnia, quæ ad Baroniam ipsius Ecclesiæ pertinent, quæ pro spiritualibus in eadem Ecclesia exercendis, pia progenitorum nostrorum devotione constat eidem fuisse collata, in manu nostra totaliter capiemus, nec ulteriùs substinebimus, quod temporalia metat, qui spiritualia subtrahere non formidat.*

Laudanda hujus Principis hac in re pietas, non item factum Eduardi ejusdem Insulæ Regis, qui anno 1352. ut sumptibus feralis belli, quod cum Gallis gerebat, cujusmodi voragine Regni vires absorptæ fuerant, par esset, in quoscumque reditus beneficia possidentium, qui in Ecclesiis non residerent manus injecit, non solum Cardinalium, ac officia exercentium in Curia Romana, sed etiam eorum, quibus canonicæ leges residendi gratiam faciebant, vel quod studiis operam navarent, vel aliis legitimis de causis: licet ab incœpto destiterit anathematis timore perculsus, quod vibrare minatus fuit Clemens Sextus, tam in ipsum, quam in magistratus qui mandata exequerentur à legibus Ecclesiasticis discrepantia, tum quia ii molestia afficiebantur, quos canonum auctoritas assiduitatis onere non gravabat, tum quia fructus beneficiorum in suos usus, ac compendium vertere Rex properabat, immò in belli expensas, quo Christianos homines aggressus fuerat, ut ex *Raynaldo ad annum* 1352. *n.* 17. Ean-

Eandem sequestri pœnam Episcopis non residentibus in suis Parœciis, sive Diœcesibus imposuit Ludovicus XI. ejus Pragmatico anno 1457. promulgato; quam Reges qui post eum imperio Galliæ potiti sunt in constitutionibus suis eadem de causa conditis similiter inflixere. Eodem modo ultus fuit Carolus Nonus lege, quam tulit anno 1561., Episcoporum ab exhibendo ministerio in suis Ecclesiis cessationem, exceptis iis, quos in suum concilium privatum cooptaverat, vel quorum opera pro republica foris uteretur. Sed hanc exceptionem improbavit Senatus Parisiensis dum edictum insinuaret, Regi id ob oculos proponens, posse ipsum Episcopos in consilium adhibere, dummodo statim ad suas Ecclesias eos remitteret, quomodo lex divina jubet. Oratorum autem officio fungi eis non licere, si hac de causa longo temporis spatio à suis Diœcesibus abscedere cogerentur. Pœnæ etiam non acquirendi fructus non residentes submisere Hispani Reges, ut ex l. 27. lib. 1. tit. 7. novæ recopilat.

Et ne diutius in re evidentissima immoremur, inter pœnas, quibus Clerici, aut beneficiarii non residentes perpetuò in Ecclesiis, quos tanquam desertores, vel transfugas levissimos puniri habetur in *Can. si quis Presbyter Can. seq.* & *Can. si quis in Clero 7. q. 1.*, eam esse frequentissimam, & usitatissimam, ut jussu Principis, ac Magistratus sæcularis fructus bonorum Ecclesiæ temporalium penes sequestrem deponantur, & hoc remedium omninò assimilari proventuum subtractioni in Novellis cõtentæ, ac etiã in jure Canonico, ex cujus dispositione adjudicantur Ecclesiæ derelictæ *cap. pen. de Cleric. non resid.*, auctorem habemus Le: Dartis in tract: de benef. p. 9. cap. 1: *Poterit etiam adversus eum procedi per viam depositionis, excommunicationis, vel suspensionis c. 2. & d. c. ex tuæ §. fin., & quoque per subtractionem proventuum, qui adjudicabuntur Ecclesiæ derelictæ, ut dicitur c. pen. eod. tit. quos si reversus petat, exceptione non residentiæ, id est quod non resederit in Ecclesia repelletur, ut notant Interpretes in d. cap.*

conquerente. Cui remedio simile est illud, quod hodie in usu est, ut jussu quoque Judicis Sacularis capiantur bona temporalia Ecclesiæ, donec Clericus residentiam fecerit, quod vulgò dicunt, par saisie du temporel.

Sed age quæso quo pacto Principes legibus, ac edictis in publicum missis, alienigenas à Sacerdotiis expulerint, ex jure suæ potestatis, sive patrocinii, quod & hanc disciplinæ partem, sicut & alias cæteras complectitur, & ob evitandam Regnorum, ac subiectorum perniciem, quorum salus suprema lex Principibus esse debet, dispiciamus, à Romanis Imperatoribus exordio sumpto, quorum Constitutionibus, aliorumque Principum productis, ad Neapolitanorum Regum gesta, & quasi possessionem in qua semper fuere circa beneficia, gradum faciemus.

Clausum fuisse iter ad beneficia alienigenis Imperatorum Archadii, & Honorii Constitutione in *l. in Ecclesiis C. de Episcopis, & Clericis*, qua jussum fuit Clericos non ex alia possessione, vel vico, sed eo ubi Ecclesiam esse constaret ordinandos, in præcedenti dissertatione probavimus.

De hac re quamplures leges procuderunt Hispani Reges. Ei primas deferre placet, quæ comprehensa est partit. 1. tit. 15. l. 13. *E deven primeramente presentar de los hijos de la Yglesia, si los oviere a tales que sean para ello: e si nó, de los otros, que son de aquel Obispado.* Cum Enricus III., patre immatura morte prærepto in Olgarum Monasterio, quod prope Burgos est, Regni Castellæ administrationem auspicatus fuisset in conventu ibi de hac causa habito, & reditus Sacerdotiorum, quæ externi obtinebant jam anteà occupati fuissent, proponente Clementis septimi Antipapæ Legato, re in deliberationem vocata, ac nimis agitata, & vexata, tandem aulicorum precibus, ac blandimentis devictum, & expugnatum juvenilem Regis animum memorat Mariana *de reb. Hispan. lib. 19. cap.* 1. qui etiam refert eam, ac plerasque alias controversias, ex communi Procerum con-

sensu

sensu in proxima generalia comitia, quæ Madritum indicta, fuisse rejectam. Ejus verba operæ pretium erit adtexere: *Sacris Castellæ beneficiis, ut quæque opulentissima erant, ita maximo studio, spe, conatu externi imminebant, nullo probitatis respectu, nullo eruditionis honore. Tanti mali procurandi causa, Caracæ in Regni conventibus, uti superius dictum est, cautum: ne externi in ea beneficia invaderent. nihil esse sordidius, atque crudelius, quam si Ecclesias arroderent ii, qui nihil opis contulissent, neque ipsi, neque majores eorum: nulli deinceps usui futuri essent. Cum id decretum à Romanis Pontificibus negligeretur, à Regni Procuratoribus prioribus ann s Sacerdotiorum reditus, quæ externi obtinebant, occupati erant. De ea re referente Clementis Legato, in conventu disceptatum: consilioque inter proceres communicato, responsum: Iniqua videri externos petere, sed aulicis tamen spe imminentibus ea Sacerdotia impetrandi venia Pontificum, lubrica pueri Regis ætas tentata precibus, ac victa tandem est. De ea, aliisque Controversiis communi Procerum consensu deliberandum videbatur. Conventus ergo Regni generales Madritum indicti.*

Sed mutilam, ac decurtatam hac de re historiam nobis reliquit Mariana. Eam integram fideliter enarrat ipsemet Henricus III. in pragmatica sanctione, quam ex ejus autographo depromptam typis dedit Didacus Perez ad *lib. 1. leg. ordinam. tit. 1, l. 19. fol. 93.* Ut malis obviaret, quæ ex invasione alienæ gentis hominum in sacra beneficia progignebantur, appellatum fuisse, refert in ea Constitutione Henricus, à defuncto genitore D. Joanne, Clementem Pseudopontificem per suos oratores, ac exoratum, ut ea Sacerdotia, quæ exteris in suæ ditionis Regnis concessa fuerant, in indigenas transferrentur, huic postulationi, ac votis non invitum annuisse; rem effectu non caruisse, transductis in Castellanos aliquibus dignitatibus, quibus antea alienigenæ exornabantur. Id autem egisse Regem D. Joannem, credendum est ex eo, quod communi consensione constitutum fuerat in Conventibus Regni Caracæ celebratis, cujus decreti non solum meminit Marian. *d. cap. lib. 19.*

sed

sed etiam in lib. 18. cap. 13. Prosequitur Henricus, tam patrem, quam Clementem morte præventos fuisse, antequam operi coronidem imponerent. Cum verò ipse Regni infulas suscepisset, in comitiis habitis Madriti primo sui imperii anno, omnium Regnorum votis fuisse expetitum, ut quod inter Regem decessorē, ac Clementem placuerat ratum esset, firmumque: ne autem factum mutaret, se apprecatum fuisse Pseudopontificem, interea fructibus, ac reditibus beneficiorum, ac dignitatum, quæ tam à Cardinalibus, quam ab aliis exteris possidebantur per totum ejus imperium sequestro subditis: *y despues que a Dios plugo llevar deste mundo al dicho Rey mi Señor, y quiso que yo reynasse empos el primer anno del mis Reynado en las Cortes que hize en Madrid, por todos los de mis Reynos fueme pedido afincadamente merced, que mandasse, y ordenasse e fiziesse por tal manera, que se guardasse la gracia de suso dicha, que el Papa Clemente al Rey mi Señor, y mi Padre hyziera, y a mi plugo mucho dello, viendo que era razon, y a pedimiento de todos los de mis Reynos, y con acuerdo del mi Consejo embie a supplicar al dicho Señor Papa, que a Su Sanctidad pluguesse de lo guardar, y mande poner embargo en los fructos, y rentas de las dignidades, y beneficios, que los dichos Cardenales, y estrangeros avian en los mis Reynos, sobre que el dicho Señor Papa embiò a mi el Obispo de Albi por su Mensajero, el qual muchas vezes à parte, y ante los del mi Consejo, y en publicas Cortes en Burgos por pieça de vezes me prometiò, y dixo de parte del dicho Señor Papa, y por virtud de las Bullas de creencias del que me truxo, que al dicho Señor Papa plazia, y que queria guardar, y mantener la dicha gracia, en no proveer de aqui adelante a ningunas personas estrañas en los dichos mis Reynos, segun al dicho Señor Rey mi Padre avia prometido. E yo siendo desto seguro, mande alçar el embargo, que en los fructos de las dichas dignidades, y beneficios avia mandado poner, y despues, que el Papa Clemente muriò, y &c.* ex quibus verbis patet fructus Sacerdotiorum non occupatos fuisse à procuratoribus, ut ait Mariana, sed sequestrum regio jussu imperatum fuisse, nec sublatum ex blanditiis, ac illecebris, quibus

Pro-

Proceres adolescentis animum flexerant, sed quia Pontificius Legatus, ac Orator sæpius, tam privatim, quàm publice in conventu apud Olgarum Monasterium prope Burgos, fidem Clementis adstrinxerat, illum quod semel promiserat perpetuo observaturum. Cumque post obitum Clementis ei suffectus fuisset Petrus de Luna sub nomine Benedicti XIII., & passim ab eo externi sacerdotiis locupletarentur, *por guardar los establecimientos de los sanctos Padres antiquos*, & aliis de causis in sua Constitutione expressis mandat, ut alienigenæ cujuscumque generis etiam si purpura illustrati essent, non possint in suis Regnis ad Episcopatus, dignitates, aut beneficia quælibet aspirare: *ordeno, y establezco duradero por siempre que persona, o personas del Mundo, aunque sean Cardenales no ayan Arçobispados, ni Obispados, ni otras dignidades, ni Calongias, ni prestamos, ni prestamerias, ni otros beneficios algunos en todos mis Reynos, y señorias, y en lugar, y part e alguna dellos, salvo aquel, y aquellos, que fueren verdaderos naturales de Padre, y Madre, y naçidos en ellos.* Jubet præterea ut quousque in humanis degerent, qui beneficiis donati fuerant, vel ante, vel postquam ipse Regni habenas accepisset, Sacerdotiorum fructus, ac proventus in restaurationem templorum, ac culturam possessionum, ex quibus ij reditus percipiebantur, verti deberent; si quid autem superfuisset, in extruendis arcibus in locis Mauris finitimis, quod gratissimum Deo futurum prædicat: *y que los fructos, rentas de las dignidades Obispales, y calongias, y prestamos, y prestameros, y otros qualesquier beneficios, que abora en los dichos mis Reynos tienen los dichos Cardenales, y estrangeros quien los oviessen, y ovieren despues, y ante que yo reynasse, que sean tomados todos, por quien yo ordenasse, y servidas, y reparadas dellas las Yglesias, y possessiones de las dignidades, y beneficios donde las dichas rentas, y fructos se llevan, y que lo que de las dichas rentas, y fructos sobrare agora, y de aqui adelante, en tanto que los dichos Cardenales, y Estrangeros las dichas dignidades, y calongias, y prestameros, y beneficios tovieren, hechos los dichos servicios, y reparaciones*

que

ratione Ecclesiarum, & ornamentis eosdem convertere tenenantur? Jubet pariter Notarios has bullas, vel litteras in favorem Extraneorum notificantes, carceribus mancipari, & per exilium, & privationem officii, & alias pœnas puniri; necnon quoscumque naturales in his Exteris auxilium præstantes, aut consilium, aut eorum procurationem acceptantes, vel eis utentes: Et pariter ne naturales super his citati ad Curiam Romanam possint accedere.

Ab his constitutionibus non absunt & aliæ formis excusæ apud Perez d. lib. 1. ordin. tit. 3; nempe lex 18. cujus initium notatu dignum: *Porque antiguamente por los Reyes nuestros progenitores fue ordenado en Cortes, que ningun estrangero, que no fuesse natural de nuestros Reynos, y señorias no pudiesse aver Prelacias, ni beneficios en las Yglesias de los dichos nuestros Reynos*; & leges decimanona, ac vigesima. Plerasq; etiam pragmaticas sanctiones Henrici II., D. Ioannis I., Henrici III. laudat, ac in unum cogit idem Perez in vestibulo d. l. 18. Quam prædecessores Principes straverant viam, legibus suis munierunt Catholici Reges, latis anno 1473. & 1523. ad firmandam magis, magisque exterorum a sacris beneficiis submotionem, quas sua pragmatica Invictissimus Carolus V. comprobavit. Nec exemplo suis successoribus defuit prudentissimus, ac potentissimus Philippus II., quem idem edixisse anno 1560. constat ex *l.* 14. 16. 17. *lib.* 1. novæ recop. cujus libri consulendæ & aliæ leges usque ad vigesimam, quæ ejusdem argumenti sunt: consulendus item Arzevedius, aliique expositores.

Liceat hic obiter attingere spernendum nõ esse, quod *in d. l. 19. lib. 1. ordinamen.* exprimitur identidem Sũmos Põtifices a Christianis Regibus contendisse, eosque obnixè obtestatos fuisse, ut alienigenæ in beneficiorum partem vocarentur, sed tempus frustra consumpsisse, cũ nullis artibus, aut precibus se illi abduci passi fuerint a proposito, cujus semper tenacissimi fuere justissimis de causis; *Y el otro es que otorgamos ligeramente a los Extraños lo que los otros Reyes Christianos rogados, y importunados por*

los

los Sanctos Padres, no quieren consentir: de que este denegamiento se haze muy razonablemente con iustas causas.

Atque ne faciam longius, in omnibus fere Hispaniarum Conventibus, publico Decreto hujusmodi prohibitiones repetitæ, ac recoctæ, ut in Curiis Pinciæ anni 1523. petit. 24. & pet. 42. & in comitiis Madriti congregatis, anno 1528. petit. 2. & petit. 14. ex Perez testimonio d. l. 18. in princ.; qui etiam refert in Castellæ Regnis externos existimari, quod ad beneficia spectat, oriundos Regnorum Aragoniæ, ac Navarræ, idque fuisse definitum in Curiis Segobiæ anni 1532. petit. 42. d. l. 18. tit. 4., quod & ad pensiones fuisse productum, etiam ab iis alienigenis depulsis ex legibus editis in conventu Pinciæ anno 1537. & in alio habito anno 1523. l. 41., idem auctor est *loco citato.*

Ut propterea sit expeditissimum, legislationem hac in re Laicis Potestatibus competere; quod & demonstrant leges in Aragonia evulgatæ, ac inter foros repositæ, quibus alienigenæ *ab omnibus beneficiis Ecclesiasticis, ac dignitatibus electivis, pontificalibus, ac cathedralibus* secluduntur, ut ex lib. 1. for. Aragon. tit. *de prælaturis, & aliis beneficiis ab alienigenis non possidendis*, & quæ apud Cathalaunos conscriptæ fuere in tit. *que los estrangers no pugan obtenir beneficis Ecclesiastichs in Catalunya*, quarum non immemor fuit Cancer. *par. 3. cap. 14. n. 62.* qui n. 64. ait: *In ea provincia idem statutum esse de Præceptoriis S. Joannis Hierosolymitani in const. Com la religio, eod. tit.*

Ab Hispanis ad Gallos pergamus. In Capitularibus juxta Cælestini decretum statuitur, ut Episcopus propria Diœcesi secundum statuta canonum eligatur, sicuti in antecedenti dissertatione vidimus. Constitutionis Christianissimi Regis Ludovici, qui in Divorum album referri meruit, supra mentionem fecimus, qua cautum fuit ut beneficia, atque officia Ecclesiastica Regni secundùm præscripta juris communis, & Conciliorum, atque instituta veterum Patrum conferrentur, nullo ad ea alienigenis aditu patente; imposuitque Regni magi-

ſtratibus, ut legis executioni quammaxime invigilarent; pœnasq; a contumacibus repeterent, his verbis. *Universis Iustitiariis, Officiariis, & subditis nostris, ac locumtenentibus præsentibus, & futuris, & eorum cuilibet, prout ad eum pertinuerit, districte præcipiendo mandamus, quatenus omnia, & singula prædicta diligenter, & attente servent, teneant, & custodiant, atque servari, teneri, & custodiri inviolabiliter faciant; nec aliquid in contrarium quovis modo faciant, vel attentent, seu fieri, vel attentari permittant; transgressores, aut contra facientes, juxta casus exigentiam tali pœna plectendo, quod cæteris deinceps cedat in exemplum.* Quid in hac re decreverint Carolus Sextus, & Carolus Septimus satius fuerit ex Petro de Marca audire lib. 4. cap. 9. n. 9. *Quod Carolus sextus coacto utriusq; ordinis Procerum consilio, nova constitutione iterum decrevit, quam Concilio Constantiensi, & Martino Papæ edidit, ut ipsi Regis desiderio se hac in parte accommodarent. Carolus VII. post obitum Patris idem edictum renovavit, & a Martino V. ejusque successore supplicıter multoties contendit, ut ejus edicti rationem haberet. Quod cum illi insuper habuissent, perniciem, quæ Regno ex eo capite inferebatur, amoliendam ratus, totum istud negotium ad suam auctoritatem revocavit, jussitque edicto perpetuo, ne in posterum ulla beneficia alienigenis conferrentur, vetuit Ecclesiarum Prælatis, ne quem extraneum a Regno ad ea obtinenda admitterent in vim Bullarum, quæ illis essent indultæ, aut alio quovis modo; præcepitque magistratibus, ut Bullarum retentione, bonorum capione, & mulctis inflictis, adversùs contumaces insurgerent.*

Sed & in ea lege fidem facit Carolus VII. etiam a decessoribus Regibus inhibitum fuisse, ne alij quam Gallicæ Reipublicæ cives, beneficiis donarentur; qua potestate usi fuere Gallorum Reges usque ad novissima hæc tempora, non reclamantibus Summis Pontificibus, ut ostendit Constitutio promulgata die 12. Februarij anni 1681. apud Claudium Bondeau in *Biblioth. canon. fol.* 144. in qua repelluntur alienigenæ a beneficijs etiam in Provincijs recens Galliæ Regno adjunctis, ubi notanda sunt ea verba; *Nous avons estimé a propos de declarer sur cela la nostre volonté, ainsi que les Rois nos predecesseurs l'ont jugé par differentes Ordonnan-*

vances, e desirant aussi contribuer autant que la protection, que nous devons aux personnes cõsacrees au service de Dieu nous oblige de le faire, &c. & illa: *de nostre pleine puissance, & autorité Royale;* item ca: *ne puissent d'or en avant conferer les dits benefices ou y nommer autres que nos sujets, a peine de saisie du temporel des benefices des dits Collateurs que pourroient estre dans l'estendue du nostre Royaume, e de celuy des benefices dont les estrangers auroient esté pourveus, pour estre employès al acquit des Charges ordinaires, e le surplus en autres pies:* eademque die prodiit alia constitutio loco citato apud eundem auctorem typis tradita, qua duo obtinens beneficia eo prætextu, quod intra anni spatium optare possit quod retineat, vel quod de illorum altero lis pendeat, jubetur ut frui nequeat, nisi fructibus illius, *auquel il residera actuellement, & fera le service en personne*, alterius autem reditus, vel amborum, si in neutro Beneficiarius resideat, in Ecclesiarum reparationem, ac ornamenta convertantur.

Ex magno exemplorum acervo, quæ aliarum nationum antiquæ tabulæ, & vetera monumenta suggerunt, quædam tantummodo, quæ ad rem nostram peroptime quadrant, secernamus. Apud Polonos, usque a Casimiri magni temporibus, peregrinos a Sacerdotiis abstentos fuisse certissimum est, ut in superioribus scripsimus. Sed non minus certum est id statutis illius Provinciæ fuisse comprehensum, quæ edidit Choppinus *post librum 3. de doman. Franciæ*. In Bohemia testis est Gregorius Bertholdus Pontanus, *Bohemiæ piæ lib. 3.* de Friderico Episcopo lege interdictum esse, ne quis exterorum Archiepiscopatum obtineat, aut Præbendam sive magni, sive tenuis reditus, interminatione exilij, ac injectis poenis narium abscissionis, ac bonorum Fisco addicendorum. Edictum Regis Ladislai de beneficiis indigenis tantùm tribuendis in Ducatu Glocoviensi affert Schifordegherus in *vindiciis prò Episcopatu Silesiæ quæst. 6.* id ipsum, compluribus Germanorum Imperatorum constitutionibus in Silesia sancitum fuisse addit *quæst. 9.*, cui illarum verba intexuit, qui etiam totus est in probando, id

ſtatuere, ut indigenæ, exteris poſthabitis, ad beneficia promoveantur, nihil commune habere cum poteſtate ſpirituali) quamvis ad hoc recurrendum non ſit, ut manifeſtum fiat, Principes, qui hujuſmodi leges fecerint ſuæ facultatis fines non exceſſiſſe: cum ſatis ex iis rationibus, quas copioſè adduximus, id evincatur.

Nimis autem licenter, immò & impiè Bodinus *de Repub.* pronunciato omnium conſtantiſſimè feciſſe Helvetios, qui lege in conventibus promulgata anno 1520., reſcripta Romanæ Curiæ, quibus Sacerdotia peregrinis tribuere non dubitarat, publicè laceranda; & qui iis uterentur carceribus, ac vinculis coercendos cenſuerunt, quod & a Stumphio proditum fuit.

Sed nobis opus non eſt, ut externorum Principum ſanctiones de re beneficiaria, quæ ex hiſtoriis plurimæ ſuppetunt, perſequamur. Ad ipſos Neapolitanos Reges properandum eſt, quorum ſemper proprium, & peculiare fuit eversa per temporum licentiam diſciplinæ, & legum Eccleſiaſticarum auctoritati in eo potiſſimùm, quod beneficia attingit, ſuccurrere; ſi quod temporum vitio depravatum eſſet, affectumque, ſanare; ſi quando Templorum cultus Sacerdotum abſentiâ negligeretur, in eos ſequeſtro fructuum animadvertere; ſequeſtri etiam remedio providere, ne Eccleſiaſtici reditus, contra Canonum conſtitutionem prodigantur: in qua poſſeſſione, vel *quaſi*, cum anteactis temporibus ſemper fuerint, uſque ad noſtram ætatem perdurant, ac perſtant.

Iuſsù Ferdinandi primi Aragonei Regis, cum anno 1488. fuiſſet propoſitum edictum, ut quicumque Archiepiſcopatus, aut alia beneficia in Regno haberent, in Curia Romana reſidentes, intra quindecim dierum ſpatium ad ſua redirent, & Petrus Guilielmus Rocca Salernitanus Præſul, ac Vrſus Vrſinus Teanenſis Antiſtes mandatis minimè obtemperaſſent, Felici Cafarello partes impoſitæ, ut reditus illarum Eccleſiarum, ac beneficiorum eis annexorum exigeret, exactos verò, ut & bona utriuſque mobilia, ſpoliaque omnia Laurentio

Od-

Oddo Columnæ Protonotario Apostolico traderet; quem antedictis Ecclesiis præfecit, earumque gubernationis curam commisit; quod ne effectu careret, Capitulo, & Canonicis Civitatis Salerni rescripsit, Protonotarium ad Cathedram illius Vrbis fuisse evectum, qui in ea Bartholomæum Cicilianum suum Vicarium constituerat: mandatum præterea, ut ei parerent, quemadmodum aliis ejusdem muneris obedire soliti erant. Alias quoque literas ad Teanensem Vicarium dedit, quibus imposuit, ut ab officio desisteret, in quo administrando non rectè, & ex fide se gesserat, & Felici Casanellæ Oddi Columnæ procuratori administrationis redituum ad eam Sedem pertinentium rationem redderet; qua in re cum se non continuerit intra limites sequestri fructuum vel privationis eorundem adversus contumaces Episcopos nihili facientes ejus præceptum, quo ad revisendum suas diœceses invitabantur, videtur Ferdinandus aliquid ex antiquo jure, quo utebantur Reges Neapolitani in hujus Regni Episcopatibus, repetivisse.

Eadem de causa Ferdinandus, Episcopum Melitensem, quod post diem præstitutum Regno, Ecclesiæq; suæ se non reddidisset, sub finem Iunii anni 1482. fructuum Episcopatus, ac beneficiorum interceptione mulctavit.

Cum Summus Pontifex Paulus IV. adversus Philippum II. Hispaniarum Regem hostilem animum, ac iras gereret, invadendique Regni, fœderisque cum Hispani nominis hostibus ineundi audacissimum agitaret consilium; prudentissimus Princeps jure injuriam propulsare studens, a viris tum divini, humaniquè juris peritissimis, tum probitate spectatissimis quæsivit, an sequestro fructuum, aut illorum privatione posset cogere Prælatos, qui Romæ manerent, ad residendum in suis Ecclesiis, & eos, qui beneficia in iis possidebant, ad ministeria in eisdem obeunda? Rogati illi suas sententias, in id consensere omnes, nihil justius, nihil æquius, nihil magis esse sacrorum Canonum vel menti vel verbis congruentius. Superest in Regii Archivi libris, qui

reliqui

reliqui ſunt, velut quædam ex magno naufragio tabulæ, inſignis Theologi, Jurisqueperiti conſultatio, in qua de quæſtione a Rege propoſita his verbis: *Se podria estando las coſas en el termino, en que eſtan, mandar, que ningun natural deſtos Reynos eſtuvieſſe, ni fueſſe a Roma; y compeler a los Prelados, que eſtan a Roma, aunque fueſſen Cardenales, que vinieſſen a ſus Yglesias a reſidir, y a los Clerigos, que tienen beneficios, que vengan a ſervirlos, y en defecto deſſo hacer proceder a privarlos de las temporalidades, y lo que ſe podria hazer reſpecto de los otros deſpachos, que van a Roma durante la guerra*, ita pronunciat, ac ſententiam ſuam aperit. *Tambien ſe puede mandar con buena conſciencia, que durante la guerra, ningun natural deſtos Reynos vaya a Roma, y a los que alla eſtàn, ſi ſin peligro lo pueden hazer, que ſe ſalgan, y a los Prelados, que hazen ordinaria reſidencia en Roma, y contra toda juſticia llevan renta de ſus Yglesias, pues es manifieſto, que no tienen cauſa baſtante para no reſidir en ellas, tambien ſe les podria quitar las temporalidades, ò a lo menos gran parte dellas, pues la llevan con la miſma conſciencia, que ſi la robaſſen, y no haze el caſo oponer, que ſi eſtas dos prohibiciones hubieſſe, ceſſarian las expediciones, y deſpachos, y negocios eſpirituales tocantes a las almas, digo que eſto no impide por muchas razones, &c.*

Ut verò quivis perſuaſum habeat quantum cuſtodiæ, ac defenſioni canonum Reges Neapolitani invigilaverint in omni canonicæ diſciplinæ labe eluenda, cum primis autem, qua reſidentiæ debitum Clericis, & Beneficiariis per incredibilē proterviam remittitur; prætereundum non eſt, ſi qua vis, aut injuria legibus Eccleſiaſticis fieret, etiamſi res inter Clericos ageretur, Regiæ opis præſidio precantibus non defuiſſe, quod ab Alphonſo Aragoneo pietatis, ac prudētiæ ſingularis, vel uno ad Epiſcopum Calatienſem dato reſcripto die 30. Decembris 1450. luculenter oſtenditur. Cum quidam ejus Civitatis Clericus, ejusdemq; Eccleſiæ Beneficiarius nomine Jacobus Antonius Lanna, longe aliquandiu inde loci fuiſſet in Neapolitanæ Academiæ ſtudiis immoratus, quò ſacris ordinibus idoneum ſe compararet, Epiſcopus ob eam

rem

rem beneficio eum dejicere, aliumque instituere meditabatur; quoniam verò id erat Canones corrumpere, qui residendi necessitate exonerant eos, qui literis in aliqua non ignobili Universitate operam præbent, ut ex *cap.* 12. *de Clericis non resid. cap. licet. de præbend.* non oblitus maximus Princeps regulæ Concilii Ephesini in relatione ad Theodosium: *sententiam illam, quæ a Canonibus aliena est, nihil aliud in se continere, quam apertam contumeliam*: Episcopum quam id esset iniquum, quod facere aggrediebatur, commonuit, simulque Præfecto arcis, & Gubernatori illius urbis in mandatis dedit, ut Clerico, neque ab Episcopo, neque ab alio quoquam ea de re molestiam inferri, sed ipsi integram fructuum perceptionem manere curarent; itaut novis, ac repetitis querelis Regiam Majestatem adire non cogeretur. Nempe novum non erat, ut Clerici, si Canones frangerentur, ad Regiæ opis præsidium confugerent, ac provocarent, quorum preces non respuebant Principes, tum quia ad officium Regis pertinet oppressis subditis, præsertim Clericis suum præstare patrocinium, tum etiam quia ejusdem est ne tranquillus Reipublicæ status perturbetur, providere. Hac fretus spe Dorylæi Episcopus Eusebius, Marciani pietatem adversus injurias, quas a Dioscoro passus fuerat interpellavit, ut ex ejus libello in actis Concilii Chalcedonensis act. 1. in quo hæc verba nobis se exhibent *σκοπὸς τῷ ὑμετέρῳ κράτει πάντων μὲν τῶν ὑπηκόων φροντεῖν, καὶ χεῖρα ὀρέγειν ἅπασι τοῖς ἀδικουμένοις, μάλιστα δὲ τῶν εἰς ἱερωσύνην τελούντων, καὶ ἐν τούτῳ τὸ θεῖον θεραπεύοντες, παρ' οὗ τὸ βασιλεύειν ὑμῖν, καὶ κρατεῖν τῶν ὑφ' ἡλίῳ δεδώρηται. Intentio, & propositum majestatis vestræ est universis quidem sibi subditis providere, & manum porrigere omnibus injustè oppressis, præcipuè tamen fungentibus Sacerdotio, in hoc divinitati placentes, a qua vobis imperare, & dominari sub hoc Sole donatum est.* Eadem fiducia Eunomius Episcopus Nicomediæ in Bithynia, Marciani subsidium adversus vim ab Anastasio Nicæno illatam, implorasse constat ex

 act.

act. 15. ejusdem Concilii, quia, ut ajebat ille; Deus Principibus imperium contulit ad salutem orbis terrarum, ac pacem Ecclesiarum: [illegible] Eadem & Bassianus olim Præsul, canones indigne solutos in judicio, quo ab Episcopatu fuerat remotus genua Marciani amplexus gemens, ac sordidatus conquerebatur, ab eoque Regiæ protectionis præsidium deposcebat, ut ex act. 11. dicti Concilii Chalced. quoniam, dicebat, omnium qui vim patiuntur salutem, Sacerdotum Christi potissimum, post Deum ex Principe dependere, [illegible] subdens [illegible] *Quapropter & ego ad has preces veni provolutus vestigiis vestris, ut in illis mei misereamini.* Quæ eo libentius hic adscripsimus, ut pateat nihil discrepare ab antiquis Ecclesiæ institutis, & canonica auctoritate nostri Regni leges, quibus Regium præsidium ferendum esse cavetur, non tantum si subditi sæculares ab Ecclesiasticis vi opprimantur; sed etiam si Clericus a Clerico eam sit perpessus, quod & apparet ex *cap. quæcunque caus. 23. quæst. 2.* ibi; *Omnibusque, qui Ecclesiæ deserviunt tuitio deferatur.*

Latissimus quidem nobis pateret campus, in quem possemus excurrere, rescriptorum quibus adversus violatos, ac infractos Canones nostri Principes opem tulerunt; quin etiam si quid peccatum fuit adversus receptos in Ecclesiis mores juri Canonico non adversantes, quos non innovandos esse censet Divus Basilius epistola 159. Hieronymus epistola 18. cap. 2. & Augustinus epistola ad Januarium 118. cap. 2. relatis *can. 4. & 11. dist. 12.* In more positum fuerat ut Salernitanus Archiepiscopus, & ipso absente qui ejus sustinebat vicem, ac Capitulum, in oppidum Sancti Severini Episcopum mitterent, quo cives sacro Chrismate inungerentur, tum

ob loci distantiam, tum quod infirmi non sine maxima difficultate cum eorum liberis possent Salernum petere: Cum id immutaretur, aditus ab Universitate Rex Ferdinandus suo diplomate, ut vetus institutum observaretur, mandavit ea ratione quam religiosè adjecta, *per che li Sacramenti della Chiesa si devono offerire, e non denegare*, subjuncta etiam hujusce modi clausula; *E perciò tanto per rispetto del solito, e consueto, come per lo giusto, & honesto vogliate a questo provedere, che noi non ne habbiamo altra querela, e che non siamo necessitati a fare le giuste, & honeste provisioni necessarie.* Sed nolumus extra rei beneficiariæ terminos evagari.

Otiosum certe esset postquam Episcopos, ac Clericos beneficia possidentes posse fructuum sequestro ad residendum compelli, idque usu in Regno receptum semper fuisse planissimum fecimus, in eo probando operam insumere, nempe licitum esse idem remedium adhibere, ut alienigenæ a beneficiis capessendis procul sint; cum jam visum fuerit inter rationes, quæ in hac re indigenis favent, eam non postremo loco esse, quia hi vel patriæ amore illecti, vel civium, & eorum, cum quibus fuit longa vitæ consuetudo familiaritate invitati, ad residendum sint procliviores.

Sed & si facultates Ecclesiasticæ, & beneficiorum reditus non rectè administrarentur, non ad normam Canonum eorum dispensatio fieret, præstò semper fuit in Regno nostro Regiæ tuitionis auxilium. Joadem, cum Sacerdotes Templi restaurationem insuper habentes, pecuniis, quæ in hanc rem erant erogandæ, abuterentur, totum hoc negotium ad suam potestatem revocasse in superioribus ostendimus, quod Deo acceptissimum fuisse nos docent sacræ literæ l.4.Reg.c.12. *Igitur usque ad vigesimumtertium annum Regis Ioas, non instauraverunt Sacerdotes sartatecta templi, vocavitque Rex Ioas Iojadam Pontificem, & Sacerdotes dicens eis; quare sartatecta non instauratis templi? Nolite ergo amplius accipere pecuniam juxta ordinem vestrum; sed ad restaurationem templi reddite eam.* Hoc idem ad cognitionem suam revocarunt Reges nostri, quotiescumque

se occasio obtulit, ut beneficiarii fructus suos facerent, neque illi in Ecclesias reparandas, easque ornamentis, ac supellectili instruendas, pro portione quam canones in hos usus expendendam decernunt, cederent, ex auctoritate juris Canonici, tum quia in *can. boni 96. dist.* cujus in superioribus mentionem fecimus, dicitur: *boni Principis, & Religiosi esse Ecclesias contritas, atque conscissas restaurare, novas aedificare, Sacerdotes honorare, ac tueri,* tum etiam quia in *can. filiis, vel nepotibus caus. 16. quaest. 7.* conceditur posteris eorum, qui construxerunt, vel ditarunt Ecclesias, ut si ministros intelligant, eas rebus collatis, vel earum aliqua defraudare, non solum possint honesta commonitione compescere, sed etiam adversus eos Regium patrocinium postulare; ibi: *Si autem Metropolitanus talia gerat Regis hac auribus intimare non differat.* quod non omisit Joannes Dartis d. q. 7.

In literis a Rege Ferdinando Primo sub die 13. Martii anni 1433. Archiepiscopo Brundisino transmissis eum reprehendit Princeps, quod senio corruente jam Ecclesia, licet ei non semel insinuasset, ac jussisset, ut labantem fulciret quotannis, eique ornamenta, ac sacram supellectilem, qua indigebat compararet, idemque sibi curae esset, ut praestarent alii, qui in ea Civitate beneficiis fruebantur in Ecclesiis, quae cum reditibus abundarent, relatum fuerat, multis ad cultum necessariis defici, Regiam jussionem parvi fecisset: mirum id sibi contigisse, addens, magnamque mentis perturbationem peperisse. Quocirca iterato ei imperat, ut singulis annis quartam, aut saltem quintam proventuum Ecclesiae partem seponat, eamque in instaurationem, ac utensilia templi eroget, idemque ut exequantur caeteri beneficiarii in aliis Ecclesiis procuret: quod si hoc implere cunctatus fuerit, protestatur se provisurum, ut omnium illarum Ecclesiarum reditus pro quarta, aut quinta parte sequestro supponantur.

Non secus idem Ferdinandus auctoritatem suam interposuit, cum de refectione Cathedralis Ecclesiae

Con.

Consentinus Archiepiscopus nihil esset sollicitus, qua in re hanc rationem iniit. Scilicet *Perceptori* illius Provinciæ mandavit, ut ducatos tercentum in Ecclesiam reficiendam insumeret, adhibito qui hujus erogationis rationes conscriberet, adhibitis etiam duobus ex optimis civibus à Capitulo eligendis.

Eandem regiæ tuitionis curam, quod ad propositum attinet, non despexit Federicus Rex, cui cum die 9. Decembris 1499. preces obtulisset Civitas Bariensis, ut ejus Archiepiscopus adstringeretur in Ecclesiæ restaurationem, ejusque cultum ad quotannis impendendam eam quantitatem, quam in hanc rem verti sacri Canones præscripserant; statuit Princeps rescribendum Archiepiscopo, ut statim Ecclesiam collabentem repararet, cujus ruinis si non mederetur nulla mora interjecta, designaret Civitas duos spectatæ probitatis viros, qui simul cum Vicario Præsulis, aut procuratore, ex reditibus patrimonii Ecclesiæ, refectionem ad finem perducerent.

Simili exemplo idem Federicus anno 1504. die 10. Julii, cum Arianensis Ecclesia pene vetustate jaceret, Vicario commisit, ut omnes reditus Episcopatus caperet ipse, ex quibus eam restitueret; quod si aliquid ex fructibus post eam restitutam superesset, Episcopo servaretur.

Regibus absentibus, idem præstitere, qui eorum in Regno vicem gerebant, cui cum post devictas, ac debellatas Gallorum copias, præesset Consalvus de Corduba anno 1504. die 10. Junii Gubernatori Civitatis Bitecti præcepit, ut quodcunque obvenerat, vel obventurum erat ex fructibus Episcopatus interciperet, & in Ecclesiæ majoris ædificia *longo senio lassata*, ut ait D. Greg. *dialog. cap.* 15. instauranda converteret, necnon in ornamenta, & alia quæ ob divinum cultum requirebantur: præterea sumptus fideliter, ac exacte describeret, & adnotaret, ut posset de eis rationem referre.

Ecclesia Tarentina tum ætatis senio concussa, ut

dicitur in *l. 35. C. Theodos. de operib. publ.* visebatur, tum etiam sacrarum vestium, ac ornamentorum inopia laborabat. Hoc cum accepisset Complutensium Dux die 8. Novembris 1559. *Perceptori* Hydruntinæ provinciæ jussit ut *ducatos* mille in Ecclesiam fulciendam erogaret, *ducatos* quingentum in emptionem utensilium, ne Divinus Cultus imminueretur. Cumque de Episcopo coram eodem Andriæ Civitas fuisset conquesta, nihil eum de Ecclesia resarcienda curare, sed pati, ut ait Ovidius, *canescere turpi tecta relicta situ*, mandavit ut Cappellanus Major de hac re ad ipsum referret, qui audito Episcopo, receptis probationibus, retulit sequestrandam partem fructuum Ecclesiæ penes viros facultatibus idoneos a Civitate designandos, qui cum Episcopi interventione ex iis templum restaurarent, & a quibus accepti, & expensi ratio deberet exigi: cujus sententiam Gubernatori negotium dedit ut executioni mandaret anno 1565.

Antiquam hanc inolevisse in Regno nostro consuetudinem, ita semper moribus comparatum fuisse, notissimum est. Si quando Beneficiarii debitis impendiis ob earum conservationem, ac utilitatem Ecclesias defraudant, & oneri eis a sacris canonibus injecto non respondent, orant Universitates, rogantque Principem, ut eos ad implendum, quod sui officii, cogat. Res discutienda judicio Cappellani Majoris remittitur, cujus hujusmodi controversiarum notio esse solet, cuique ut de his cognoscat, vices suas Princeps delegare consuevit. Vocato Episcopo, ne se indicta causa fructuum commodo privatum queratur, testibus de Ecclesiarum statu interrogatis, ad Principem fit relatio, ut tuitionis jure bonorum, sive fructuum capio indicatur, eorum penes probos, ac locupletes viros sequestratio fiat, qui ex iis Ecclesiarum incommodis remedium parent. His relationibus inspectis, qui Regno præest, earum executionem demandat: quod servatum fuit petentibus Extauritariis Ecclesiæ Divi Ioannis majoris hujus civitatis, quorum precibus, prævia relatione Cappellani Majoris, audito Abbate, die 14. Julii 1574. de-

tulit

tulit ex parte fructuum captione illius anni, & insequentium annorum inflicta, donec per procuratorem pia domus cum Episcopi interventu, aut sui procuratoris, contabenti Ecclesiæ ac ruinosæ succurreretur. Eodem modo Ecclesiæ Tranensi consultum fuit ejus Universitate instante anno 1576. & ad Regii præsidii perfugium convolante Andriæ Civitate anno 1590. post consultationem in Cappellani majoris, in qua plura hujus praxeos exempla inserta fuere, licet humanitatis gratia prius Episcopus, ne sui officii oblivisceretur, monitus fuerit. His similia exempla plurima inveniet qui Regiæ jurisdictionis libros, vel earum fragmenta, quæ ad nos pervenere, percurrere ac evolvere voluerit, quod ut agamus nobis per tantas occupationes non satis temporis, ac otii suppetit. Hujusmodi praxim, ut in præfatis casibus bona Ecclesiastica, ac decimæ sequestrentur, ac pignorentur ex jussu Regii Concilii, sive sæcularis magistratus adornat, eamque in Hispaniæ Regnis frequentissimam esse fidem facit Bovadill. *polit. lib. 2. cap. 18. n. 155.* & in Gallia Fleury *Institut. du droit Ecclesiastique cap. 25. in fin. ibi, ce qui n'empeche pas, que les juges royaux en France ni y doivent aussi tenir la main, & y contraindre les beneficiers par saisie de leur temporel, parceque le Roy est protecteur de la discipline exterieure.*

Tantum autem abest Regis Vicarios, ac Regios magistratus, qui hoc ad suum jus, ac potestatem retulerunt, ulla Ecclesiastica censura fuisse perstrictos, ut & ipsi S. R. E. Cardinales in excelso illo fastigio collocati, eadem orbita incesserint, cum Regnum hoc moderarentur, quamvis credendum sit, nihil iis magis animo stetisse, quam ne aliquid ex Sacræ communis parentis Ecclesiæ juribus, ac immunitatibus ejusque dignitate, ac majestate deperiret, quod illustri testimonio Cardinalis Granvelani comprobare possumus, qui supplici libello Consiliarii Joannis Felicis Scalaleone, quo regium auxilium obtestabatur adversus Abbatem Ecclesiæ Sanctæ Mariæ in ejus Castro Sancti Joannis Rotundi, quæ cum jam prope concideret, nihil ille de ea sustentanda cogitabat, an-

nuens,

nuens, cum id a vero non abesse testibus docuisset apud Cappellanum majorem, rescripto fructus integri unius anni, ac pro dimidia duorum insequentium Ecclesiæ adjudicavit, quorum exactio commissa fuit uni ex civibus ditioribus ab Universitate deligendo; exacta prius ab eo cautione, se quicquid ex iis redigeretur, in Ecclesiæ reædificationem erogaturum.

Sed & ipsi Pontifices Maximi morem in Regno vetustissimum ex Regiæ unionis jure dimanantem, lubentes approbarunt. Cum enim in anno 1526. Ecclesiæ pene omnes situ squalerent, & quasi dirutæ inspicerentur, essentque quoque iis destitutæ, quibus ob divina officia celebranda necesse est, incuria, vel potius avaritia, & cupiditate Beneficiariorum, qui suis tantum delectationibus, & commodis faverent, suis dumtaxat quæstibus inhiantes, omnem illarum curam deseruerant, ac abjecerant. Pontificiis bullis sub die 20. Januarii 1526. destinati fuere Marcellus Gazaella Regens Regiæ Cancellariæ, & Hieronymus Gentelles Apostolicus Nuntius, qui Regnum peragrarent, Episcopatuum fructus pro quarta saltem portione penes bonos, & non lapsos facultatibus viros tanquam sequestres deponerent, ut iis Templorum restaurationi provideretur; necnon cruces, calices, sacerdotalia indumenta, & alia, quæ ob altarium ornatum, & Ecclesiarum nitorem, ob sacram functionem peragendam, Divinumque cultum necessaria visa fuissent, compararentur; quibus literis morem gerens Sanctæ Severinæ Comes, qui hujus Regni administrationi Præfectus erat, suis literis die 28. Februarii 1526. id denunciavit omnibus Regni Universitatibus, ac Magistratibus, hisque in mandatis dedit, ut Commissarios, quibus id negotii delegatum erat militari manu adjuvarent, ac quodcunque Regiæ jurisdictionis auxilium iis præberent. Quid autem fuit Pontificium illud diploma, dum utraque potestas tam ecclesiastica, quàm sæcularis permiscentur, quò Beneficiarii in officio contineantur, ne fructus malè deperdant in fraudem

dem Ecclesiarum, ac Canonum, etiam fructuum capione, aut sequestro, quam ingenua quædam confessio, eam auctoritatem utrique promiscuam esse, utrique ex æquo competere? in qua sententia est Cassan. *in Catalogo glor. Mund. ex l. hereditas in. fin. ff. petit. hæred. l. si in aliquam §. ædes sacras ff. de off. Proc. ex cap. 1. ne sed. vac* qui etiam ex *d. can. filiis, vel nepotib. 16. quæst. 7.* ait: *Prælatis dissipantibus Ecclesiæ bona, posse dignitatem Regiam adiri*, in cujus rei confirmationem testimonium arcessit *Guillelm. de Benedict. cap. Raynutius verb. si absque liberis moreretur de fideic. subst. n. 34. & n. 35. de testam.*

Nec Reges nostri, aut qui eorum vices gessere quicquam passi sunt unquam de hoc jure decedere, sed semper ejus fuere retinentissimi, cui cum aliquo modo abrogari videretur Bulla in Cœna Domini (quamvis ea non fuisse inclusos Reges, nullum illam in præjudicium Regiis prærogativis, neque in ea, de qua agimus specie, aliisque similibus locum habere, tam si verba exacte perpendamus, quam in conditorum mentem si penitius introspiciamus, viri clarissimi de utroque jure, ac de divina scientia optimè meriti, jam pridem ostenderint) hæc fuit una ex præcipuis causis, cur in Regno nostro usu non fuerit recepta, ut videre est ex consultatione à Complutensium Duce potentissimo Austriaco Regi Philippo II. transmissa, in qua non potuisse Bullam in Regno admitti refertur, cum ex aliis plerisque, tum quia in ea, qui ad sequestrationem fructuum beneficiorum processerint absque licentia Apostolicæ Sedis, a sacra communione arcentur, cum tamen eos sequestrationi submitti, si fortasse a Beneficiariis quoad redituum ecclesiasticorum dispensationem, ac gubernationem oneri a Canonibus eis imposito, non satisfieret, semper fuerit solemnissimum: *Quando le Città, e Terre* (verba consultationis sunt, si quis ea desideret) *dove le Prelature, e beneficii sono posti, hanno avuto ricorso alli Vicerè, che per li tempi sono stati in Regno, narrando come li Prelati, e Beneficiati si pigliano, si mangiano l'entrate delle loro Prelature, e beneficii, e le Chiese cascano, e si rovinano, e non ci erano vestimenti,*

stimenti, nè paramenti necessarii, & in questo caso si è commesso al Cappellano maggiore, che ne pigliasse informatione, e ne facesse relazione, e pigliata detta informazione, e vistasi l'estrema necessità della reparazione delle Chiese, & ornamento di esse, si ha soluto ordinare, che si pigli una parte dell'entrate, e con intervento delli Uomini da bene in ciò deputati, si spenda in quella reparazione, ch'è necessaria alle Chiese, pigliando la parte dell'entrate in più anni, per non dare incommodità al Prelato, e Beneficiato.

Ex his, quę hactenus adduximus, objectioni qua Regium edictū ex potestatis defectu impugnabatur, cumulatè, ni nobis suscepti negotii amor imponat, satisfecisse videmur. Potuit certè Regia lex proferri in Canonum custodiam, ac executionem, utque eorum violatio averteretur, ut copiosè disseruimus, & tradidere etiam non postremi inter Pragmaticos nominis Morla *in Empor. jur. tit. de leg. n. 23. & 25.* & Guttier. *lib. 2. pract. q. 1. n. 14.* Potuit ut inviolatum, ac intemeratum præstaretur, quod jus ipsum naturale dictat, ac imperat. Sed non minus potuit ex eo munere, quod Regibus incumbit, ut bono status tam temporalis, quàm spiritalis regimini ministerium, ac auctoritatem suam commodent, ut quod illud evertit avertuncent, ut quod salutem, ac utilitatem subjectorum, & Regni oppugnat, amoliantur, ut occasiones scandalorum, ac offensionum auferant, ac præcidant.

Quantum ad bonum regimen etiam spiritale spectat, est id, quod modò docuimus exploratissimum. Obvia sunt complura, eaque validissima juris canonici loca in can. quando 39. caus. 23. q. 4. *quia commoventur potestates Christianæ adversus detestandos dissipatores Ecclesiæ, si non ergo moverentur, quomodo reddent rationem de imperio suo Deo? Intendat Charitas vestra quod dicam, quia hoc pertinet ad Reges sæculi Christianos, ut temporibus suis pacatam velint Matrem suam Ecclesiam habere, unde spiritualiter nati sunt*, quod haustum ex Divo Augustino tract. 11. in Joannem, can. benè, §. sancta Synodus 96. dist. *Quamquam*

quam studii vestri, & Religionis intersit, ut in Episcopatus electione concordia principaliter servetur in Ecclesia. Coelestinus in epistola ad Theodosium Augustum Concil. Ephesini action. 2. ibi: *ne quid turbidæ novitati increvestra mansuetudo permittat*; & inferius: *ampliusque pro pace Ecclesiarum Clementia vestra debet esse sollicita, quam pro omnium securitate terrarum; subsequuntur enim omnia prospera, si primitus quæ Deo sunt cariora serventur*; & deinde post Abrahami, aliorumque ei exempla suggestum, *his ergo exemplorum vallati præsidio, Fidei observatione, virtute, universalis Ecclesiæ in Deum nostrum piissimum cultum, ne sibi aliquid dissensio vindicet, custodite. Pro vestri enim Imperii salute geritur, quidquid pro quiete Ecclesiæ, vel Sanctæ Religionis reverentia laboratur.* Idem & perspicuum fit ex d. c. *Reatina 63. dist.* & ex alijs canonibus, ac testimoniis, & locis Patrum, Conciliorumque supra relatis. Huc etiam referri potest, quod Eusebius *lib. 4. cap. 42.* enarrat, in Concilium Tyri a Constantino missum fuisse Dionysium Consulatem, ut esset *τῆς ἐκκλησίας εὐταξίας custos; & inspector omnis ordinis*, & quod Gregorius scripsit ad Francorum Regem Theodoricum lib. 9. epist. 53. *Quicquid ad Dei nostri cultum, quicquid ad Ecclesiarum reverentiam, quicquid ad honorem pertinere cognoscitis Sacerdotum, & studiose statui, & velitis in omnibus custodiri*: & Hincmarus epist. 4. c. 45. *Consensu Principis terræ, qui res Ecclesiasticas Divino judicio tuendas, & defendendas suscepit, electione Cleri, aut plebis, quisque ad Ecclesiasticum regimen absque ulla venalitate provehi debet*, quæ verba refert Filesacus *de sacra Episcop. auctor. c. 5. §. 5. in fin.* & paulò diversa Duchesne *tom. 2. pag. 484.* & Thomasinus *de benef. par. 2. lib. 2. cap. 12. n. 11.*

Ex hac causa boni regiminis aliquando Græci Imperatores in Ecclesia Constantinopolitana designarunt Patriarchas, ut post Sisinnii obitum, Nestorium Theodosius Secundus malis avibus *διὰ τοὺς κενοσπουδαστάς*, ut ait Socrates lib. 7. cap. 29. *ob homines inanium rerum appetentes*; quibus Ecclesiæ administrationem tradi, satis ei perniciosum fuisset, ut in secunda dissertatione diximus; & post obitum Maximiani, antequam corpus illius hu-

 ma- 60

maretur, auctor fuit Episcopis, Proclum ut in ea statuerent Sede; teste Socrate eod. lib. cap. 39. τοῖς παροῦσιν ἐπισκόποις ἐνθρονίσαι τὸν Πρόκλον ἐπέτρεψεν, quod ait, Principem egisse sapienter, σοφῶς δὲ τοῦτο προνοούμενος, ne denuo in Ecclesia ob Antistitis electionem controversiæ, ac tumultus cierentur, ἵνα μὴ πάλιν περὶ ἐπισκόπου χειροτονίας ζήτησις ἢ καὶ ταραχὴ ἐν ἐκκλησίᾳ γένηται.

Quadrat in hanc rem peroptime quod scripsit Joannes Quintinus Hæduum in repetit. cap. novit de judic. n. 140. *Hoc pertinere ad Reges sæculi Christianos, ut temporibus suis pacatam velint Matrem suam Ecclesiam habere, unde spiritualiter nati sunt, ne Matris ulla in re violetur honestas, neve turbetur ejus tranquillitas ab iis potissimum, quibus est commendata.*

Ne hac de re quispiam in ancipiti esse possit, proferam, quod Maffejus de Divo Ignatio Loyola tradidit *in ejus vita lib. 2. cap. 21.* qui cum Toletanus Antistes Societatem ab illo institutam prædicationis, cæterarumque sacrarum functionum exercitio interdixisset, consultus, postquam per se, suosque, Deum obnixè rogasset, ut ea res in majorem Divini Numinis gloriam benè, ac feliciter cederet, provocandum esse ad Concilium Regium rescripsit. *Itaque Patres Societatis Toleto degentes cum obsecrationibus, & sacrificiis, voluntaria corporum castigatione, cæleste Numen de more propitiassent; per communes amicos Archiepiscopum adeunt: nihil ab se, vel contra Ecclesiæ rem, vel circa ipsius Archiepiscopi dignitatem esse commissum, cur in rebus divinis occupati, & nihil nisi Dei gloriam, & proximorum salutem, ex Apostolica auctoritate quærentes, tantis injuriis affici, præsertim indicta causa debuerint? si quid secus ab inimicis ad eum delatum sit, se ad purganda crimina, atque ad omnem satisfactionem in Domino paratos esse: tantùm ab eo suppliciter petère, uti conceptam iram ad causam usque cognitam, pro sua sapientia, ac pietate, sustineat. Cum ille nihil idcirco de acerbitate remitteret, satisque appareret nostri nominis odium altius in ejus animo insedisse, quam ut avelli, aut mitigari ulla ratione posset: Ignatii voluntatem, atque consilium per literas quamprimum*

ex-

exquirunt. Ille circumspectis rebus omnibus, Deumque per se, suosque enixè precatus, ut ea res ad ipsius gloriam, salutemque animarum benè, ac feliciter eveniret, sine ulla dubitatione, si Archiepiscopus in incœpto persistat, iubet nostros ad Consilium Regium provocare, literas Apostolicas proferre, Societatis causam cum Christi causa conjunctam, æquè moderatè, ac fortiter agere. Ipse interea Pontificem adit supplex: Archiepiscopi factum exponit: Summi Tribunalis opem, & auctoritatem implorat, sine ulla tamen graviore querimonia, vel exaggeratione verborum; ac nostri quoque in Hispania ex Ignatii præcepto rem ad Consilium deferunt: Pontificia diplomata, & jura Societatis legitima ostendunt; obræptum sibi aditum ad proximos adjuvandos expostulant: Quæ cum nulla ipsorum culpa ab Archiepiscopo acta esse constaret; eum denique exitum habuit res, ut Regii Consilii decreto, & acri Pontificis objurgatione, Archiepiscopus edicta sua revocare, nostrosque omni molestiæ, atque ignominia liberare coactus sit.

Cujus Sanctissimi Viri factum quis, nisi temeritatis, ac impietatis notam subire velit, carpat, aut vellicet? Quis sugillare ausit Carolum Magnum, cujus impensissimum in Ecclesiam, ac Religionem studium, ut ei potissimum debeatur, Romani patrimonii divitias ad eam magnitudinem, amplitudinemque, quam hodie spectamus pervenisse, qui telam, quam Pipinus genitor exorsus fuerat, pertexere cupiens, Ecclesiæ Gallicanæ Clericos adegit, ut claustralem vitam agerent? Equidem ardua res licet initio ejus novitate animos obstupefecerit, & nimis agitata, ac vexata, variisque dilata rumoribus fuerit, attamen ad finem perducta, quantum morum deperditorum penè correctioni, ac reformationi, & augendæ Sacerdotum pietati, ac sanctitati contulerit, norunt omnes. Sanctissimum vitæ genus a D. Rigoberto Rhemensi Archiepiscopo excogitatum, maxim operè Carolus provexit. In Ecclesiam Lugdunensem, ut reciperetur perfecit per Ledradum Episcopum, cui eam depopulatam, direptam, vastatam usque ad sua tempora, commisit. Segnem in ea re non fuisse Ledradum apertum facit ejus re-

relatio, in qua ita Carolo facti sui rationem reddit: *Claustrum, quoque Clericorum construxi, in quo omnes nunc sub uno conclavi manere noscuntur.* Idem in Ecclesia Metensi Crodogangi tempora promovit, & in aliis Dioecesibus per alios Episcopos, *atque ita paulatim* (ait Christianus Lupus in dissert. de Latini Cleri continentia cap. 5.) *omnem Francorum Monarchiam vita sanctissima implevit. Aliud insuper Carolus addidit. Quales in suis Regnis monachos coegit ad vitam, ac vestem uniformem ad regulam Sancti Benedicti; omnes item sanctimoniales, aut ad Canonicam, aut ad monachalem. Etiam publicas literarum scholas in singulis Cathedralibus Ecclesiis, & plerisque Monasteriis instituit. Sic reddidit nobis Christianitatem, fecitque mundum, teste Sancti Galli monacho, quasi novum. Etenim communis in claustro vita produxit Clericos doctissimos, atque Sanctissimos. Numquam sanctior fuit Europa.*

Hunc Disciplinae rigorem, ac duritiem cum laxasset paulisper, a paterna, avitaque pietate degener Ludovicus Pius, ea de causa in Purgatorio poenas luisse testantur Fuldenses Francorum annales anno 874. quamvis suae inertiae, ac desidiae statim eum poenitudo incesserit, & cura, quam per socordiam dimiserat, resumpta, Astronomi annales an. 874. fidem faciant, *jussisse Synodo Aquensi regularibus Clericis regulam conscribi, ipsamque servari per omnem ejus Monarchiam, & ex illa plurimos fructus, ac gaudia provenisse.*

Quocirca idem Christianus Lupus in scholiis ad quartum Canonem Concilii Romani, sub Nicolao Secundo, inquit: *Omnem sua Monarchiae Clerum ad istam sanctimoniam coegit Carolus, ipsis regulam ab Aquisgranensi Synodo conscribi curavit Ludovicus*, quem decreta Caroli patris sui innovasse, docet etiam Chronicon Monasterii Moissacensis apud Jacobum Sirmondum, & illius Imperatoris epistola, qua Sichario Burdegalensi Antistiti, & aliis, qui Synodo Aquisgranensi non interfuerant, acerba minatur, nisi intra annum claustrum construant; cujus similis existit epistola ad magnum Metropolitam Senonensem, ut propterea se prodat suppositium fragmen,

mentum illud Aquisgranensis Concilii, in medium prolatum ab Hugone Mathoud *par. 7. cap. 9.* in notis ad Robertum Cardinalem Pullum, cui præfuisse Gregorium IV. assidentibus Orientis, ac Occidentis Episcopis fingitur, & In eo statutum fuisse, *ut de pomis hi Camera cuilibet Canonico distribueretur, prout In Clero in Divinis Officiis resideret*; utcumque ei fidem demere noluerit Joseph ViceComes in opere de Baptismi ritibus, dicens *communem Ecclesiæ substantiam cæpisse in præbendas dividi per Gregorium Quartum*.

Tantum rectæ Ecclesiasticæ politiæ cogitationum suarum impertiit Carolus Magnus, ut Romæ degens, hæc verba usurpaverit, quæ refert Regino lib. 2. *Ordinatis Romanæ urbis, & totius Italiæ non tantum publicis, sed etiam Ecclesiasticis negotiis*. Eodem modo Carlomannus lib. 5. Capitul. *Per consilium Sacerdotum, & Optimatum meorum ordinavimus per Civitates Episcopos, statuimusque per annos singulos Synodum congregari, ut nobis præsentibus Canonum decreta, & Ecclesiæ iura restaurentur, & Christiana religio emendetur*.

Hæc autem, si Carolo Magno, & eius successoribus licuere, quæ invidia est non licuisse piissimo, ac potentissimo CAROLO III. non insolito, nec inusitato exemplo, Clericos ad residendum in suis Ecclesiis compellere: alienigenas ab ambiendis Regni Sacerdotiis excludere, & in præceps ruentis disciplinæ cursum sistere, ac retardare?

Nec minus id tritum, ac pervagatum est, quod diximus de Reip. tranquillitate, de communi bono, ac utilitate, de civium salute, quæ Principibus suprema lex esse debet, quam sic tueri tenentur, ut quicquid agant ad eam referant. Cicero *lib. de Officiis l. 3. ff. de Offic. Præf. Vigil. l. Imperialem, C. de nupt.* humanum, *C. de legi. cap. 1. de Offic. leg. lib. 6.* Perpulchre Divus Augustinus de Civitate Dei lib. 19. cap. 14. *Christiani Principes dum recte imperant etiam serviant eis, quibus imperare videntur. Imperant enim ut consulatur saluti, & utilitati eorum quibus imperant*: quam populi

uti;

utilitatem, atque incolumitatem si non procuraverint Principes, crimini sunt obnoxii, quia ut inquit Divus Thomas in Epist. ad Roman. cap. 13. lect. 1. *Principes tributa recipiunt quasi stipendia sui ministerii, laborant enim ad omnium pacem, & quietem servandam.*

Ad hanc salutis, & incolumitatis Reipublicæ tuitionem refert Jo: Dartis p. 1. dist. 10. morem, qui antiquitus increbuerat, ut Imperatores Conciliis Episcoporum interessent, ac judicasse eos aliquando in causis Ecclesiasticis. *Unde potest etiam post judicium Episcoporum judicare in causis Ecclesiasticis, ut videat, an eorum judicium, aut eius executio afferat aliquod damnum saluti Regni. Quomodo D. Augustinus ep. 48. & Optatus Milevitanus lib. 1. dicunt de Constantino, ipsum in Causa Ceciliani Episcopi, post judicium Episcoporum, quos ipse commiserat, per appellationem judicasse. Sozomenus lib. 1. cap. 17. scribit Patres Nicænos ei obtulisse suos libellos querelarum, ut de illis judicaret. Athanasius etiam in Apolog. 2. appellavit ad ipsum Constantinum, qui de ea re cognovit, ex Socrate lib. 1. cap. 34.*

Non id latebat Lusitanos Reges, qui *ordinat. lib. 2. tit. 13.* edixerunt, ut si qui beneficia eorum, qui viverent ad huc impetrarent, vel quasi non jure his collata, vel alio quovis conquisito colore; civilitatis jacturam facerent, e Regno ejicerentur, aliasque pœnas incurrerent: quam legem ut pote promulgatam ne communis pax civium convelleretur, & ut tranquillitati Reipublicæ esset consultum, ut constat ex ejusdem verbis ibi; *por evitar a grande vexanção, que se da aos vassallos de nossos Reynos por algũas pessoas, &c.* non modo validam contendunt, sed etiam tanquam sanctissimam propugnant *Cabedo, Pereyra*, aliique Lusitani Scriptores: cui consimilis lex occurrit in Regno Castellæ *tit. 16. l. 13. par. 1.* Occurrunt etiam, & apud Lusitanos aliæ constitutiones eadem de causa latæ, nempe ne beneficiorum possessio capi possit inconsultis Ordinariis, iisque non permittentibus, *lib. 2. ordinat. tit. 19.* & ne exteris b eneficia

con-

concedantur *lib. 2. tit. 13. §. 1.* quas nullo modo, nullisque argumentis labefactari posse ob potestatis defectum, quippe publicæ utilitatis ratione fulcitas; iidem auctores defendunt.

Absolutissimum quoque est, eam curam, quæ Reges respicit, conservandæ pacis Reipublicæ, ac tuendi status Ecclesiastici, & politici, id præcipue continere, ut scandala, & offensiones removeantur, quod Leo Primus expressit epist. 9. ad Theodos. *Siquidem præter imperiales, & publicas curas piissimum sollicitudinem Christianæ religionis habetis, ne scilicet in populo Dei, aut Schismata, aut hæreses, aut ulla scandala convalescant:* qui etiam quodcunque contra canones tentatur, scandalum nominat in epistola ad Anatolium. *Sed cum in injuriam Canonum illa tentata sunt, quæ omnibus Ecclesiis maximum scandalum generarent*, & Julius in epist. ad Orientales Episcopos relata apud Athanasium apolog. 2. *In rebus Ecclesiasticis non specimen eloquentiæ, sed Canones Apostolici requiruntur*, καὶ σπουδὴ τοῦ μὴ σκανδαλίζειν ἕνα τῶν μικρῶν τῶν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ. *Operaque dari solet, ne quis ex parvis in Ecclesia scandalizetur. Expedit enim secundum Evangelicum verbum molam asinariam suspendi a collo, atque ita demergi,* ἢ σκανδαλίσαι κἂν ἕνα τῶν μικρῶν, *quam unum ex pusillis scandalizare*. Principum quoque sollicitudinis esse, ne scandala etiam in rebus Ecclesiasticis suboriantur, itaut reprimenda sint, quę sive Ecclesiæ, sive Regni tranquillitatem conturbasse experimento didicerint, Anastasius Pontifex, Anastasio Imperatori insinuavit in decretis c. 3. In eandem sententiam Leo Senonensis Episcopus perscripsit ad Ildebertum Gallorum Regem anno 538. in ejus ep. edita to. 1. Conc. Galliæ, nec quicquam magis sibi cordi esse profitentur summi Pontifices, quam *ne scandalum emergat. d. c. 1. de offic. legat. in 6. & c. nihil de præscript.* à quo quammaximè Prælatis cavendum esse monet *can. cavendum* 10. *quæst. 3.* adeout si aliquod scandalum immineat, aut timeri possit, sustinenda sit executio Pon-

tificii

tificii rescripti, ut in *cap. cum teneamur 6. de præbend.* ibi, *Aut si non poteris ei sine scandalo providere, æquanimiter substinemus, si pro eo mandatum nostrum non duxeris exequendum*; etiam si in rescripto adsit clausula, *non obstante scandalo*, ut post Felin. in *cap. si quando, de rescript. v. supersedere n.2. & 3.* censent Anguian. *de legib. lib. 1. contr.5.n.66.* Azeved. *l.14.tit.3.lib.1.recopil.sub num.19.* Covarr. *in præ. lect. cap. peccatum p. 1.n.7. post med.* Navarr. *in cap. Sacerdos num. 130. & 131.* Cochier. *de jurisdict. ordin. in exempt. tom. 2. in Schol. ad constit. Concil. Later. part. 1. §.3.num.44. fol. 33.* cum id præcipi non possit, neque super hoc dispensari, esset enim præceptum, si fieret, charitati adversarium, quæ finis est præcepti divini, & totius legis. *1. ad Timoth. c. 1.*

Cujus boni publici tantam rationem habendam censuerunt Patres, Summique Pontifices, ut pro eo aliquandò à Canonum præscripto desciscendum putaverint, quam indulgentiam Græci οἰκονομίας nomine significarunt: cujusmodi dispensationis genus, quæ remisso, ac relaxato severiori, ac summo Canonum jure, publicæ quietis, atque utilitatis desiderio, & scandalorum amputationi quicquam, licet ab iis devium concedit, commendatur a Cyrillo Alexandrino in locis, quos Ivo, & Gratianus retulerunt.

Cum igitur in proxima dissertatione bonum tam Civilis, quam Ecclesiastici Status regimen id imprimis exposcere, ne peregrinis ad affectanda Sacerdotia janua aperiatur ex Covarr. aliisque demonstratum fuerit; ni hoc rigidè, ac præfractè observetur fœcundissimam malorum, ac incommodorum segetem hinc expullulare, in Ecclesiarum, & Canonicæ disciplinæ destructionem, in Civium, atque Reipubl. perniciem, quorum aliqua in legibus Hispanis novi Ordinam. ac novæ recopilat. in Epistol. Eduardi III. Regis Angliæ, in Pragmatica Sanctione recensentur, prout quoque apud Scriptores, qui de re nostra dissertationem instituerunt, de quibus in superioribus, & cum multis nominibus,

tum

tum etiam ex hoc publica salus periclitetur ex externorum in beneficia intrusione, quod hac de causa quotannis extra Regnum plusquam mille, & quingentum ducatorum millia exportari solitum sit;& hæc hirudo adeò sanguinem omnem nostrum sorbuerit, sorbeatque, ut rerum omnium penuriam experiamur, & in eas angustias coniecti simus, quas nulla dicendi vis satis exprimere, ac deplorare queat: exinde etiam fiat, ut nostræ opes, ac pecuniæ,quibus Regnum exinanitur, ac in extremam paupertatem est redactum,ad hostes plerunque perveniant,ac deferantur;cuius rei utinam hac tempestate vanus timor esset;quod leges etiam Hispanæ considerant exteris ad beneficia admissis accidere persæpè, ut in dicta l. 19. lib. 1. tit. 3. ordinamenti, ibi: *Ca como estos estrangeros, avidas las dignidades, y beneficios de las Yglesias de nuestros Reynos, quieren mas estar en sus Tierras, que no en la agena: sacase para ellos la moneda de oro de los nuestros Reynos, en grandissimo danno, y pobreza dellos, y con la renta de nuestros Reynos se enriquescen los Reynos estrangeros: y a un a les vezes los enemigos,en tanto,que se empombrescen los nuestros*: Civium offensiones,querimoniæ enascantur,ut in d. pragm. Henrici III. post d.l.19. *porque los naturales de mis Reynos quedas sen despoiados,e deshonrados de todos sus bienes,e honra,e encima vituperados,e disfamados por nescios , e no dignos de otras cosas si no de ser sometidos,e soiuzgados,e siervos,e aborrescidos de los estraños*: Scandala quoque in Templorum vastitatem, ac excidium, & divini cultus intertrimentum consurgant, quorum singula satis essent, ut Invictissimus Rex ad edictum, quo de agitur,promulgandum descenderet, si non ex mera,& summa jurisdictione in res ecclesiasticas, saltem ex quadam œconomica potestate, quæ ex patrocinii etiam, ac tuitionis jure dimanat.

Ita sanè ob singulas, quas exposuimus causas posse Principem legibus suis cavere ne alienigenæ in Regnis suis, vel Provinciis beneficia Ecclesiastica consequantur docuere Angel. *consil. 23.* Thesaur. *dec. 131. n. 7.* Petr. Ant. Petra *de potestat. Princip. c. 6. n. 9.* Mandos. de Monitor.

nitor. *q.* 13. *n.* 3. Flamin. Paris. *de resignat. lib.* 4. *q.* 7. *n.* 3. Ojeda *de benef. incompatib.* 1. *p. c. fin. n.* 116. Hieronym. Portol. ad Molin. §. *alienigena n.* 1. *cum multis seq.* ubi post longam de hac re disceptationem, definit hujusmodi statuta rata, firmaque esse; quam sententiam obtinuisse in Aragonia, & in Castellæ, & Galliæ Regnis affirmat: eamdemque apud Cathalaunos observari ait Cancer. *p.* 3. *var. c.* 14. *n.* 62; qui etiam *n.* 63. ex Thesaur. *d. dec.* 131. *n.* 6. *&* 7. huiusmodi edictum fieri posse, & viribus constare ob bonum publicum, & scandala evitanda concludit. Azeved. *l.* 14. *tit.* 3. *lib.* 1. *recopilat. sub n.* 46., Mexia *in apparat. ad l. de* Toled. *fundam.* 12. *par. n.* 33. *& seq. & n.* 47.

Quibus accensendi Azor. in institutionibus moralibus *p.* 2. *lib.* 6. *cap.* 4. *q.* 25. *versic. deinde cum alienigena*, qui ait has leges jure Canonico non esse improbatas, sed permissas, verbis, quæ digna sunt, ut hic adscribantur. *Hinc est, quod statutis, & legibus Principum, & Regum exteri, & alienigenæ penitus excludantur à Beneficiis in Regno, Provincia, vel Urbe institutis, quæ leges Iure Canonico permittuntur, nec improbantur*. Gonzalez *cap.* 3. *de Clericis Peregrin. lit. D.* qui post Salced. *de lege polit. lib.* 2. *cap.* 16. §. 2. *ad n.* 35. ait huiusmodi leges esse justissimas, quia præsumendum est Alienigenas Beneficia impetrare animo non residendi. *Rectè ex hoc textu Salced. de leg. polit. lib.* 2. *cap.* 16. §. 2. *ad n.* 35. *probat justitiam legis* 20., *&* 36. *tit.* 3. *lib.* 1. *recopil. quatenus in eis cavetur ne beneficia conferri possint Alienigenis, & exteris ab hoc Regno, quia non creditur alienigenas ea impetrare cum animo residendi; unde cum ex hoc textu beneficia sint tantùm conferenda illis, qui in eis residere possunt, rectè prædictis legibus exteri a beneficiis Ecclesiasticis arceantur, ut latè probat Salced. ubi proximè.*

Et non modo penes Principes esse condendarum huiuscemodi legum authoritatem, sed justissimis de causis, & rationibus ob conservationem politiæ adductos fuisse, ut illas conderent, autumat Thomasin. de Beneficiis par. 2. lib. 1. cap. 103. n. 9. *Inde est ergo, quod potissima habita sit ratio incolumitatis Regni, eaque justissima, ubi extranei*

a Sacris

a Sacris arcebantur Ecclesiæ dignitatibus ; non assensionem tantum, sed & authoritatem etiam suam accommodante Innocentio, cum Colocensem Archiepiscopum in Strigoniensem Ecclesiam transferre maluit, quam extraneo eam sedem concredere: & in prima editione patrio idiomate conscripta. p.4.lib.2.cap. 36. n.8. *Enfin ce furent les raisons particulieres, mais tres iustes de la conservation des Stats &c.*

Quibus quamproximè accedit : ne pax publica turbetur, neve bonum publicum detrimentum faciat, posse Principem, etiam inter Ecclesiasticos, suam œconomicam potestatem exercere. Covar. *pract. c. 35. n. 3.* Navar. *in cap. cum contingat de rescriptis in primo remedio per totum*, Cenedo *in collectaneis ad Decretum prima par. collection. 5. num. 3.* Vivald. *in Candelabro Eccles. in explicat. Bull. in Cœn. Dom. cas. 14. ex num. 102. & casu 16. num. 115.* Salced. *in addit. ad praxim criminalem Canonicam.* Bernard. Diaz *cap. 102. lit. A.* Joan. Segura Davalos *in director. Judicis Ecclesiastici Fori 2. p. cap. 13. num. 51.* Bartholom. Umaga *in l. 13. tit. 13. part. 2. in glos. 4. nin fuerza ex num. 1.* Gregor. Lopez *d. l. 13. in glos. nin fuerza.* Guttierez *de juramento confirm. 1. part. cap. 2. num. 26.* Avendaño *de exequend. mandat. Principum 1. part. cap. 1. num. 31.* Azeved. *in l. 1. per tot. tit. 6. lib. 1. recopil.* Jo: Martin. de Olan. *in antinom. lit. I. num. 73.* Perez *lib. 3. tit. 13. l. 6. & l. 5. glos. pueden conocer. tit. 1. lib. 2. ordinamenti.* Navar. *in Manual. latin. cap. 17. num. 69.*

Affine etiam est, ut leges Regiæ, quæ universorum utilitatem, ac commune commodum respiciunt, etiam Ecclesiasticos tamquam Cives, ac membra, & partes Reipublicæ ex vi, ut usitato in hac re utamur vocabulo, directiva alligent, ac constringant. Divus Thomas *de Regim. Principum lib. 1. cap. 12.* Diodor. *de Doctrin. Christian. lib. 2. cap. 1. proposit. 4.* Victor. *in relection. de potest. Eccles. num. 4.* Morl. *in empor. juris 1. part. tit. 1. de legib. num. 9.* Radin. *de Majest. Principis verb. non solum armis decoratam 2. part. num. 166. & seqq.* Bellarmin. *lib. 1. de Clericis q. 28. vers. tertia propositio.* Grass. *de effect. Cleric. effect. 2. num.*

2. *num.* 130. & 131. & *à num.* 166. & 265. Menchac. *lib.* 1. *de successʃ. creat.* §. 10. *n.* 648.

Etenim ut eximiè ait Jo: Quintinus Hæduum in repetition. capit. novit. de judiciis num. 126. *Divisio inter jurisdictionem Regiam, & Pontificiam non procedit per viam repugnantiæ, sed per viam simplicis distinctionis: atque ideo quoties publica necessitas id exposcat, permittitur Pontifici in Regis ditionem, & è converso Regi in ditionem Pontificis suum Imperium exercere; nam obnoxia, & precaria utriusque potestas esse debet, non aliquo dominationis fastu, sed humili, atque concordi administratione, &c.*

Quo pacto intelligendum est, quod scribit Gregor. lib. 2. epist. 65. *Deum Imperatori non solùm militibus, sed Sacerdotibus etiam dominari concesʃisse*. Divus Agustin. in epist. 147. ad Proculejan. Goffred. opuscul. 4. ibi: *ex eodem Jure divino Pontifices sunt subditi Regibus, & Reges Pontificibus, & sicut anima, & corpus a se invicem pendent, ita Sacerdotium, & Regnum, quæ duo Ministeria coniunguntur in Ecclesia, ut corporaliter erant conjuncta in Christo*; & quod ait Divus Chrysostomus in illud Pauli ad Romanos: *omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*, ubi addit: *etiam si Apostolus fuerit, sive Evangelista, sive Sacerdos, sive Monachus*.

Atque hæ tuendi recti Regiminis Ecclesiastici Status, & publicæ utilitatis, necnon scandali declinandi causæ, non solum robur adiiciunt legibus a Principibus latis, quibus sancitur Alienigenarum a Sacerdotiis depulsio; sed etiam efficiunt, ut si quando in Externorum gratiam aliquod rescriptum a Sede Apostolica fuerit elicitum, quod existimari debet per importunitatem, aut falsam suggestionem expressum, ac extortum, possit Princeps, salva illius authoritate, obsequio, & reverentia ei debitis, jure defensionis naturalis, cum moderamine inculpatæ tutelæ, vel jure tuitionis, & patrocinii obsistere, ac impedire, ne commune bonum detrimentum capiat, ut advertit Episcopus Simanca *de Catholicis Institut. tit.* 45. *de pæn. n.* 351, qui hanc con-

conclusionem complurium firmat authoritate. *Unde fit, quod si aliquid Papa decernat contra publicam utilitatem, ut puta contra patronatus laicorum, contra Jus eligendi ad beneficia, seu Sacerdotia Patrimonialia, vel quidpiam simile, manu Regia detineri, & impediri soleat; quia Regum officium est ab huiusmodi iniuriis Populos sibi subiectos liberare, & iure naturalis defensionis liceat Principibus sæcularibus, cum moderamine inculpatæ tutelæ, idest salva semper in omnibus Summi Pontificis authoritate, obviare ne pax publica turbetur, & commune bonum detrimentum patiatur. Jeremias cap. 21. cum seqq. cap. Regum 23. qu. 5. Stephanus Aufrer. de potest. sæcular. regul. 2. Guillelmus Benedict. in cap. Raynutius verb. Et Uxorem n. 114. Caietanus de potestate Papæ cap. 27. Navarr. in d. cap. cum contingat de rescriptis 1. remed. fundament. 10. Hermos. lib. 7. instauration. Religionis cap. 25.*

Eandem sententiam probarunt viri doctissimi, qui suis commentariis posteritatem demeriti sunt, & quorum opera quotidie studiosorum manibus teruntur, Palat. Rub. *in tract. de benef. vacant. in Curia §. 11. per tot. & præcipuè col. 4. ad fin. & col. seq.* Covarruv. *pract. cap. 35. num. 4. in princ.* ibi; *ne quid fiat in Reipub. dispendium, & d. num. 4. vers. sic etiam in his Regnis* ibi; *Denique ne literæ Summi Ecclesiæ Præsulis contra publicam Spiritualis, Ecclesiasticæ, & temporalis hujus provinciæ utilitatem, &c. & num. 6. in princ. & sub num. 3. vers. 5. & cap. 36. sub num. 12. vers. hæc verò scripsimus.* Driedon. *in lib. 1. de libertat. Christian. pag. 183.* ibi; *sed quod velit ad ædificationem Reip. statum Ecclesiasticum promovere.* P. Henriquez *lib. 2. de Pontif. clave cap. 23. §. 3.* Zerola *in praxi benef. §. literæ Apostol.*, Manuel Rodriquez *q. regul. tom. 1. quæst. 6. art. 8.* Cened. *in quæst. Canon. quæst. 18. sub num. 19.* Victoria *in relect. de potest. Papæ, & Concilii cap. 27. prop. 22.* qui in proposita specie asserit licitum esse mandatis non parere, immò facto, & vi posse Principem resistere, si publica utilitas id suadeat, ac requirat, dummodo servato moderamine inculpatæ tutelæ hoc agatur. Salzed. *in addit. ad praxim.* Bernar. Diaz

cap.

cap. 54. *num.* 20. *& num.* 21. Camill. Borrell. *de præstan. Reg. Cathol. cap.* 52. *num.* 4. Azeved. *l.* 14. *tit.* 3. *lib.* 1. *recopil. num.* 42. *& num.* 43. *in princ.* Bovadil. *lib.* 2. *cap.* 18. *num.* 208.

Idque etiam expeditum est apud Theologos, & nostros Interpretes majorum gentium, & quorum fama canescet sæclis innumerabilibus, quotiescunque rescripta canones, & disciplinam lædunt, adeo ut in apertum Reipublicæ Christianæ dispendium vergant; qua specie esse in executione supersedendum arbitratur Em. Cajetanus de auctor. Pap. cap. 27. *Non quod aliquis* (ut ipse explicat) *possit esse Iudex Papæ, aut auctoritatem habere in illum, sed per modum defensionis; cuilibet enim est jus ad resistendum injuriæ, & impediendum, defendendumque*: a quo non discedunt Jo: Parisiensis de pot. Reg. & Papæ cap. 21. ad 37. *Licitum est Principibus abusum gladii spiritualis repellere eo modo quo potest, etiam per gladium materialem, præcipue ubi usus gladii spiritualis vergit in malum Reipublicæ, cujus cura Regi incumbit, aliter enim gladium sine causa portat.* & Victor. relect. de potest. Eccles. sect. 7. *Respublica civilis est perfecta sibi sufficiens, ergo potest se defendere ab injuria cujuscunque propria auctoritate*; & mox: *possunt Principes servare proprias Respublicas, non solùm per modum defensionis, sed etiam auctoritativè.*

Si unquam fieret, quod ne fingi quidem posse putamus, ut Pontificiis rescriptis status Ecclesiæ *perturbaretur, aut decoloraretur*, iis non esse obtemperandum affirmant Innocentius IV. cujus testimonium nullo modo refutari potest, & Hostiens. *in c. quanto de consuet.* Sylvest. *in summa, v. Papa n.* 15. posse etiam subjectos ad Principem recurrere, ut eorum executio impediatur. Victoria *de potest. Papæ, & Concilij prop.* 7. & Cordubensis *de potest. Papæ q.* 8. & eo casu non posse Imperatorem detrectare, nec effugere, quin Ecclesiæ subsidium ferat. Panormit. *in cap. sicut de jurejur.*

Hoc argumentum pluribus prosequitur Eminent. Cardinalis Cajetanus *in tractatu de auctoritate Papæ, & Concilii cap.* 27. *versic.* 2. *ex parte abusus, & versic. ad*

se-

secundam rationem; qui ad beneficia Ecclesiastica descendens docet, si illa per simoniam concedantur (cui nihil loci hactenus fuisse, nihil deinceps futurum benè speramus) denegandam esse a Principibus possessionem iis, quibus fuere venundata. *Resistendum est ergo etiam in faciem Papæ publicè dilanianti Ecclesiam, verbi gratia, qui non vult dare beneficia Ecclesiastica, nisi pro pecunia, aut commutatione officii; & cum omni obedientia, & reverentia neganda est possessio talium beneficiorum his, qui emerunt; & allegandæ est causa simoniæ, etiam cum Papa commissa, & sine dubio Principes sæculi, præclariùs gladium de manu furiosi sic cum modestia tollerent; multæ quoque sunt viæ, quibus absque rebellione Principes mundi, & Prælati Ecclesiæ, si vellent uti, resistentiam, impedimentumque abusus potestatis afferrent, sed quando Principes, & Prælati non curant, nisi somniando, cur conqueruntur, quod non potest deponi? cur opponunt, quod potestas data est in ædificationem, non in destructionem? abusui non obediendo, in malis non adulando, non tacendo, arguendo, advocando, illustri ad increpandum exemplo Pauli, & præcepto ejusdem, dicite Archippo, vide ministerium, quod accepisti a Domino, ut illud impleas, ad Colossenses ultimo, parum aut nihil abuterentur potestate*. Ex cujus auctoritate, ac præterea Simanc. & Victor. supersedendum esse in executione rescriptorum, quibus Sacerdotia alienigenis tribuantur, concludit Azeved. *d. c.* 14. *n.* 43. Idem fuit veterum sensus, ut ex Facundo Hermianensi lib. 2. pro defensione trium capitulorum c. 6.

Quæ omnia tamen, ut advertit Archiepiscopus Parisiensis *lib. 3. de concord. cap.* 15. *n.* 9. sic interpretanda sunt, ut inde argui non possit defectus auctoritatis in Summo Pontifice, sed defectus intentionis, ut loquuntur DD. Nec enim existimandum est ab illa Sede, quæ paternarum regularum, & juris, & æqui custodiam ab aliis exigere solet, alienas a commodis Ecclesiæ institutiones consultò proficisci. Etsi enim legibus cæteris non teneretur, a rectæ rationis legibus solvi non potest. Quare ita se gerere solet, & debet, ut præmittat clavem di-

discretionis ante clavem potestatis ; quemadmodum loquitur Innocentius IV. unde fluxit vulgatum illud, usurpatum a Panormitano, & a cæteris Interpretibus: omnia in arbitrio Pontificis esse posita, clave non errante.

Ex hoc autem, quod palam fecimus, non esse ademptam potestatem Principibus, ut lege sua exteros a beneficiis alienos declarent, leges has valere, & consistere, nec quicquam afferri posse ex universo jure Canonico, quod ipsis obstet, ac repugnet; consequens omnino fit, ut non illicitum sit fructuum beneficiorum, quæ ab alienigenis usurpata fuerint, sequestrum. Quorsum enim leges constituerentur, nisi possent executioni mandari? Quocirca cum Hispani Reges pluribus editis legibus ne externi in suorum Regnorum Sacerdotia invaderent, sanxissent; ne quis eas posset præterire, ac temerare, sequestro provisum fuit, ut liquet ex *d. l.* 19. *tit.* 3. *lib.* 1. *ordinamenti*, & ex dictis *legibus nova recopilat.* in quibus non modo alienigenæ, qui beneficia impetraverint, aut extranei obtinentes beneficia patrimonialia fructuum sequestro, aut capione mulctantur, sed etiam Indigenæ, ac Cives, qui suam operam quocumque modo accommodaverint, quò hujusmodi concessiones beneficiorum possint effectum sortiri, ut originis, aut civilitatis privilegio excidant exprimitur, ac præterea sequestro fructuum, & aliorum quorumcunque beneficiorum sint obnoxii, ut planum est ex l. 21. tit. 3. lib. 1. recopilat. ibi: *y si fueran Ecclesiasticos, por el mismo hecho ayan perdido, y pierdan la naturaleza, y temporalidades, que tuvieren en estos nuestros Reynos, y sean avidos por agenos, y estraños dellos, y como a tales sean sequestrados los fructos, y otros qualesquiera beneficios, que tengan en estos nuestros Reynos, &c.* & l. 18. in qua idem decernitur, si qui ex Civibus onus pensionis ab alienigena exigendæ suis beneficiis superimponi patiantur, aut consentiant: *y los fructos de los tales beneficios Ecclesiasticos, en que assi consintieren pension a estrangeros, sean sequestrados, y no les acudan con ellos, ni con las dichas pensiones,*

nes, ò pension, y se apliquen para los gastos de la guerra, que contra los Moros enemigos de nuestra Santa Fè Catolica de continuo tenemos. Item in l. 26. tit. 3. lib. 1. ordinamenti. l. 5. tit. 6. eod. lib. 1. & l. 25. tit. 3. lib. 1. recopilat. *So pena de la nuestra merced, y de caer, e incurrir los que fueren Prelados, y Personas Ecclesiasticas por el mismo hecho (sin que sea necessaria otra declaracion alguna) en perdimiento de todas las temporalidades, y naturaleza, que en estos nuestros Reynos huvieren: y los hazemos agenos, y estraños dellos, para que no puedan gozar de beneficios, ni dignidades en ellos: ni de otra cosa, de que los que son naturales pueden, y deben gozar, segun las leyes, y prammaticas de nuestros Reynos, y los mandaremos echar dellos, &c.* Quarum pœnarum exequutio committitur Concilio Regio, & Cancellariis; idque in legibus illis, aliisque repetitum extat usque ad legentium fastidium, quod & tertio quoque verbo obtrudunt Auctores Hispani, & præ aliis Salcedo *in practica criminali Canonica cap. 54. a n. 17.* & præcipuè a *n. 25.* Salgado, aliique, qui semper in iis Regnis in more positum fuisse, ut fructuum sequestratio fiat, ex iis quas recensuimus causis, hocque in supremis illorum subselliis obtinuisse, confirmant pluribus aggeratis exemplis ad rem nostram accommodatissimis, quibus eorum lucubrationes refertissimæ sunt.

His maximum robur adjungitur ex præjudicata DD. traditione: Principi, ut consultum eat Reipublicæ utilitati, rectæque civilis, & Ecclesiastici status administrationi, ac gubernationi, & ne contentiones, aut scandala suboriantur; permitti fructus beneficiorum sequestro supponere. Thesaur. *decis.* 131. in qua inspiciendæ sunt filii notæ. Borrellus *de præstantia Reg. Cathol. cap.* 50. Graff. *de effect. Clericat. effect.* 1. *num.* 397. Franc. Marc. *qu.* 352. *& sequ. lib.* 2. *& quæst.* 44. *eod. lib.* Guillelm. de Benedict. *in cap. Raynutius verb. & Uxorem decis.* 2. Boss. *tit. de Principe num.* 212. qui affert Felin. *in cap.* 3. *de præscriptionibus.* Cancer. *variar. lib.* 3. *cap.* 14. *n.* 8. *ad fin. & n.* 10. Fontanell. *de pact. nuptial. claus.* 7. *glos.* 3.

62

*par.*10. *n.*48. Poſt. *de manutent. obſerv.* 6. *n.* 28. Rebuff. *in concordat. Franciæ tit. de Regularibus ad Prælaturam non facientibus ſuper gloſ. verb. in manibus noſtris in princ. & verſic. & hodiè nimis, & in verſic. ſeq.*

Ne autem amplius nos obtundant eo, quod identidem ingerunt; utut hoc recipi poſſit in beneficiis impoſterum conferendis, rejiciendum tamen, ac repudiandum eſſe in jam conceſſis: præter ea, quibus hanc oppoſitionem confutavimus, iterum eam nimis futilem eſſe reponimus, tùm quia fructuum depoſitio inquantum pertinet ad beneficia jam collata in Regio Edicto præſcripta, ob cauſas, quas latè in primo capite deduximus, ob ea, quæ ſui muneris ſunt a Beneficiariis contemptui habita, & dilapidationem proventuum Eccleſiaſticorum quibus abuſi ſunt, atque abutuntur, eluſa, ac ſpreta canonum authoritate, quod in re prorſus deſperata, veluti quoddam cauterium, adhiberi neceſſum fuit: tum etiam quia, hoc ſequeſtri remedium uſurparunt Principes etiam in beneficiis, quæ cum ab ijs leges in publicum emiſſæ fuerunt contra alienigenas, jam ab his occupata reperiebantur, quo jure, authoritateque non ſemel uſum fuiſſe Henricum Tertium Caſtellæ Regem, & ex Mariana, & ex dicta *l.*19. *lib.*1. *tit.*1. *ordinament.* ſupra oſtendimus: eidemque juri, ac authoritati ſuffragantur aliæ Hiſpanæ leges antea laudatæ: tum denique quia, ut damno Reipublicæ, ac ſcandalis occurratur, qui jam beneficia acquiſiverunt compelli poſſunt, ut iis cedant, ac renuncient. *cap. cum decorem de Clericis conjugatis.* Barbat. *in tractat. de præſtant. Cardinal. num.* 37. Roch. de Curte *de jure patronat. verbo honorificum n.*3. *col.*3. Mexia *in pragm. taxæ panis in apparatu* 11. *fundamenti par.*12. *nu.*33. *& ſeqq. & n.*47. Vivian. *de Jure Patronat. lib.* 7. *cap.* 8. *n.* 14. *& a n.* 9. Covarr. *in regula peccatum par.* 1. *num.*7. *ad medium.* Quis autem hoc in dubium vocare audeat, ſi ob eandem cauſam poteſt ad Præſulatum dimittendum Epiſcopus cogi? Durante adhuc Donatiſtarum ſchiſmate, quo Africa tota in duas factiones diſciſſa fuerat, ita ut penè

in

in omnibus Civitatibus duo ſederent Epiſcopi, alter Catholicus, alter Schiſmaticus, paulò antequam celeberrimus conventus indiceretur, quo noſtri de Donatiſtis triumphum egerunt coram Marcellino vice Honorii aſſidente; in literis ad eum Comitem declararunt Catholici Epiſcopi, ob pacem Eccleſiæ, veros licet Antiſtites, debere ſponte ſua ſe dignitate exuere, ut qui non jure cum iis contendunt idem faciant: ab utriſque Epiſcopatu abiecto, tertium ſufficiendum. *Vtrique de medio diſcedamus, & Eccleſiis ſingulis, damnata ſchiſmatis cauſa, in unitate pacifica conſtitutis, ſinguli conſtituantur Epiſcopi*; verba ſunt illius epiſtolæ apud Auguſtin. *in lib. de geſtis cum Emerit. Donatiſtarum Epiſ. tom.7. edit. Paris.* quæ cum poſt eum, de quo diximus conventum per Alypium recitarentur in congreſſu habito Ceſareæ in Mauritania, in quem magnus numerus, & Catholicorum, & Donatiſtarum, cum quibus eorum Antiſtes Emeritus, confluxerant, fidem fecit Auguſtinus, eandem fuiſſe ſententiam tercentum Epiſcoporum Catholicæ communionis, qui ante Carthaginenſem conſeſſum ſe congregaverant, duobus tantum demptis, qui licet initio alter verbis, vultu alter, quam gravatè ferrent ſe Epiſcopatu abdicare oſtendiſſent; ſtatim fratrum objurgationi ceſſerunt. *Sic placuit omnibus, ſic exarſerunt omnes, ut parati eſſent Epiſcopatum pro Chriſti unitate deponere, & non perdere, ſed Deo tutiùs commendare*; & mox: *ſed poſtquam illum ſenem liberius hoc dicentem obruit fraterna correptio, iſto mutante ſententiam, vultum etiam ille mutavit*. Quæ ratio eos in eam ſententiam pertraxerit, ita exprimit. *Ratio id omnibus una ſuaſit; quia pro pace Chriſti Epiſcopi debent eſſe, aut non eſſe*. Ne in immenſum excreſcat hæc diſſertatio, plura, ac ſatis præclara oracula mittimus, tam ab Auguſtino prolata, quam in ea ad Marcellinum epiſtola ſparſa, cujus tamen ea verba pietatis, ac religionis pleniſſima ſilenda non duximus. *Quid enim dubitemus Redemptori noſtro Sacrificium iſtius humilitatis offerre? An verò ille de cœlis in humana membra deſcendit, ut membra ejus eſſemus, & nos ne ipſa ejus membra crudeli diviſio-*

ne lacerentur, de Cathedris descendere formidamus? Propter nos nihil sufficientius, quam ut Christiani fideles, & obedientes simus. Hoc ergo semper sumus. Episcopi propter Christianos populos ordinamur. Quod ergo Christianis populis ad Christianam pacem prodest, hoc de nostro Episcopatu faciamus. Quod & de ipso Summi Pontificatus apice definitum fuit in Conc. Constantiensi session. 2. *Item decernit, statuit, ac definit dicta sancta Synodus, quod dictus Dominus noster Papa renuntiare tenetur, nedum in quocumque casu in schedula comprehenso, sed etiam in quocumque, in quo sua renuntiatio afferre potest magnam, & evidentem utilitatem ad bonum unitatis Ecclesiæ Dei*, secundum ea, quæ exaraverant Cardinalis de S. Marco, & d'Ailly, Gersonius, aliique permagni viri: cujusmodi decreto, cum acquiescere coactus fuisset Ioannes vigesimus secundus, licet verus Pontifex, schismatis vorax illud incendium, quo Ecclesia tandiù conflagraverat restinctum tandem fuit.

Possent alienigenæ, ut medicina aliqua afferatur tot vulneribus, eò quod ipsi omnia penè Sacerdotia ad se traxerint, formosissimo Ecclesiæ corpori impositis, ne despectus, ac jacens Dei cultus amplius sit neglectui, ad se beneficiis abdicandum compelli. Quid igitur de sequestro tantum expostulant? Silentium iis indicat Augustinus, qui in ea, de qua mox locuti sumus panegyri, Episcopatum deponendum esse ex memoratis causis, ita inculcabat. *Quid debes esse tu? Cuicumque loquor vestrum: Christianus fidelis, obediens: hoc tu propter te, hoc & ego propter me, Ergo quod tu propter te, & ego propter me semper esse debemus; quod autem sum si tibi prodest, non sim si tibi obest*; quod cum dixisset, perlectis in ea, quam attulimus epistola his verbis. *Si servi utiles sumus, cur Domini æternis lucris pro nostris temporalibus sublimitatibus invidemus? Episcopalis dignitas fructuosior nobis erit, si gregem Christi deposita magis collegerit, quam retenta disperserit*. Quibus id adnectebatur: *Nam qua fronte in futuro sæculo promissum à Christo sperabimus honorem, si Christianam in hoc sæculo noster honor impedit unitatem?* subjecit & ipse: *Si cum volo retinere Episcopatum meum dispergo*

gregem

gregem Christi , *quomodo est damnum gregis honor Pastoris*. Plura de hac re Federic. de Senis *de permutatione beneficiorum lib.* 4. Hostiensis *in cap. nisi cum pridem n.* 63. *de renunciationibus* , Cardinalis Iacobatius *de concil. lib.* 9. *art.* 3. *n.* 24. *& n.* 37. Mantua *in dialogo de concil. n.* 55. Flamin. Parif. *de resignat. Beneficior. lib.* 3. *q.* 18. *n.* 22. Gambar. *in extravagant.* Julij 2. *de simoniaca Papa electione n.* 156. Stephanus Aufrerius *in Clement. ut Clericorum nu.* 12. *de offic. Ordinar.*

Denique, ut receptui canamus, sequestro suæ potestatis, ac jurisdictionis fines non fuisse prætergressum Invictissimum Principem, quod attinet ad Sacerdotia jam concessa, tam certum est, quam quod certissimum. Etenim cum cuique compertum esset, singulis annis maximam argenti, atque auri vim usque ad mille, & quingentum millia *ducatorum*, eoque amplius è Regno asportari, aliò deferri, nullamque spem superesse, ut aliquando postliminio ad nos forent reversura; nec dubitandum, quin Reipublicæ propemodum comploratæ in longum protracto remedio, id esset interitum, ac exitium allaturum, huic Principis opem efflagitanti præsto fuit Regium auxilium, quo prohibitum est, ne pecuniæ ex Regno extraherentur. Ita interdicere, quin potuerit Princeps, cum id non juri, non Ecclesiasticæ immunitati refragetur, ambigi nequit. Nulla hac in re DD. contentio, discrepantia nulla est: Stephanus Fagundez *de justitia lib.* 5. *c.* 37. *n.* 10. qui adducit Rebellum, & Molinam *num.* 11. Suarez *de legib. lib.* 3. *c.* 34. *n.* 6. Barbos. *in collect. ad tex. in c. quæ in Ecclesiarum n.* 5. *de constitution.* Ansald. *de jurisdiction. p.* 3. *c.* 19. *n.* 41. *& seqq.* Mexia *in pragmat. taxæ panis concl.* 5. *num.* 17. Morl. *in empor. jur. p.* 1. *tit.* 1. *qu.* 16. *n.* 19. Menoch. *conf.* 800. *ex n.* 1. *ad* 46. Sot. *lib.* 1. *de justit. qu.* 6. *art.* 4. *post med. & art.* 5. *in fin. & lib.* 4. *qu.* 6. *art.* 45. *circ. med.* , *& d. quæst. art.* 4. *concl.* 2. Alphons. à Castro *lib.* 1. *de potestat. leg. pœnali c. ult. ante fin.* Sayrus *in clavi Regia lib.* 3. *c.* 4. *nu.* 17. *&* 18. Victoria *de potestat. civil. n.* 19. Merol. *t.* 2. *disp.* 4. *c.* 3. *dub.* 25.

25. *n*.242. Covar. *in regul. possessor. par*. 2. §. 4. *num*.8. *in fin*. Cened. pract. *quæst*. *c*.33. *n*. 3. 15. *& seq*. Vulpel. *de liber. Eccles. n*.17. *& seqq*. Carol. de Graf. *effect*. 2. *num*.290. *&* 292. D.Franciscus de Vico *ad leg.Sardin. lib*.2. *tit*.14.*n*.12. Azeved. *ad leg*. 19. *tit*. 11. *lib*. 5. *recopil. & leg*. 3. *num*.20. *tit*. 18. *de las cosas probibidas saccar del Reyno lib*. 6. Calist. Ramirez *de leg. reg*. §. 2. *n*.27. Tho. Zerulus *in prax. Episcopal. tom*.1. *verb. pragm. dub*. 2. Salsed. ad Diaz *in pract. criminal. canonic. c*. 55. *fol*. 171. *vers. sed ut liberè dicam*. Quod adeò planum,expeditumque fuit Hispanis Regibus, ut ex hac causa nominatim Clericis, ac Episcopis pœnas irrogaverint,quemadmodum patet *ex l*.3.*tit*.18. *lib*.6. novæ recopilat. ibi ; *Mandamos, que las penas puestas contra los saccadores de moneda, hayan lugar contra los Prelados, y Clerigos*; quam esse justissimam, ac validissimam tuentur, Azeved. *num*. 19. *&* 20. Ignatius Lopez ad Diaz *d. c*. 55. *fol*.175. Guttier. *pract. lib*.1. *qu*. 18. & Bovad. *lib*.3. *c*.3. *n*.13.

Cum igitur,quod ex beneficiorum reditibus percipiebatur,Romam invehi non posset,commodum fuit ac utilissimum Beneficiariis, ut eorum debitores ad solvendum cogerentur, ne forte interea, dum quid sibi agendum sit illi deliberant, decoquerent, ac conturbarent, utque exactum in Æde sacra deponeretur, quorum rationibus propterea a prudentissimo Principe prospectum fuisse dicendum est. Cæterum quantitates, quæ ex fructibus redactæ fuerint, nemo iis invidebit, si in Regnum se receperint, suaque munia objerint,deducto eo, quod in Templorum extructionem,vel instaurationem, aut ob comparanda iis necessaria ornamenta erit erogandum. Hoc pacto existimavit Rex Augustissimus debere eos, qui in Regno beneficia obtinent, vel invitos ad residendum in suis Ecclesiis adstringi, incommodis,quibus illæ premuntur ob Sacerdotum absentiam, finem afferri,dum ne sibi fraudi esse posset,vel quod se dignum non est fecisse, vel jurisdictionis suæ terminos prætervectum confidenter fuisse. Quod profectò consilium nemo

mo

mo æquus rerum arbiter non optimum, piissimum, saluberrimum Ecclesiæ, Reique publicæ, esse intelliget, si non tantùm mentis integritudinem, perspicaciam, sollertiam, sed etiam castam, incorruptamque Principis religionem contemplabitur, qui nihil magis Regium ratus est, quam sacris dedere animum. Id verò si probis, cordatisque viris satis erit ad omnem culpam, quin & suspicionem ab eo amoliendam, mihi quoque fas erit, opinor, parem sperare sententiam: is enim sum, qui quam libenter in sapientiæ, & eruditionis gloria cuivis concedo, deque ingenii laude cum nemine decerto, tam audacter in Fidei candore, in Religionis puritate, in obsequio Romanæ Ecclesiæ, maximoque Pontifici præstando, nulli me inferiorem esse firmissimè assevero.

Atque hæc sunt, quæ per temporis angustias, perque non mediocrem occupationem in causa gravissima percensere, & disputare licuit. Ne verò tot, tantæque difficultates me a scribendo deterrerent, id causæ fuit, quod si non pro rei dignitate, pro virili saltem mea de hac re disserere satius duxi, quam saluberrimo piissimi Regis præscripto, unde maxima utilitas afflictis patriæ rebus accedere posset, deesse. Addidit præterea animos summa rei æquitas, & quæ facile se per seipsam defenderet. Quid enim? *jus merum orámus*. Quod si quæ ego ab omni periculo, factione, ambitione vacuus, uti dumtaxat pro causæ veritate in medium proferre ausus sum, ita Beatissimus ipse CLEMENS Pontifex sedato animo, secum putare voluerit; in eam nos eriget spem, ut non modò religiosi Principis sententiam ratam fore habiturum expectemus; verum etiam sibi, Christianoque gregi vehementer gavisurum, in ea se incidisse tempora, quibus Reges, in turbidis rebus, magnaque belli confusione, de Ecclesia ad sanctiorem formam revocanda, de sacris Canonibus servandis, de Sacerdotiis ad veterem normam tribuendis, sunt solliciti. Porrò autem si quæ speciem æquitatis habent, non gravatè concedenda sunt, quid ubi summo jure pre-

ces

ces nituntur? Quæ privatus per gratiam postulans, planè impetrare debuisset, ea salutari Regis consilio, quo publico Ecclesiæ bono prospicere studet, abnuantur? Quæ gravior fidelium animos offensio perturbare poterit, quam si Ecclesiasticos homines, gentem sanctam, de cujus ore legem Domini requirere debent, hos omnium primos, & ore, & opere, exleges, & injurios opprimant? dum Ecclesiastica beneficia, patrimonium pauperum dico, pretia peccatorum, per insignem nequitiam profundunt, disperdunt, devorant. *Sagina planè est*. Quorum vix usus conceditur, defrui, atque abuti; Sacerdotia cum patrimoniis eodem habere loco; Beneficiarios fructus anxiè corradere, Beneficiarios Canones, residentiæ debitum, procurationis, functionis, officii segniter posthabere: est ne id sacra profana, Divina humana omnia, Cœlum terræ miscere? Quis tam patiens, quis tam ferreus, ut his non commoveatur, & indoleat? Absit verò hæc suspicio a Pastore Sanctissimo, ut quod *motu proprio* restituturus fuisset, nunc exorari non sinat; Regnumque præter cætera (quod sine invidia dictum velim) supremæ Cathedræ observantissimum, quo cætera omnia utuntur jure, uti prohibeat. Non hæc Romana Sedes edere solet exempla, ut cum res monet, populi flagitant, Rex instat, Canones jubent, laxam potiùs disciplinam, vagam Clericorum aberrationem, Templorum perniciem, rei sacræ imminutionem, certamque morum dissolutionem, alere velle videatur.